Omaggio rispettoso degli autori

Digitized by the Internet Archive
in 2022 with funding from
Kahle/Austin Foundation

https://archive.org/details/summanoviiurisca0000creu

J. CREUSEN, e S. I.
PROF. IURIS CANONICI

A. VERMEERSCH, e S. I.
DOCT. IURIS ET IURIS CAN.
PROF. THEOLOGIAE MORALIS

SUMMA

NOVI IURIS

CANONICI

COMMENTARIIS AUCTA

GRADUATE THEOLOGICAL UNION
LIBRARY
1962

ALMA COLLEGE
348,1
LIBRARY
C866
Alma, California

Altera editio

MECHLINIAE, H. DESSAIN,
SUMMI PONTIFICIS, SS. CONGREGATIONUM RITUUM ET DE PROPAGANDA FIDE
NECNON ARCHIEP. MECHL. TYPOGRAPHUS

BRUGIS, BEYAERT | BRUXELLIS, DEWIT

1918

B. 2399 18.

30932

KBU
2210
.C74
1919

IMPRIMI POTEST

AEMILIUS THIBAUT, S. I.
Praepositus Provinciae Belgicae

IMPRIMATUR

Mechliniae, die 5 Novembris 1918

E. VAN ROEY, Vic. Gen.

PRAEFATIO

Quod ipsa operis inscriptione nuntiare visi sumus id re vera conati sumus praestare, ut in hac lucubratione qualicumque nostra, lectores breviore via quam ipsum codicem officialem adeundo, et clariore intellectu potissimas partes novi iuris canonici sibi familiares efficere possent.

Breviore, inquam, *via* : quare *Summam* Codicis proposuimus, quamvis, ubi vel rei momentum, vel explicationis utilitas, vel ipsius legislatoris brevitas in dicendo id suaderent, multa legis verba et integras sententias referre nos non piguerit.

Clariore intellectu : cum enim res id postularet, verba canonum exponere, praescripta, adductis exemplis, allegatis superioris iuris sanctionibus, illustrare non omisimus, ac variis dubiis responsionem quam vires et adiuncta sinebant non negavimus.

Illud, hac de re, notandum est, fieri posse ut instituta ad interpretandos canones Commissio eam, ex auctoritate Sanctissimi, quibusdam canonibus significationem tribuat quam privatus interpres nec proponere, immo nec coniectura perspicere poterat.

Quocirca etiam, nisi plurimorum votum et imminens dies qua novum ius vim suam habiturum sit nos hortaretur ut maiorem praesentis utilitatis quam absolutae perfectionis rationem haberemus, satius fuisset opus ipsum in id tempus differre quo maturiore consilio et minus praepropere illud conscribere licuisset. Si itaque benevolus lector non nulla deprehenderit, in ipsa executione, necessariae festinationis vestigia, haec excusare ne renuat velimus. Ceterum, ascitis peritis viris qui operam suam nobis polliceri iam voluerunt, pleniores commentarios opportuno tempore publici iuris facere nobis in animo est.

Porro, copioso indice alphabetico, quo v. g. partes Ordinarii loci, parochi, Superioris religiosi etc. synoptice exhibentur, Summam nostram ad commodiorem et uberiorem usum aptare studuimus.

Proprios autem commentarios minoribus litteris quam ipsa leges exhibere curavimus. Saepe tamen, ubi desunt signa « », sanctiones legales aliis verbis atque in ipso Codice proposuimus. Quae autem his signis « » includuntur authentica verba continent, si breves explicationes demas quae tunc inter parvos uncos [ ] interponuntur.

Suscepti porro operis inter utrumque nostrum dividendi haec ratio inita est quam subiecta tabella indicat.

P. Creusen proposuit : canones 108-681 (De clericis in genere et in specie ; de religiosis) ; 983-991 (De irregularitatibus) ; 1012-1153 (De matrimonio ; de sacramentalibus) ; 1203-1242 (De sepultura ecclesiastica) ; 1384-1405 (De censura et prohibitione librorum) ; 2142-2194 (De processibus quibusdam specialibus) ; 2195-2414 (L. V. De delictis et poenis).

P. Vermeersch vero, praeter introductionem generalem, exposuit canones 1-86 (L. I. Normae generales) ; 87-107 (De personis) ; 682-725 (De laicis) ; 726-983 ; 992-1011 ; 1154-1202 ; 1243-1383 ; 1406-1551 (L. III. De rebus, exceptis irregularitatibus, matrimonio, censura et prohibitione librorum, sepultura ecclesiastica) ; 1552-2141 (L. IV. De processibus, excepta parte tertia).

Optandum restat ut, Deo auxiliante, humilis ista summa nostra sacram disciplinae ecclesiasticae causam aliquantisper promoveat, quod D. O. M. acceptum et Ecclesiae universae ac fidelibus fructuosum fore ambigendum non est.

Adiunctis peculiaribus adducti sumus ut editori nostro permitteremus opus nostrum emendatius at non auctius statim iterum typis mandare. Amotis mendis, paucissimae quaedam sententiae sive ex collatis cum viris peritis consiliis sive ex novis responsis S. Sedis mutatae sunt. Indicem addidimus *censurarum latae sententiae* quae nunc vigent. Mutationes praesertim inveniuntur nn. 126. 180. 184. 189. 190. 205. 220. 225. 242. 452. 488. 500. 654. 660. 673.

SIGNA

A. A. S. = Acta Apostolicae Sedis, commentarium officiale.
A. S. S. = Acta S. Sedis, libellus periodicus.
Anal. ecc. = Analecta ecclesiastica.
de Rel. = A. Vermeersch, S. I. De religiosis institutis et personis. t. I, 2ª ed. t. II, 4ª ed.
Per. = *De religiosis et missionariis*, Periodica edit A. Vermeersch, S. I.
Coll. P. F. = Collectanea S. Cong. de Propaganda Fide.

CORRIGENDA

N° 20 - d) 4° l. exeunte *lege* ineunte.
N° 20, 3, c. decennium ad appellandum *lege :* decendium.

SUPPLEMENTUM

N° 20, 3. **Ex** can. 34 4°, colligitur *diem eiusdem numeri* esse diem qui eundem *numerum* in mense vel hebdomada habeat ; *ultimus* eiusdem numeri dies habebitur quando plures anni vel menses decurrere debent. Attamen, can. 34, 3 duo exempla allegantur " *octiduum a vacatione; decendium ad appellandum*, „ ubi dies qui eundem numerum habeat prorsus deficit. Tunc, ex analogia, dicemus sic : ne computetur dies quo sedes vacavit, quo sententia lata est : et dein octo vel decem dies pleni numerentur : expleto octavo vel decimo, tempus elapsum erit.

N° 89, *adde :* Sacerdos qui conscius defectus iurisdictionis, paenitentem absolvit in errore communi (nisi ipsa necessitate excusetur), re vera sine necessaria iurisdictione confessiones audire praesumit. Quare est ipso facto suspensus a divinis (c. 2366). Qui de lege propter ignorantiam suam dubitat, uti nequit c. 209 ; requiritur enim dubium positivum et probabile.

N° 109, *adde :* suppressi Motu propr. « Quanta semper cura » d. 16 ian. 1914. A. A. S. VI (1914) p. 25 ss.

N° 170 *adde :* In Belgio Carmelitae in Moniales sui ordinis ex concessione Episcoporum iurisdictionem exercent.

Dispensationes a iure communi religiosorum sodales congregationum iuris dioecesani non ab episcopis sed a S. Sede petere debent. (cf. c. 10. n. 13).

N° 172 *adde :* Superiores religionum iuris pontificii et societatum quarum mentio fit tit. 17 huius libri, emendationes constitutionum et regularum una cum proxima de statu religionis relatione S. C. *de Religiosis* subicient. (Decr. 26 iun. 1918. A. A. S. X (1918) p. 290).

N° 177, b Superiores munere iam fungentes tempore promulgati Codicis non videntur loco movendi si praescriptas conditiones aetatis et professionis non expleant.

N° 184, *adde :* In religione laicali virorum deputetur confessarius ordinarius et extraordinarius. (c. 528)

N° 197. *Invalide* ad noviciatum admittuntur : « qui sectae acatholicae adhaeserunt; qui decimum quintum aetatis annum nondum expleverunt ; qui religionem ingrediuntur vi, metu gravi aut dolo inducti, vel quos Superior eodem modo inductus recipit ; coniux durante matrimonio ; qui obstringuntur vel obstricti fuerunt

vinculo professionis religiosae ; episcopus sive residentialis sive titularis, licet a Romano Pontifice tantum designatus ; clerici qui ex instituto S. Sedis iure iurando tenentur operam suam navare in bonum suae dioecesis vel missionum, pro eo tempore quo iurisiurandi obligatio perdurat » c. 542. (De his cf. supplem. n. 401, 3)

NN. 209. 210. Videntur abrogatae constitutiones quae *primam* professionem quinque annorum omnibus praescribunt.

Ii tantum novicii qui ante decimum octavum aetatis annum vota emittunt, professionem ad quadriennium vel quinquennium statim valituram facere possunt.

N° 215. Vitae communi repugnare videtur ut religiosi dominium retineant in res, quas ad usum privatum habeant. Ita enim ne virtualiter quidem ipsis a communitate praestantur.

N° 240. Supremus moderator (vel Antistita generalis) congregationis iuris pontificii assensu episcopi non indiget ut sodalem, expleto professionis temporariae spatio, ob rationabilem causam dimittat.

N° 317. 2. Privilegium ; his verbis est concessum : « Ut in omnibus et singulis sacrarum virginum monasteriis clausurae lege subiectis aliisque religiosis institutis, piis domibus et clericorum seminariis publicum aut privatum oratorium habentibus cum facultate sacras species habitualiter ibidem asservandi, sacra nocte Nativitatis D. N. I. X. tres rituales missae, vel etiam, pro rerum opportunitate una tantum, servatis servandis, posthac in perpetuum quotannis celebrari sanctaque communio omnibus pie petentibus ministrari queat. Devotam vero huius vel harum missarum auditionem omnibus astantibus ad praecepti satisfactionem valere eadem Sanctitas sua expresse declarari mandavit. »

Ex declar. S. Officii, 26 nov. 1908 ianuae oratorii vel ecclesiae religiosorum non possunt aperiri ut fidelibus *omnibus* ad has missas *promiscuus* sit aditus.

N° 401. *adde :* 3. Titulo *servitii dioecesis* ordinati ex c. 981 iurata perpetui servitii dioecesis promissione tenentur. Inter eos tamen computandi non videntur qui « ex instituto S. Sedis iureiurando tenentur operam suam navare in bonum suae dioecesis » per aliquod tempus (cf. c. 542, 1°) ; agitur enim in c. 542, 1° de illis alumnis qui in quibusdam Urbis collegiis hanc promissionem habent distinctam a titulo ordinationis. Quare priorum ingressus in noviciatum non fuerit invalidus.

N° 427, 4, c. Impedimentum natura sua publicum, etsi facto occultum, pro publico habetur (Gasp. De matrim. I². n. 252). Attamen si ob adiuncta extraordinaria impedimentum natura sua publicum nullo modo in foro externo probari possit, simpliciter occultum dicendum sit.

N° 440. *adde :* Si tamen vir filiam quam ex copula cum muliere alii nupta habuerit, ignorans suam esse, velit ducere, hunc incestum impediendi medium non praebent novae formae horum impedimentorum, nisi parentes in concubinatu publico vixerint. Sed cf. C. 1076, § 3.

N. 455. Matrimonia nulla ob impedimenta (v. g. affinitatem ex copula illicita) quae d. 19 maii 1918 cessarunt, sola perseverantia consensus naturalis convalidari quidam putant (I. Salsmans, S. I., *Variationes*, n. 537). Collatione tamen novi iuris cum veteri et sententia peritorum canonistarum freti *novum* consensum partis impedimenti consciae ad convalidandum matrimonium necessarium potius arbitramur.

INDEX ANALYTICUS

Numeri intra ( ) positi Canones Codicis designant

INTRODUCTIO GENERALIS — Pag. 1

LIBER PRIMUS

Normae generales (1-86)

Quam late, quam exclusive vigeat novus Codex (1-7) — 5
Tit. I. - *De legibus ecclesiasticis* (8-24) — 6
Tit. II. - *De consuetudine* (25-30) — 8
Tit. III. - *De temporis supputatione* (31-35) — 9
Tit. IV. - *De rescriptis* (36-62) — 10
Tit. V. - *De privilegiis* (63-79) — 12
Tit. VI. - *De dispensationibus* (80-86) — 13

LIBER SECUNDUS

De Personis (87-725)

Notiones generales de personis, earumque distributione, divisione, actibus et ordine (87-107) — 14

PARS PRIMA

DE CLERICIS (108-486)

SECTIO I. - **De clericis in genere** (108-214)

Tit. I. - *De clericorum ascriptione alicui dioecesi* (111-117) — 19
Tit. II. - *De iuribus et privilegiis clericorum* (118-123) — 19
Tit. III. - *De obligationibus clericorum* (124-144) — 20
Tit. IV. - *De officiis ecclesiasticis* (145-195) — 21
Cap. I. - De provisione officiorum ecclesiasticorum (147-182) — 21
Art. I. - De libera collatione (152-159) — 21
Art. II. - De electione (160-178) — 22
Art. III. - De postulatione (179-182) — 23
Cap. II. - De amissione officiorum ecclesiasticorum (183-195) — 24
Tit. V. - *De potestate ordinaria et delegata* (196-210) — 24
Tit. VI. - *De reductione clericorum ad statum laicalem* (211-214) — 26

SECTIO II. - **De clericis in specie** (215-486)

De divisione territorii ecclesiastici (215-217)
Tit. VII. - *De suprema potestate deque iis qui eiusdem sunt ecclesiastico iure participes* (218-328)
Cap. I. - De Romano Pontifice (218-221) — 26
Cap. II. - De Concilio oecumenico (222-229) — 27
Cap. III. - De S. R. E. Cardinalibus (230-241) — 27
Cap. IV. - De Curia Romana (242-264) — 27

PAG.

ART. I. - De Sacris Congregationibus (246-257) 28
ART. II. - De Tribunalibus Curiae Romanae (258-259) 30
CAP. V. - De Legatis Romani Pontificis (265-270) 30
CAP. VI. - De Patriarchis, Primatibus, Metropolitis (271-280) 31
CAP. VII. - De Conciliis plenariis et provincialibus (281-292) 31
CAP. VIII.- De Vicariis et Praefectis Apostolicis (293-311) 32
CAP. IX. - De Administratoribus Apostolicis (312-318) 32
CAP. X. - De Praelatis inferioribus (319-328) 32
TIT. VIII. - *De potestate episcopali deque iis qui de eadem participant* (329-486) 32
CAP. I. - De Episcopis (329-349) 32
CAP. II. - De Coadiutoribus et Auxiliaribus episcoporum (350-355) 33
CAP. III. - De Synodo dioecesana (356-362) 34
CAP. IV. - De Curia dioecesana (363-365) 34
ART. I. - De Vicario generali (366-371) 34
ART. II. - De Cancellario aliisque Notariis et archivio episcopali (372-384) 35
ART. III. - De Examinatoribus synodalibus et parochis consultoribus (385-390) 35
CAP. V. - De Capitulis canonicorum (391-422) 35
CAP. VI. - De Consultoribus dioecesanis (423-428) 37
CAP. VII. - De sede impedita aut vacante ac de Vicario capitulari (429-444) 38
CAP. VIII. - De Vicariis foraneis (445-450) 38
CAP. IX. - De Parochis (451-470) 38
CAP. X. - De Vicariis paroecialibus (471-478) 39
CAP. XI. - De ecclesiarum Rectoribus (479-486) 40

PARS SECUNDA

DE RELIGIOSIS (487-681)

TIT. IX. - *De erectione et suppressione religionis, provinciae, domus* (492-498) 42
TIT. X. - *De religionum regimine* (499-537) 43
CAP. I. - De Superioribus et de Capitulis (499-517) 43
CAP. II. - De Confessariis et Cappellanis (518-530 44
CAP. III. - De bonis temporalibus eorumque administratione (531-537) 47
TIT. XI. - *De admissione in religionem* (538-586) 47
CAP. I. - De postulatu (539-541) 47
CAP. II. - De noviciatu (542-571 48
ART. I. - De requisitis ut quis in noviciatum admittatur (542-552) 48
ART. II. - De noviciorum institutione (553-571) 49
CAP. III. De professione religiosa (572-586) 51
TIT. XII. - *De ratione studiorum in religionibus clericalibus* (587-591) 52
TIT. XIII. - *De obligationibus et privilegiis religiosorum* (592-631) 53
CAP. I. - De obligationibus (592-612) 53
CAP. II. - De privilegiis (613-625) 54
CAP. III. - De obligationibus et privilegiis religiosi ad ecclesiasticam dignitatem promoti vel paroeciam regentis (626-631) 55
TIT. XIV. - *De transitu ad aliam religionem* (632-636) 55

Pag.
Tit. XV. - *De egressu e religione* (637-645) 56
Tit. XVI. - *De dimissione religiosorum* (646-672) 57
Tit. XVII. - *De societatibus sive virorum sive mulierum in communi viventium sine votis* (673-681) 60

PARS TERTIA

DE LAICIS (682-725)

Tit. XVIII. - *De fidelium associationibus in genere* (684-699) 61
Tit. XIX. *De fidelium associationibus in specie* (700-725) 64
Cap. I. De Tertiis Ordinibus saecularibus (702-706) 65
Cap. II. - De confraternitatibus et piis unionibus (707-725) 65
Regulae communes 65
Regulae propriae confraternitatum 66
Regulae propriae sodaliciorum et piarum unionum 67
De Archiconfraternitatibus et primariis unionibus 67

LIBER TERTIUS

De rebus (726-1551)

Praefatio de simonia (726-730) 69

PARS PRIMA

DE SACRAMENTIS (731-1153)

Tit. I. - *De Baptismo* (737-779) 71
Cap. I. - De ministro baptismi (738-744) 71
Cap. II. - De baptismi subiecto (745-754) 71
Cap. III. - De ritibus et caerimoniis baptismi (755-761) 73
Cap. IV. - De patrinis (762-769) 74
Cap. V. - De tempore et loco baptismi conferendi (770-776) 76
Cap. VI. - De collati baptismi annotatione et probatione (777-779) 76
Tit. II. - *De Confirmatione* (780-800) 77
Cap. I. - De ministro confirmationis (782-785) 77
Cap. II. - De subiecto confirmationis (786-789) 78
Cap. III. - De tempore et loco confirmationis conferendae (790-792) 78
Cap. IV. - De patrinis (793-797) 78
Cap. V. - De collatae confirmationis annotatione et probatione (798-800) 79
Tit. III. - *De sanctissima Eucharistia* (801-869) 79
Cap. I. - De sacrosancto Missae sacrificio (802-844) 79
Art. I. - De sacerdote Missae sacrificium celebrante (802-813) 79
Art. II. - De Missae ritibus et caerimoniis (814-819) 81
Art. III. - De tempore et loco Missae celebrandae (820-823) 81
Art. IV. - De Missarum eleemosynis seu stipendiis (824-844) 82
Cap. II. - De sanctissimo Eucharistiae sacramento (845-869) 86
Art. I. - De ministro sacrae communionis (845-852) 86
Art. II. - De subiecto sacrae communionis (853-866) 87

Pag.

Art. III. - De tempore et loco quo sacra communio distribui potest (867-869) 91
Tit. IV. - *De Paenitentia* (870-936) 92
Cap. I. - De ministro sacramenti paenitentiae (871-892) 92
Cap. II. - De reservatione peccatorum (893-900) 98
Cap. III. - De subiecto sacramenti paenitentiae (901-907) 100
Cap. IV. - De loco ad confessiones excipiendas (908-910) 101
Cap. V. - De indulgentiis (911-936) 101
Art. I. - De indulgentiarum concessione (911-924) 101
Art. II. - De indulgentiis acquirendis (925-936) 104
Tit. V. - *De Extrema-Unctione* (937-947) 106
Tit. VI. - *De Ordine* (948-1011) 107
Introductio 107
Cap. I. - De ministro sacrae ordinationis (951-967) 107
Cap. II. - De subiecto sacrae ordinationis (968-991) 109
Art. I. - De requisitis in subiecto sacrae ordinationis (973-982) 109
Art. II. - De irregularitatibus aliisque impedimentis (983-991) 110
Cap. III. - De iis quae sacrae ordinationi praeire debent (992-1001) 114
Cap. IV. - De ritibus et caerimoniis sacrae ordinationis (1002-1005) 117
Cap. V. - De tempore et loco sacrae ordinationis (1006-1009) 117
Cap. VI. - De annotatione ac testimonio peractae ordinationis (1010-1011) 118
Tit. VII. - *De Matrimonio* (1012-1143) 119
Cap. I. - De iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent et praesertim de publicationibus matrimonialibus (1019-1034) 119
Cap. II. - De impedimentis in genere (1035-1057) 121
Cap. III. - De impedimentis impedientibus (1058-1066) 124
Cap. IV. - De impedimentis dirimentibus (1067-1080) 125
Cap. V. - De consensu matrimoniali (1081-1093) 128
Cap. VI. - De forma celebrationis matrimonii (1094-1103) 128
Cap. VII. - De matrimonio conscientiae (1104-1107) 131
Cap. VIII. - De tempore et loco celebrationis matrimonii (1108-1109) 131
Cap. IX. - De matrimonii effectibus (1110-1117) 131
Cap. X. - De separatione coniugum (1118-1132) 132
Art. I. - De dissolutione vinculi (1118-1127) 132
Art. II. - De separatione tori, mensae et habitationis (1128-1132) 133
Cap. XI. - De matrimonii convalidatione (1133-1141) 133
Art. I. - De convalidatione simplici (1133-1137) 133
Art. II. - De sanatione in radice (1138-1141) 133
Cap. XII. - De secundis nuptiis (1142-1143) 134
Tit. VIII. - *De Sacramentalibus* (1144-1153) 134

PARS SECUNDA

DE LOCIS ET TEMPORIBUS SACRIS (1154-1254)

SECTIO I. - De locis sacris (1154-1242)

Introductio 135
Tit. IX. - *De ecclesiis* (1161-1187) 135
Tit. X. - *De oratoriis* (1188-1196) 138
Tit. XI. - *De altaribus* (1197-1202) 140
Tit. XII. - *De sepultura ecclesiastica* (1203-1242) 140

PAG.

CAP. I. - De coemeteriis (1205-1214) 140
CAP. II. - De cadaveris translatione ad ecclesiam, funere ac depositione (1215-1238) 141
CAP. III. - De iis quibus sepultura ecclesiastica concedenda est aut neganda (1239-1242) 142

SECTIO II. - **De temporibus sacris** (1243-1254)

Introductio (1243-1246) 143
TIT. XIII. - *De diebus festis* (1247-1249) 144
TIT. XIV. - *De abstinentia et ieiunio* (1250-1254) 145

PARS TERTIA

DE CULTU DIVINO (1255-1321)

Introductio (1255-1264) 148
TIT. XV. - *De custodia et cultu sanctissimae Eucharistiae* (1265-1275) 149
TIT. XVI. - *De cultu Sanctorum, sacrarum imaginum, et reliquiarum* (1276-1289) 150
TIT. XVII. - *De sacris processionibus* (1290-1295) 151
TIT. XVIII. - *De sacra supellectili* (1296-1306) 152
TIT. XIX. - *De voto et iureiurando* (1307-1321) 153
CAP. I. - De voto (1307-1315) 153
CAP. II. - De iureiurando (1316-1321) 154

PARS QUARTA

DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO (1322-1408)

TIT. XX. - *De divini verbi praedicatione* (1327-1351) 157
CAP. I. - De catechetica institutione (1329-1336) 157
CAP. II. - De sacris contionibus (1337-1348) 157
TIT. XXI. - *De seminariis* (1352-1371) 159
TIT. XXII. - *De scholis* (1372-1383) 160
TIT. XXIII. - *De praevia censura librorum eorumque prohibitione* (1384-1405) 160
CAP. I. - De praevia librorum censura (1385-1394) 161
CAP. II. - De prohibitione librorum (1395-1405) 163
TIT. XXIV. - *De fidei professione* (1406-1408) 166

PARS QUINTA

DE BENEFICIIS ALIISQUE INSTITUTIS ECCLESIASTICIS NON COLLEGIALIBUS (1409-1494)

TIT. XXV. - *De beneficiis ecclesiasticis* (1409-1488) 168
TIT. XXVI. - *De aliis institutis ecclesiasticis non collegialibus* (1489-1494) 170

PARS SEXTA

DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS (1495-1551)

TIT. XXVII. - *De bonis ecclesiasticis acquirendis* (1499-1517) 172
TIT. XXVIII. - *De bonis ecclesiasticis administrandis* (1518-1528) 176
TIT. XXIX. - *De contractibus* (1529-1543) 177
TIT. XXX. - *De piis fundationibus* (1544-1551) 180

LIBER QUARTUS

De processibus (1552-2194)

PARS PRIMA

DE IUDICIIS (1552-1998)

Pag.

(Titulorum IV, VI-XIII ; XVI ; XVIII omissa est summa)
Tit. I. - *De foro competenti* (1556-1568) 181
Tit. II. - *De variis tribunalium gradibus et speciebus* (1569-1607) 182
Tit. III. - *De disciplina in tribunalibus servanda* (1608-1645) 183
Tit. V. - *De actionibus et exceptionibus* (1667-1705) 184
Tit. XIV. - *De iuris remediis contra sententiam* (1878-1901) 184
Tit. XV. - *De re iudicata et de restitutione in integrum* (1902-1907) 185
Tit. XVII. - *De exsecutore sententiae* (1917-1924) 185
Tit. XVIII. - *De modis evitandi iudicium contentiosum* 185
Tit. XIX. - *De iudicio criminali* (1933-1959) 186
Tit. XX. - *De causis matrimonialibus* (1960-1992) 186
Tit. XXI. - *De causis contra s. ordinationem* (1993-1998) 187

PARS SECUNDA

DE CAUSIS BEATIFICATIONIS SERVORUM DEI ET CANONIZATIONIS BEATORUM (1999-2141)

(Titulorum XXII-XXVI omissa est summa)

PARS TERTIA

DE MODO PROCEDENDI IN NON NULLIS EXPEDIENDIS NEGOTIIS VEL SANCTIONIBUS POENALIBUS APPLICANDIS (2142-2194)

Normae generales. 188
Tit. XXVII. - *De modo procedendi in remotione parochorum inamovibilium* (2147-2156) 189
Tit. XXVIII. - *De modo procedendi in remotione parochorum amovibilium* (2157-2161) 189
Tit. XXIX. - *De modo procedendi in translatione parochorum* (2162-2167) 190
Tit. XXX. - *De modo procedendi contra clericos non residentes* (2168-2175) 190
Tit. XXXI. - *De modo procedendi contra clericos concubinarios* (2176-2181) 191
Tit. XXXII. - *De modo procedendi contra parochum in adimplendis paroecialibus officiis negligentem* (2182-2185) 191
Tit. XXXIII. - *De modo procedendi in suspensione ex informata conscientia infligenda* (2186-2194) 191

LIBER QUINTUS

De delictis et poenis (2195-2414)

PARS PRIMA

DE DELICTIS (2195-2213)

	Pag.
Tit. I. - *De natura delicti eiusque divisione* (2195-2198)	193
Tit. II. - *De imputabilitate delicti, de causis illam aggravantibus vel minuentibus et de iuridicis delicti effectibus* (2199-2211)	194
Tit. III. - *De conatu delicti* (2212-2213)	195

PARS SECUNDA

DE POENIS (2214-2313)

SECTIO I. - **De poenis in genere** (2214-2240)	195
Tit. IV. - *De poenarum notione, speciebus, interpretatione atque applicatione* (2215-2219)	195
Tit. V. - *De Superiore potestatem coactivam habente* (2220-2225)	196
Tit. VI. - *De subiecto coactivae potestati obnoxio* (2226-2235)	197
Tit. VII. - *De poenarum remissione* (2236-2240)	197
SECTIO II. - **De poenis in specie** (2241-2313)	198
Tit. VIII. - *De poenis medicinalibus seu de censuris* (2241-2285)	198
Cap. I. - De censuris in genere (2241-2254)	198
Cap. II. - De censuris in specie (2255-2285)	200
Art. I. - De excommunicatione (2257-2267)	200
Art. II. - De interdicto (2268-2277)	201
Art. III. - De suspensione (2278-2285)	201
Tit. IX. - *De poenis vindicativis* (2286-2305)	202
Cap. I. - De poenis vindicativis communibus (2291-2297)	202
Cap. II. - De peculiaribus clericorum poenis vindicativis (2298-2305)	203
Tit X. - *De remediis poenalibus et paenitentiis* (2306-2313)	203
Cap. I. - De remediis poenalibus (2306-2311)	203
Cap. II. - De paenitentiis (2312-2313)	204

PARS TERTIA

DE POENIS IN SINGULA DELICTA (2314-2414)

(Tit. XI-XIX)

De delictis quae excommunicatione l. s. plectuntur	204
De delictis quae infamia aut exclusione ab actibus legitimis plectuntur	207
De delictis quae poenis f. s. plectuntur	208
De delictis quibusdam quorum poena est mutata	208
Index censurarum latæ sententiae.	223

INTRODUCTIO GENERALIS

Brevis historia Codicis: Praeparatio.

1. - Die 19 martii 1904, sub auspiciis eius patroni (expresse enim addidit « die festo S. Ioseph »), S. P. Pius X, s. m. Motu proprio *Arduum sane munus,* commissionem pontificiam instituit cui opus commisit immensum, magnopere expetitum, partialibus collectionibus inchoatum, procurandi « ut universae Ecclesiae leges, ad haec usque tempora editae, lucido ordine digestae, in unum colligerentur, amotis inde quae abrogatae essent aut obsoletae, aliis, ubi opus fuerit, ad nostrorum temporum condicionem propius aptatis ». Cuius negotii principaliores partes magna constantia assumpsit et, teste ipso SS. Domino in allocutione consistoriali 4 dec. 1916, meritum sibi comparavit Ill. D. nunc Eminentissimus S. R. E. Cardinalis Gasparri, qui consultorum coetui praefuit, dum ipse S. Pontifex se commissionis praesidem designavit.

Promulgatio.

2. - Post multa rogata et collata consilia, « Tum demum, sic SS. Dominus Benedictus XV, novum totius canonici iuris Codicem, iam pridem in ipso Concilio Vaticano a pluribus sacrorum antistitibus expetitum, et abhinc duodecim solidos annos inchoatum, in omnes suas partes recognovimus, approbavimus, ratum habuimus.

« Itaque.... Constitutione hac Nostra, quam volumus perpetuo valituram, praesentem Codicem, sic ut digestus est, *promulgamus, vim legis posthac habere pro universa Ecclesia decernimus, iubemus.* » (C. *Providentissima Mater,* festi diei Pentecostes, i. e. 27 maii, 1917.)

Exterior Codicis ordo.

3. - Ipsi authenticae collectioni Constitutio *Providentissima,* qua promulgatur, et formula professionis fidei praeponuntur.

Codex dein in quinque *libros* distribuitur, qui, excepto primo, paucis componuntur *partibus.* Plures praeterea partes *sectionibus* distinguuntur. Omnes autem libri vel partes aut sectiones in plures *titulos* partiuntur qui, prout res postulat, plura *capita* et *articulos* continent. Opus denique totum, instar aliorum Codicum nostrae aetatis, continua et numerata serie *canonum* (seu regularum aut legum) exhibetur. Qui canones sunt numero 2414.

Non raro, ante librorum partes, sectiones aut titulos, ponuntur, nulla praemissa inscriptione, non nulli canones quibus argumentum praeparatur aut inducitur.

Itaque libri et partes sic synoptice proponi possunt[2]:

Liber I. Normae generales

Liber II. De Personis
1. De clericis.
2. De religiosis.
3. De laicis.

Liber III. De Rebus	1. De sacramentis. 2. De locis et temporibus sacris. 3. De cultu divino. 4. De magisterio ecclesiastico. 5. De beneficiis aliisque institutis ecclesiasticis non collegialibus. 6. De bonis Ecclesiae temporalibus.
Liber IV. De Processibus	1. De iudiciis. 2. De causis beatificationis servorum Dei et canonizationis Beatorum. 3. De modo procedendi in non nullis expediendis negotiis vel sanctionibus poenalibus applicandis.
Liber V. De Delictis et Poenis	1. De delictis. 2. De poenis. 3. De poenis in singula delicta.

Demum, ad calcem Codicis, octo documenta ponuntur quae ad electionem S. Pontificis et administrationem Ecclesiae vacante Sede, ad provisionem parochiarum, ad abusum sacramenti paenitentiae per sollicitationem, atque ad usum privilegii fidei a neo-conversis attinent.

Finis novi Codicis.

4. - Tum ex Motu proprio 19 martii 1904, tum ex allocutione consistoriali 4 dec. 1916, tum ex Constitutione *Providentissima*, is finis fuit condendi novi Codicis, ut difficultati cognoscendi multas leges disiunctas et dispersas et exsequendi leges iam minus cum tempore praesenti congruentes occurreretur.

Quare, in Codice habemus, ut ipsa declaravit S. C. *de Seminariis et de Studiorum Universitatibus*, « authenticum et unicum iuris canonici fontem », quo uno, tum in disciplina ecclesiastica moderanda, tum in iudiciis et scholis utendum est.

Quomodo perpetuitati utilitatis consultum sit.

5. - Motu proprio autem 15 sept. 1917, perpetuitati istius utilitatis sapienter hoc modo est prospectum. Si quando novum decretum generale condatur, *Consilium ad novos canones interpretandos*, eodem Motu proprio constitutum, legem istam ad formam canonis vel canonum rediget, indicabitque, pro casu, quibusnam canonibus novi canones vel sufficiendi sint vel subiungi debeant, numero canonis qui proxime antecedit, *bis*, *ter*, repetito, « ne canon sede sua moveatur ullus, aut numerorum series quoquo pacto perturbetur ». (Acta Ap. Sedis, t. 9 (1917), p. 484.)

Initium obligationis.

6. - 1. Ita Codex est promulgatus, ut a die Pentecostes 1918 (id est, 19 maii) *sic ut digestus est, vim legis posthac habere pro universa Ecclesia incipiat.* (Constitutio *Providentissima Mater.*)

Ex c. 34 § 3, 2°, ab initio istius diei vigebit.

Jam vigentes canones.

2. Interea tamen, id postulantibus pluribus episcopis aliisve locorum Ordinariis per litteras *Secretariae Status*, 20 aug. 1917, nuntiatum est ex hoc ipso die (id est, 20 aug.) vim habere :

a) Canonem 859, 2, quo Ordinariis facultas fit « si ita personarum

ac locorum adiuncta exigant », tempus paschale anticipandi a quarta dominica Quadragesimae (*Laetare*) et prorogandi ad festum (inclusive) SS. Trinitatis ;

b) Can. 1108, § 3, quo facultas fit Ordinariis permittendi ex iusta causa sollemnem nuptiarum benedictionem, etiam tempore clauso ;

c) Canonem 1247, § 1, catalogum continentem universalem festorum de praecepto ;

d) Canones 1250-1254, praescripta de abstinentia et ieiunio explicantes ;

e) Canones 239, § 1 ; 240 ; 600, n. 3 ; 1189 ; 1401, varia privilegia Cardinalibus conferentes. (A. A. S. t. 9 (1917), p. 475.)

Mendae corrigendae.

7. - Litteris autem 17 octobris 1917, *Secretaria Status*, ex auctoritate SS. Domini, mendas quasdam, quae in officiali editione irrepserant, auctoritate Sanctissimi corrigendas dixit : quarum correctionum rationem habuimus.

Ordo Codicis servandus in scholis et libris.

8. - Decreto supra memorato 7 aug. 1917, S. C. *Seminariorum et de Studiorum Universitatibus*, eum honorem dispositioni et ordini Codicis deferri iubet, ut in scholis quae *textus* dicebantur, ipso Codicis ordine ac titulorum capitumque serie religiosissime servata, singuli canones diligenti analysi alumnis explicentur : quodsi doctoribus placuerit iisdem librum manualem tradere, « non eius libri ordini ordo Codicis sed huic ille aptetur et accommodetur ».

Schola *textus* opponebatur scholae *institutionum*, neque in seminariis exsistere consuevit, sed fere propria est lycaeorum seu Universitatum, cum in illa schola « ius canonicum penitus copioseque » praelegatur.

Inde etiam colligimus, professores et doctores invitari ut commentariis Codicem adornent, nedum, sicut de concilio Tridentino cautum fuit, commentariis ex professo faciendis prohibeantur.

Novi Codicis momentum, utilitas, notae peculiares

9. - De insigni monumento quod sollicitudo supremi Pastoris Ecclesiae dedit iudicium ferre proprie nostrum non est, nec tempus nec locus sinunt ut completum feratur.

Licet tamen nobis momentum indicare rei quae non fidelium tantum sed etiam acatholicorum oculos percellit. Quanto plausu exceptum, quam diuturna utilitate fori et scholarum comprobatum olim fuit opus quo GRATIANUS (saec. XII) infinite multos canones ad systematicam unitatem et concordiam revocare aggressus est! *Decretum* tamen *Gratiani* (sic vocari consuevit) non fuit nisi collectio privata, dum nunc, in simili confusione et multitudine legum, succedit Codex planc authenticus, qui, ipsa forma et figura, varios Codices civiles fere omnium gentium excultarum imitatur.

Nec iam, ut leges Tridentinae, partem tantum disciplinae ecclesiasticae exhibet; sed universale regimen ecclesiasticum personarum et

rerum complectitur, ita ut disciplina moraliter omnis ex Codice eruenda sit.

Ab ipso itaque Codice nova iuris ecclesiastici aetas initium ducit ; nec erraverunt qui dixerunt nihil a pluribus saeculis in historia iuris evenisse praestantius, utilius, fecundius.

Licebit etiam gratum animum reddere quo monumentum istud, Ecclesiae gloriosum, tamquam beneficium e munifica Pontificis manu excipere debemus.

Pro iure enim confuso, obtinemus ordinatum ; pro dubio atque obscuro, perspicuum et certum ; pro antiquato, modernae aetati consentaneum ; immo, id addere etiam fas sit, pro impedito et interdum valde minuto seu circa res tenues moranti, nobis obtingit iam expeditum et magis ad universalis legis rationem accommodatum. Compares, v. g. multa quae particulariter ubique observanda praecipiebantur in recipiendis noviciis, in administratione oeconomica religiosorum, cum paucis praescriptis quae de iisdem argumentis in Codice exstant. Perspicuitati dictorum variae Codicis definitiones non parum consulunt quibus, quod verba significant, quaenam principia in re appellanda sint, clare explicatur.

Pluribus autem controversiis is finis imponitur ut benignior sententia iam sit canonizata. Sic, v. g. error communis etiam sine titulo iurisdictionem supplere dicitur ; certa redditur iurisdictio non tantum in probabili iuris sed etiam in probabili facti dubio.

Non solum forma exteriore et pluribus dispositionibus Codex ius civile hodiernum imitatur, sed etiam, quod nulla lex canonica hactenus expresse fecerat, legibus hodiernis, in variis saltem punctis (v. g. c. 1508, de praescriptione ; c. 1529, de contractibus) vim tribuit supplendi legis canonicae silentium, et sic confirmat sententiam quorundam qui canonizationem huiusmodi, civili iuri romano concessam, ad ius nostrum modernum traducebant (1).

Hac denique mente compositus videtur, ut multa facilitate et libertate data usus fori interni omnibus planior atque expeditior evadat et quidquid odiosum sapere possit ab hoc foro exsulet, foro autem externo et iudiciali ecclesiae verus splendor addatur. Quare, omnis ordo processus iudicialis accurate descriptus est ; ac primum exemplum reperimus systematicae synthesis delictorum et poenarum qualis libro V proponitur.

---

(1) D'ANNIBALE, t. 1, n. 201, qui laudatur in relatione recentis causae Biturgen. « Locationis », a *S. Rota* decisae 30 maii 1917, n. 23. (A. A. S. t. 9 (1917), p. 549. 550.

LIBER PRIMUS

NORMAE GENERALES

Quam late, quam exclusive vigeat novus Codex

(cc. 1-7)

Normarum notio.

10. - Authentici Codicis interpreti subsidia quaedam opportunissime suppeditantur ad plures quaestiones solvendas quae frequentissime vel immo quasi perpetuo recurrunt. Utilitatem istam ipsis praestare intendit Legislator, dum Codicem suum *a normis generalibus* exorditur, quae ad duplex genus ascribi possunt. Aliae vim universalem aut exclusivam novi Codicis, collatione facta cum iure superiore, propius definiunt et circumscribunt ; aliae, condiciones valoris, efficaciam et durationem fontium iuris tum generalis tum particularis atque etiam dispensationum in iure magis explicant, addita etiam ratione qua tempus supputandum sit.

Normae prioris generis ipsos istius libri titulos praecedunt ; ceterae sex eiusdem libri titulis continentur.

Priores a nobis inscribi posse videntur : *Quam late, quam exclusive vigeat novus Codex.*

Quam late vigeat.

11. - Codex solam *Ecclesiam latinam* respicit, « neque Orientalem obligat, nisi de iis agatur quae ex ipsa rei natura etiam Orientalem afficiunt ». (can. 1.)

Quam exclusive. Quasnam abroget Leges contrarias, Consuetudines contrarias,

1. Codex *abrogat :*

a) *Leges* sive *universales* sive *particulares,* praescriptis huius Codicis *contrarias,* nisi de particularibus legibus aliud expresse caveatur (c. 6, 1);

b) *Consuetudines contrarias,* tam universales quam particulares, quae novis canonibus *expresse* reprobantur, vel non sunt *centenariae* et *immemorabiles.* (c. 5)

Poenas,

c) *Poenas* quaslibet quarum nulla mentio in Codice fiat. (c. 6, 5)

Disciplinares leges.

d) *Disciplinares leges* quae nec explicite nec implicite in Codice continentur. (c. 6, 6)

Leges intellegas universales ; de cetero enim iure particulari valet dictum sub littera a).

Implicite in Codice continentur leges anteriores quae repetuntur vel aliquo praescripto Codicis supponuntur, seu ad quas remittimur. Sic can. 624, de modo quaeritandae stipis, observatas vult instructiones a Sede Apostolica de hac re datas.

Quaenam non abrogantur ?

2. Codex *non abrogat* sed reservat : *Leges liturgicas ; — Conventiones* a S. Sede initas cum variis nationibus ; — *Iura aliis quaesita,* itemque *privilegia* atque *indulta* quae, ab Apostolica Sede personis sive physicis sive moralibus hactenus concessa, in usu sunt nec revocata ; — *Consuetudines* centenarias et immemorabiles quae expresse non reprobantur. (cc. 2-5)

Conventiones absolute confirmantur ; cetera autem, nisi Codicis canonibus expresse corrigantur vel revocentur. De *consuetudinibus* contrariis non abrogatis

potestas fit Ordinariis eas summovendi, immo id facere suadentur, nisi prudentiae causa impediantur. Ipsis itaque silentibus, consuetudines istae tolerantur.

Exceptione librorum liturgicorum decreta S. *Rituum Congregationis*, quae libros istos interpretantur, contineri putamus. Ceterum can. 2 omnes leges liturgicas tamquam vigentes retinet.

Ius *quaesitum* idem est quod ius acquisitum. Iura itaque aliis quaesita ea sunt quæ vi anteriorum legum immediate vel mediate, ut puta ex pactione, ex usu, etc. alicui competunt. Sic ecclesiae etiam non parochiali ius quaesitum esse potest fontis baptismalis; parocho ius quaesitum faciendi exclusive functionem quandam non parochialem; confraternitati, ius quaesitum praecedentiae. (Cfr. cc. 774. 415. 106, 5).

Privilegia sub genere indultorum computantur; sed privilegia magis sunt iuris specialis constitutiva, dum *indulta* quamlibet largitionem designant.

Dubitari potest utrum solae consuetudines quae simul sint centenariae *et* immemorabiles tolerari possint, an alterutra condicio sufficiat. Verba enim « aliae (consuetudines) quae quidem centenariae sint *et* immemorabiles », utramque qualitatem coniungere videntur; sed in aliis Codicis canonibus, v. g. 27 et 30, separantur et iuridice aequiperantur; quare satis esse arbitramur ut consuetudo sit immemorabilis *aut* centenaria.

Vis declarativa veteris iuris.

3. Veteri iuri secum concordanti Codex *vim declarativam* servat Quare, quatenus novum ius cum vetere concordat, est ex veteris iuris auctoritate, secundum receptas iam interpretationes, aestimandum; atque in dubio, concordia ista praesumenda est. (c. 6, 2. 3. 4)

In partibus ergo quae conveniunt cum Codice, ius antiquum confirmatur. Exclusio itaque iuris anterioris partibus contrariis vel Codice non contentis circumscribitur. Pari ratione, Pius IX, C. *Apostolicae Sedis*, voluit ut censurae quas a veteri iure mutuabatur, etiam ex veterum canonum auctoritate vim suam acciperent, dum Leo XIII, C. *Officiorum ac Munerum*, suas leges de prohibitione ac censura librorum ex sola sua promulgatione vim suam haurire declaravit. (Cfr. Opus nostrum *De prohibitione et censura librorum*, ed. 4, n° 20.) Quare Codex minus exclusivus est quam postrema ista Constitutio.

TITULUS I. - DE LEGIBUS ECCLESIASTICIS

(cc. 8-24)

Legum promulgatio,

12. - 1. Nisi alius modus positive praescriptus sit, leges ab Apostolica Sede latae promulgantur per editionem in *Actorum Apostolicae Sedis* commentario officiali.

vacatio.

2. « Vim suam exserunt tantum expletis tribus mensibus a die qui *Actorum* numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent, aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta. » (c. 9)

Ista obligationis dilatio in tres menses, quae legis vacatio dicitur, ita ex c. 34, § 3, 2° supputanda est, ut leges quæ fasciculo 2 novembris continentur, per se, ab initio 2 februarii obligent.

Legum interpretatio.

13. - 1. Lex praesumitur *territorialis* (c. 8), i. e., subditos afficiens et obligans mediante territorio; — respicit « futura, non praeterita,

nisi nominatim in iis de praeteritis caveatur (c. 10) ; — non censetur *irritans* aut *inhabilitans*, nisi *expresse* vel aequivalenter [i. e. quasi expresse] actum nullum aut personam inhabilem statuat (c. 11); — quae poenam decernit aut liberum iurium exercitium coartat, aut exceptionem a lege continet, *strictae* subest interpretationi (c. 19). — In dubio, lex posterior ad priorem trahenda est et huic, quantum fieri potest, concilianda. (c. 23)

2. Interpretatio *authentica*, i. e., quam legislator vel is cui interpretandi auctoritative potestas a legislatore commissa est fecerit, « si verba legis in se certa declaret tantum, promulgatione non eget et valet retrorsum ; si legem coartat vel extendat aut dubiam explicet, non retrotrahitur et debet promulgari. Data per modum sententiae iudicialis aut rescripti in re peculiari, vim legis non habet et ligat tantum personas atque afficit res pro quibus data est ». (c. 17) *Debetne promulgari ?*

Constat itaque iam quod in controversiam veniebat : decreta interpretativa legum dubiarum, non secus ac leges ipsas promulgandas esse, nec casibus promulgationi anterioribus applicari debere. Constat etiam vim universalem per se non inesse in rescriptis S. Congregationum quibus dubia oratoris particularis solvunt.

14. - 1. « Leges etiam irritantes et inhabilitantes, in *dubio iuris* non urgent ; in dubio autem *facti*, potest Ordinarius in iis dispensare, dummodo agatur de legibus in quibus Romanus Pontifex dispensare solet. » (c. 15) *Legum vis obligandi.*

Dubium *iuris* est de sensu, et etiam (paulo latius) de exsistentia legis ; dubium *facti* respicit exsistentiam facti quod lege regitur. Num est lex quae percussionem clerici specialiter plectit ? Quaenam percussio lege intelligitur ? Si alterutrum amborum obiective dubium fuerit, habes dubium iuris. Fuitne clericus re vera percussus : est dubium facti. Supponamus dubium inde esse utrum necne clericus irregularis evaserit : Ordinarius dispensare poterit.

2. Nulla *ignorantia* legum irritantium aut inhabilitantium ab iisdem excusat, nisi aliud expresse caveatur. (c. 16, 1) *Ignorantia legis irritantis.*

Itaque, etiam irritatio quae poenalis dicitur ab ignorante incurritur (1). Ratio est, quia leges istae bono communi immediate prospiciunt.

3. « Leges latae ad praecavendum *periculum generale* urgent etiamsi in casu peculiari periculum non adsit. » (c. 21) *Lex qua periculum generale praecavetur.*

Sententia paucorum qui id negabant prorsus iam deserenda est, v. g. in materia librorum prohibitorum non legendorum.

15. - *De legis subiecto.* 1. Nisi aliud *expresse* caveatur, lege mere ecclesiastica non tenetur etiam baptizatus qui sufficienti rationis usu non potiatur, aut septimum aetatis annum non compleverit. (c. 12) *Immunitas propter aetatem aut defectum rationis.*

Rationis usum intellege habitualem.

2. *Peregrini* solis legibus *generalibus* tenentur quae obligant in *Obligatio peregrini,*

(1) Cfr. Salsmans, *Variationes in iure canonico*, p. 6.

loco ubi sunt. Particularibus tamen territorii sui legibus tenentur, si transgressio in proprio territorio noceat aut leges sint *personales*. Iis etiam peculiaribus territorii ubi sunt legibus tenentur quae ordini publico consulunt vel actuum sollemnia determinant. (c. 14, 1)

vagi. 3. *Vagi* obligantur legibus tam generalibus quam particularibus quae vigent in loco in quo versantur. (c. 14, 2)

Posterior ista obligatio a pluribus negabatur.

Duratio praecepti. **16.** - *De Praeceptis.* « Praecepta singulis data eos quibus dantur ubique urgent ; sed iudicialiter urgeri nequeunt et cessant resoluto iure praecipientis, nisi per legitimum documentum aut coram duobus testibus imposita fuerint. » (c. 24)

Resoluto iure praecipientis, i. e. cum praecipiens morte, abdicatione et officio seu titulo quo praecipiebat privatus est. Vis ista praecepti a pluribus negabatur. Ut tamen, resoluto iure praecipientis, praeceptum duret, ex potestate *iurisdictionis* datum sit oportet. Praecepta enim quibus mere urgetur relatio potestatis dominativae relationi ipsi superesse posse non videntur.

TITULUS II. - DE CONSUETUDINE

(cc. 25-30)

Vis generalis consuetudinis. **17.** - Vis consuetudinis rationabilis *praeter legem* seu ad legem inducendam, vel *contra legem*, ad abrogandam legem aut consuetudinem, canonibus 27. 28. 30 agnoscitur et expresse sancitur. — Canone vero 29, continetur receptum istud : consuetudo est optima legum interpres. — Sed, sive ad inducendam sive ad auferendam obligationem, contra ac multi opinabantur, consuetudo decem annorum nequaquam sufficit, sed *quadraginta* annorum requiritur. Oportet enim, sic cc. 27 et 28, ut per annos *quadraginta* continuos et completos praescripta fuerit ; contra legem autem « quae clausulam contineat futuras consuetudines prohibentem, sola praescribere potest rationabilis consuetudo *centenaria* aut *immemorabilis* ». (cc. 27. 28)

Condicio temporis.

Revocatio. **18.** - « Nisi expressam de iisdem mentionem fecerit, lex non revocat consuetudines *centenarias* aut immemorabiles, nec lex generalis consuetudines particulares. » (c. 30)

TITULUS III. - DE TEMPORIS SUPPUTATIONE

(cc. 31-35)

Valde ad usum valent clarae regulae de modo supputandi tempora, quae nunc primum ita ordinate iure promulgantur.

Quid, in iure, dies, hebdomada, mensis, annus

19. - 1. « *Dies* constat 24 horis continuo supputandis a media nocte ; *hebdomada* 7 diebus ; » *mensis* spatium 30, *annus* spatium 365 dierum designat, « nisi mensis et annus dicantur sumendi prout sunt in calendario ». (c. 32)

Aestimatio horae.

2. « In supputandis *horis* diei, standum est communi loci usui ; sed in privata missae celebratione, in privata horarum canonicarum recitatione, in sacra communione recipienda et in ieiunii vel abstinentiae lege servanda, licet alia sit usualis loci supputatio, potest quis sequi loci tempus aut locale sive verum sive medium, aut legale sive regionale sive aliud extraordinarium. (c. 33, 1)

Quid in contractibus ?

« Quod ad tempus urgendi contractuum obligationes, servetur, nisi aliter expressa pactione conventum fuerit, praescriptum iuris civilis in territorio vigentis. » (c. 33, 2)

Tempus aliud legale extraordinarium est, v. g. in nostra regione, tempus Europae centralis.

Ampla ista horarum optio expresse non datur in servanda lege festivae requietis, et in lucrandis indulgentiis. Menti tamen legislatoris consentaneum putamus ut facultatem ad binas istas causas traducamus.

Quomodo mensis, annus sumendi sunt.

20. - 1. *Mensis* et *annus* quorum individua mentio fiat (mense februario, anno proximo) sumendi sunt prout in calendario exstant. (c. 34, 1)

2. Si terminus *a quo* nec explicite nec implicite assignetur (v. g. suspensio per mensem, per duos annos ; tres in anno vacationum menses) tempus de momento ad momentum supputetur ; et, si continuum fuerit, mensis et annus sumantur sicut in calendario ; si intermissum, hebdomada intellegatur 7 dierum ; mensis 30 et annus 365 dierum. (c. 34, 2)

3. Si terminus *a quo* explicite vel implicite assignetur, et tempus pluribus saltem diebus constet, ex c. 34, 3 :

a) Menses et anni sumantur prout sunt in calendario ;

Quinam dies excludantur, includantur.

b) Si terminus *a quo* coincidat cum initio diei (v. g. duo vacationum menses a die 15 augusti), primus dies ad explendam numerationem computetur ; et tempus finiatur incipiente ultimo die eiusdem numeri. (Cfr. applicationes ad ipsum Codicem, n. 6, 1 ; ad vacationem legum, n. 12.)

c) Si terminus *a quo* non coincidat cum initio diei (e. g. decimus quartus aetatis annus, annus noviciatus, octiduum a vacatione sedis episcopalis, decennium ad appellandum) primus dies ne computetur, et tempus finiatur expleto ultimo die eiusdem numeri. (Applicatio : iurisdictio data 7 ian. ad tres menses, ad diem 7 aprilis *inclusive* durabit.)

d) Si mensis die eiusdem numeri careat, v. g. unus mensis a die 30 ianuarii, ultimus dies mensis pro die eiusdem numeri existimetur. (Applicatio : novicius ingressus 29 febr. annum requisitum ad valorem exeunte 1 martii complebit.)

e) Si agatur de actibus eiusdem generis statis temporibus renovandis, v. g. triennium ad electionem renovandam, tempus finitur eodem recurrente die quo incepit, sed novus actus per integrum eundem diem poni potest. (Applicatio : qui vota temporaria fecerit die 15 ianuarii, recurrente die 15 ianuarii vota perpetua facere debebit ; sed qualibet diei hora.)

Tempus utile, continuum.

21. - Cum alicui tempus *utile* conceditur, ipsi ignoranti aut agere non valenti non currit ; tempus *continuum* nullam patitur interruptionem. (c. 35)

TITULUS IV. - DE RESCRIPTIS

(cc. 36-79)

Quid rescriptum.

22. - *Rescriptum* est responsum S. Sedis vel Ordinarii scripto datum ad instantiam petentis.

Codex communes omnibus rescriptis regulas tradit, quarum eas memorabimus quae ad cleri eruditionem magis utiles nobis videntur.

Impetratio pro alio.

23. - « Rescriptum impetrari potest pro alio, etiam praeter eius assensum ; et licet ipse possit gratia per rescriptum concessa non uti, rescriptum tamen valet ante eius acceptationem, nisi aliud ex appositis clausulis appareat. » (c. 37)

Requisita veritas.

24. - 1. Rescripta quorum nullus est exsecutor a momento quo datae sunt litterae effectum habent ; et oportet ut eodem momento preces veritate nitantur ; cetera, a tempore exsecutionis : quo solo tempore preces veritate niti debent. (cc. 38. 40. 41)

2. Satis veritate nituntur ut valeant, si expressa fuerint quae, de stilo curiae, ad valorem exprimenda sunt, et una saltem causa motiva vera sit. Et si rescriptum plures gratias concedat, vitium in una parte alteram non infirmat. (c. 42)

3. Etiamsi clausula « *Motu proprio* » addita fuerit, requiritur tamen ad valorem ut una saltem causa motiva vera sit, nisi petatur dispensatio a minore impedimento matrimonii. (cc. 45. 1054)

Error in nomine.

4. Error, « *in nomine personae* cui vel a qua conceduntur, aut loci in quo ipsa moratur, aut rei de qua agitur » valori non obstat, « dummodo, iudicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio ». (c. 47)

Plura hic, plerumque benigne, sanciuntur quae controversias solvunt. In non nullis a recepta sententia recedit. « Si rescriptum in forma *commissoria*, quaestionis est, quo tempore causa subesse debeat. » (Sic D'ANNIBALE, I, 239.)-Clausulae « *Motu proprio* » vis interdum magis absoluta tribuebatur ; non tamen a D'ANNIBALE, I, 240.

25. - Gratiae et dispensationes omne genus a Sede Apostolica concessae valent, quamvis eas impetrans censura irretitus sit. Excipitur tamen excommunicatus aut suspensus vitandus, vel quem sententia his censuris obnoxium fecerit aut declaraverit ; aut qui personaliter interdictus fuerit. (cc. 36. 2265, 2 ; 2275, 3 ; 2285) *Quid operetur censura obtinentis.*

26. - 1. « Gratia ab una S. Congregatione vel Officio Romanae Curiae denegata, *invalide* ab alia S. Congregatione vel Officio aut a loci Ordinario, etsi potestatem habente, conceditur sine assensu S. Congregationis vel Officii quocum vel quibuscum agi coeptum fuit, salvo iure S. Paenitentiariae pro foro interno. (c. 43) *Gratia negata, ab alio petita.*

2. *Prohibemur* etiam ab alio Ordinario petere gratiam a proprio denegatam, nulla facta denegationis mentione. Immo gratiae a Vicario generali denegatae mentio ad *valorem* requiritur, ut ab episcopo obtineri possit. Quam autem episcopus denegaverit, nequit iam Vicarius generalis nisi assentiente episcopo concedere. (c. 44)

27. - In dubio, rescripta ad lites vel ad beneficii ecclesiastici assecutionem, vel quae iura aliis quaesita laedunt, vel legi in commodum privatorum adversantur, *strictam* interpretationem recipiunt ; cetera omnia *latam*. (c. 50) *Genus interpretationis.*

28. 1. - Rescriptum Sedis Apostolicae in quo nullus exsecutor datur, non debet Ordinario impetrantis praesentari nisi id litteris praecipiatur aut de rebus publicis agatur. (c. 51) *Rescripti exsecutio.*

2. Rescripti exsecutor *invalide* suo munere fungitur, ante quam litteras authenticas receperit et recognoverit, aut praevia earundem notitia auctoritate rescribentis ei transmissa fuerit. (c. 53)

3. Cum merum exsecutionis ministerium committitur, exsecutio rescripti negari non potest ; secus, si in rescripto concessio gratiae exsecutori committatur. (c. 54)

4. « Exsecutio rescriptorum quæ forum externum respiciunt scripto facienda est. » (c. 56)

Exsecutori qui erraverit, fas est rescriptum iterum exsecutioni mandare. (c. 59)

5. Nisi electa fuerit industria personae aut tenor rescripti aliud ferat, exsecutor potest alium sibi substituere, et successor in dignitate aut officio rescriptum quodlibet exsecutioni mandare permittitur. (cc. 57. 58)

Electa dicitur industria personae, quando ratione qualitatum specialium v. g. scientiae, peritiae, potius quam ratione officii seu muneris, exsecutio ipsi commissa est.

29. - Per *revocationem peculiarem*, privilegium non cessat ante quam revocatio ei qui rescriptum obtinuit intimata seu significata fuerit. (c. 60) *Cessatio privilegii seu rescripti.*

Per *legem contrariam* non tollitur, nisi aliud in ipsa lege caveatur, aut lex lata sit a Superiore rescribentis. (c. 60, 2)

Per Sedis Apostolicae aut dioecesis *vacationem*, nullum rescriptum

perimitur, nisi aliud ex clausulis constet, aut rescriptum potestatem contineat « alicui factam concedendi gratiam peculiaribus personis, in eadem expressis et res adhuc integra sit ». (c. 61)

Aliae regulae attendendae.

30. - In rescriptis quae non simplicem gratiam sed dispensationem vel privilegium continent, ad regulas dispensationum et privilegiorum etiam attendendum est. (c. 62)

TITULUS V. - DE PRIVILEGIIS

(cc. 63-79)

Modi acquirendi.

31. - Tres modos acquirendi privilegia, seu iura peculiaria, Codex diserte agnoscit : directam *concessionem, communicationem, consuetudinem* seu praescriptionem. Immo possessio centenaria seu immemorabilis praesumptionem concessi privilegii inducit. (c. 63)

De communicatione.

32. - Communicatio vel in forma aeque principali vel in forma accessoria distinguitur. Neutra communicat alia privilegia ac quae primo privilegiato *directe, perpetuo* et sine relatione peculiari ad locum, rem vel personam concessa sunt ; et attenta etiam capacitate subiecti cui fit communicatio. Sed ex priore forma, privilegia communicata in novo subiecto eadem permanent independenter a mutationibus quibus in primo privilegiario obnoxia sint. (cc. 64. 65)

De facultatibus habitualibus.

33. - *Facultates habituales* privilegiis *praeter ius* accensentur. Habituales porro sunt sive in perpetuum sive ad praefinitum tempus, sive ad certum casuum numerum concessae sint.

Latam itaque interpretationem recipiunt facultates quae a S. Sede episcopis aut Ordinariis concedi consueverunt.

Facultates istae, nisi electa fuerit industria personae aut aliud expresse cautum sit, non evanescunt resoluto iure Ordinarii cui concessae sunt, etiamsi ipse eas exsequi inceperit, sed transeunt ad successores in regimine ; et concessae episcopo competunt quoque Vicario generali. (c. 66)

Amplitudo facultatis.

34. - Concessa facultas continet etiam potestates ad illius usum necessarias. Quare, qui dispensare potest, absolvere a censuris potest ad effectum dispensationis consequendum, quatenus id necesse sit. (c. 66, 3)

Interpretatio.

35. - Privilegia quae iura quaesita tollunt aut legi in commodum privatorum adversantur *strictam*, cetera *latam* interpretationem recipiunt. (c. 68. 50)

Duratio et cessatio generatim.

36. - 1. Privilegium, nisi aliud constet, censendum est perpetuum (c. 70) ; nec exstinguitur resoluto iure concedentis, nisi clausula, v. g. *Ad beneplacitum nostrum*, aliud demonstret. (c. 73)

Vis istius clausulae controvertebatur.

Privilegii personalis, realis et localis.

2. Privilegium *personale* personam sequitur et cum ipsa exstinguitur. (c. 74)

3. Privilegium *reale* cessat per absolutum rei vel loci interitum ; si locus autem intra 50 annos restituatur, locale reviviscit. (c. 75)

Huiusmodi reviviscentia admittebatur quidem sed magis infinite. Nunc constat, indulgentias ecclesiae concessas perire nisi intra 50 annos post ruinam rursus aedificetur, i. e. ni fallimur, aedificari coepta sit.

Vis legis generalis.

37. - Lex *generalis* sola privilegia in Codice contenta per se revocat ; alia lex nulla revocat, nisi dixerit, aut a Superiore concedentis lata sit. (cc. 71. 60)

Vis renuntiationis.

38. - Per *renuntiationem* « *acceptatam* » cessant privilegia. Privata persona renuntiare non potest privilegio quod communitati, dignitati, locove concessum sit, nec communitas privilegio per modum legis dato, vel cum renuntiatio cedat in ecclesiae aliorumve praeiudicium. (c. 72)

Non usus.

39. - *Non usus* seu usus contrarius privilegium per se non tollit ; tollit tamen, si persona cui gravamen affert praescriptionem aut tacitam renuntiationem allegare possit. (c. 76)

Elapsa facultas.

40. - Manifesto cessat privilegium elapso tempore vel exhausto numero casuum pro quibus concessum erat. Validus tamen erit actus in foro interno quo, inadvertenter, usus privilegii postea factus fuerit. (77 ; 207, 2)

Valde notabilis est nova haec sanctio.

TITULUS VI. - DE DISPENSATIONIBUS

(cc. 80-86)

Potestas Ordinariorum.

41. - De dispensatione seu legis in casu speciali relaxatione, redibit sermo ubi de personis et legibus. Hic can. 81 et 82 hoc principium effertur : A generali Ecclesiae lege vel a lege quam Pontifex pro speciali territorio fecerit, Ordinarii, infra S. Pontificem, ne in casu quidem peculiari, dispensare valide possunt, nisi potestas ipsis explicite vel implicite concessa sit, aut nisi difficilis sit recursus ad S. Sedem et simul in mora sit periculum gravis damni, et de dispensatione agatur quae a Sede Apostolica concedi consueverit.

Causa quam scriptores communiter addebant : casus *frequenter occurrentes*, silentio praetermittitur, nec iam valere videtur.

Potestas parochi.

42. - Parochi non aliam dispensandi potestatem habent quam quae expresse ipsis concessa sit. (c. 83)

Causae necessitas. Quid in dubio?

43. - Ad ipsum valorem dispensationis datae ab inferiore, iusta ac rationabilis causa requiritur, habita ratione gravitatis legis a qua dispensatur. Sed *in dubio* de sufficientia causae, dispensatio licite petitur ac licite et valide concedi potest. (c. 84)

Dispensationis interpretatio.

44. - Tum dispensatio, tum facultas dispensandi *ad certum casum* (secus, si facultas generalis) stricte interpretandae sunt. (c. 85)

LIBER SECUNDUS

DE PERSONIS

Notiones generales de personis, earumque distributione, divisione, actibus et ordine

(cc. 87-107)

Ratio ordinis.

Antequam de vario personarum iure distincte agat, liber iste secundus exorditur a notionibus quibusdam communibus quae magno pretio habendae sunt. Quare, summatim quidem sed dilucide sacerdotibus eas proponere conabimur.

Quid persona in ecclesia ?

45. - Persona iuridice dicitur *subiectum iuris.* Qua tale, in Ecclesia, homo constituitur baptismate, « nisi, ad iura quod attinet, obstet obex, ecclesiasticae communionis vinculum impediens, vel lata ab ecclesia censura ». (c. 87)

Divisio ex aetate,

46. - *Maior* est persona quae vigesimum primum aetatis annum complevit ; infra istam aetatem est *minor ; pubes censetur* masculus a quarto decimo, femina a duodecimo anno completo ; *infans* dicitur, seu puer et parvulus, impubes ante septennium plenum, quo expleto usum rationis habere praesumitur. Infanti assimulantur quotquot usu rationis sunt *habitu* destituti. (c. 88)

Maior plenum suorum iurium exercitium habet, in quo persona minor potestati parentum vel tutoris obnoxia manet, iis exceptis in quibus ius minores a patria potestate exemptos habet. (c. 89)

Hactenus, in canonico iure, personae ex aetate mere in puberes et impuberes distinguebantur, permissa iuri civili divisione in maiores et minores. *Ius* quo minores in quibusdam punctis a patria potestate eximitur est tum ius canonicum tum ius civile hodiernum.

Ex loco originis,

47. - *Locus originis,* etiam pro neophytis, filio definitur domicilio, vel, hoc deficiente, quasi-domicilio quod *pater* vel, si filius *illegitimus* aut *postumus, mater* habebat cum natus est. — Filio tamen *vagorum* locus originis est locus *nativitatis,* et filio *exposito* locus *inventionis.* (c. 90)

Ex sede habituali.

48. - « Persona dicitur *incola,* ubi domicilium, *advena,* in loco ubi quasi-domicilium habet ; *peregrinus,* si versetur extra domicilium et quasi-domicilium quod adhuc retinet ; *vagus,* si nullibi domicilium habeat vel quasi-domicilium. » (c. 91)

Longe autem planiores quam antea regulae domicilio et quasi-domicilio praestituuntur.

Domicilii.

49. - 1. *Domicilium* commoratione, vel coniuncta cum animo alicubi perpetuo manendi, si nihil inde avocet, vel protracta ad decennium completum acquiritur. Commoratio autem intellegitur vel in paroecia aut quasi-paroecia, vel saltem in dioecesi, vicariatu apostolico, praefectura apostolica. (c. 92, 1)

2. *Quasi-domicilium* acquiritur simili commoratione coniuncta cum animo ibi manendi saltem ad maiorem anni partem si nihil inde avocet, vel protracta reipsa ad maiorem anni partem. *Quasi-domicilii acquisitio.*

Distinguitur, itaque, quod novum est, duplex domicilium et quasi-domicilium, *paroeciale* et *dioecesanum*. Quare *vagus* in paroecia esse poterit qui domicilium in dioecesi habet. Itaque attendendum erit sub quo respectu qualitas consideretur. Simpliciter autem vagus non iam erit nisi qui nequidem in dioecesi domicilium aut quasi-domicilium habeat. Applicationes in variis iuris partibus erunt. *Genus duplex.*

Neque antea domicilium et quasi-domicilium sine ullo animo, sola commoratione poterant acquiri. Illud tamen inter utrumque acquirendi modum interest, quod, *cum animo*, acquisitio a primo commorationis momento, *sine animo*, a completo tempore requisito perficitur.

50. - Discessione autem a loco cum animo non revertendi, domicilium et quasi-domicilium amittuntur. (c. 95) *Amissio.*

51. - *Uxori* tamen a viro legitime non separatae, *amenti* et *minori* assignatur domicilium *necessarium* apud virum, curatorem (vel tutorem) illum cuius potestati subest, ita ut minor infantia egressus et uxor legitime non separata proprium quasi-domicilium, non autem domicilium proprium habere possint. (c. 93) *Quorundam domicilium legale.*

Legitima separatio non semper, in foro conscientiae, interventum iudicis ecclesiastici postulat. Sed, nisi talis iudicis auctoritate separata fuerit, uxor quae separatum domicilium habere contendit, legitimam suam separationem tunc probare debebit. Cuius argumentum esse possunt facta coram iudice civili probata et admissa.

Observes praeterea, nullum indicari legale seu necessarium quasi-domicilium. Uxoris ergo et minoris infantiam egressi verus animus cum commoratione, vel protracta ultra sex menses commoratio, quasi-domicilium determinabunt. *Quid de quasi-domicilio ?*

Quid autem de *amente*, de *infante?* Tacente lege, quasi-domicilium tutoris seu curatoris per se non participabunt. Atque acquisitio per animum coniunctum cum commoratione ipsis impervia est. Nihil quidem obstat, per se, quin commoratione ultra sex menses protracta, quae nullum animum postulat, et ipsi quasi-domicilium acquirant. Lex tamen, dum soli minori infantiam egresso copiam proprii quasi-domicilii facit, idem ab infante, ac proin ab amente cuius casus similis est, abiudicare videtur. Num tamen vagum dixeris amentem qui per plures annos in hospitio inclusus sit, eo quod eius curator domicilium non habeat? Quare, quamvis res non liqueat, veri simile existimamus infanti et amenti conpetere posse quasi-domicilium quod sine animo acquiri potest.

52. - Domicilio et quasi-domicilio Ordinarius et parochus proprius unicuique constituuntur. Proprius tamen *vagi* parochus vel Ordinarius est parochus vel Ordinarius loci in quo vagus actu commoratur ; actualis commoratio parochum proprium etiam illi dat qui dioecesanum solummodo habeat domicilium seu quasi-domicilium. (c. 94) *Proprius Ordinarius vel parochus.*

53. - Personae *consanguinitate* vel *affinitate* propinquae fiunt. *Consanguinitas* ut antea computatur. Quare, tot in linea recta gradus sunt quot personae, stipite dempto ; in linea obliqua, si tractus aequalis, tot sunt gradus quot generationes in uno lineae tractu ; « si duo tractus sint inaequales, tot gradus quot generationes in tractu longiore ». (c. 96) *Ex propinquitate, personae consanguineae,*

affines. *Affinitas* autem non iam, ut ante, ex copula oriri dicitur, sed ex matrimonio *valido*, sive *rato* tantum sive rato et consummato ; et, sicut ante, inter unam partem et alterius consanguineos dumtaxat vigere dicitur. - Qui denique consanguinei sunt viri, in eadem linea sunt mulieris affines, et vice versa. (c. 97)

Valde notabilis est iste canon 97. Inde enim tollitur affinitas quae ex copula illicita inter non coniuges patrata manare dicebatur ; inter coniuges autem non a copula perfecta, sed ab initio matrimonii validi, inter baptizatos contracti, exoritur. — Inter *baptizatos*, inquam. Oportet enim ut matrimonium sit ratum, i. e. sacramentali charactere confirmatum et ratificatum (1). Tale non est matrimonium inter non baptizatos ; nec, secundum probabiliorem sententiam, inter baptizatum et non baptizatum. Quare de affinitate inter infideles iam nulla sollicitudo habenda est.

Divisio ex ritu. Quid ritum determinet, mutet. **54.** - Personae etiam distinguuntur in Ecclesia secundum ritum ad quem pertinent. Ritus porro determinatur baptismo, nisi is a ministro alieni ritus collatus fuerit fraudulenter, vel ob necessitatem, vel ex dispensatione pontificia reservante ritum. (c. 98 1)

« Clerici nullo modo inducere praesumant sive latinos ad orientalem sive orientales ad latinum ritum assumendum. » (c. 98, 2)

Transitus vel reditus ad alium ritum veniam S. Sedis requirit. (c. 98, 3)

Mulier potest tamen ad ritum viri, ineunte vel durante matrimonio, transire ; et, soluto matrimonio, proprium ritum resumere, nisi iure particulari aliud cautum sit. (c. 98, 4)

Mos sumendi alieno ritu s. synaxim mutationem ritus non infert. (c. 98, 5)

Divisio ex natura personae. **55.** - Sunt personae *physicae*, sunt *morales*, publica auctoritate constitutae ; eaeque vel *collegiales*, ut capitula, vel *non collegiales*, ut beneficia. (c. 99)

Personae moralis constitutio, exstinctio, Collegialis non potest nisi ex tribus saltem personis constitui. Catholica Ecclesia et Sedes Apostolica ipsa ordinatione divina rationem personae moralis habent ; aliae vel ex iuris praescripto vel ex formali decreto Superioris competentis ad finem religiosum vel caritativum rationem istam sortiuntur. (c. 100)

Natura sua sunt perpetuae ; exstinguuntur vel suppressione vel cessatione per centum annos. Sed in uno superstite membro, omne ius personae collegialis perseverat. (c. 102)

actiones. De actibus personae collegialis haec, salvo iure peculiari, regula generalis traditur. « Id vim iuris habet quod, demptis suffragiis nullis, placuerit parti absolute maiori eorum qui suffragium ferunt, aut, post duo inefficacia scrutinia, parti relative maiori in tertio scrutinio ; quod si suffragia aequalia fuerint, post tertium scrutinium, praeses suo voto paritatem dirimat aut, si agatur de electionibus et praeses

(1) Cfr. c. Quanto te, 7, *De divortiis*, 4, 19.

suo voto paritatem dirimere nolit, electus habeatur senior ordine vel prima professione vel aetate.

« Quod autem omnes, ut singulos, tangit, ab omnibus probari debet. » (c. 101, 1)

In veteri iure id obtinebat quod pars *maior* et *sanior* decreverat ; maior autem praesumebatur sanior (1).

Canon porro quo paritas antiquitate dirimenda dicitur, sic intellegendus videtur, ut, ubi concurrant ordo, professio religiosa et aetas, primo ad ordinem, dein ad professionem, tum ad aetatem attendatur, nisi probata statuta aliud decernant.

Omnes ut singuli tanguntur v. g. renuntiatione iuris singulorum ; quare, tunc unanime suffragium requiritur. Hinc omnes assentiri debent ut forma compromissionis electio terminetur.

De actibus personarum moralium non collegialium, adeunda sunt statuta et normae iuris communis. (c. 101, 2)

De vitiis consensus personarum. Effectus vis, metus, doli. Effectus erroris.

56. - Omnis *vis irresistibilis* actum infirmat ; *metus gravis* et iniustus vel *dolus*, nisi aliud iure caveatur, actum per se non infirmant, sed locum dant rescissioni a iudice, sive ad petitionem partis laesae, sive ex officio. (c. 103. cf. cc. 1684-1689)

57. - *Error* circa substantiam actus vel qui recidat in condicionem *sine qua non*, actum irritat ; secus autem, actus valet, nisi aliud iure caveatur ; « in contractibus locum dare potest actioni rescissoriae ad normam iuris ». (c. 104)

Requisitus consensus aut consilium quomodo intellegatur.

58. - Cum *consensus* exigitur, Superior invalide agit contra votum personarum quae assentiri debent ; cum mere praecipitur agere de *consilio* vel *audito capitulo*, ad valorem satis est personas audire. Docilitas tamen per se commendatur.

Cum consensus aut consilium *plurium simul* requiritur, oportet ut legitime convocentur et mentem suam manifestent. Superior eas adigere potest ad iuramentum de secreto servando praestandum. (c. 105)

Quid, quando Codex exigit ut Superior agat *cum Consilio seu capitulo ?* Per se, cum potestas Superioris favorabilis sit, existimamus tunc sufficere ut capitulum consultaverit, id est, ut audito Consilio vel capitulo agat. Iam tunc enim agit cum capitulo. Sed non satis per se est ut Superior consiliarios separatim interroget. Separatim enim non componunt *Consilium* seu capitulum, cuius auctoritas interponenda est ; nec opportunitatem habent utilis deliberationis.

Ordo quo personae praecedunt. Locus personae alienam gerentis ; auctoritatem habentis ; ceterarum personarum.

59. - Salvis normis specialibus, quae suo loco traduntur :

1. « Qui alius personam gerit, ex eadem obtinet praecedentiam ; sed qui in Consiliis et similibus conventibus procuratorio nomine intersunt, sedent post illos eiusdem gradus qui intersunt nomine proprio. » (c. 106, 1)

2. Auctoritas in personas dat praecedentiam super illas. (c. 106, 2)

3. Deficiente auctoritate, prioritas aestimatur primo ex potiore *gradu* (in hierarchia iurisdictionis), dein ex *ordine* potiore, tum ex

(1) (c. *In Genesi*, 55 ; *Ecclesia*, 57. De electione et electi potestate (I, 6) Cf. Santi-Leitner, *Praelectiones iuris canonici*, (I, I, 6, n. 18)

priore *promotione* ad gradum; postea ex priore ordinis *receptione*, nisi iunior ordinatus fuerit a S. Pontifice ; denique praecedit senior *aetate*. (c. 106, 3)

Ritus neglegitur. Ordo inter personas morales, eorumque sodales.

4. Nulla ex ritu praecedentia oritur. (c. 106, 4)

5. Inter varias *personas morales* eiusdem speciei et gradus, illa praecedit quae est in pacifica quasi-possessione praecedentiae ; si de hoc non constet, quae prius in loco ubi quaestio oritur instituta est.

Inter sodales eiusdem collegii, primo propriae constitutiones, dein consuetudines tum praescripta iuris communis attendenda sunt. (c. 106, 5)

Potestas loci Ordinarii.

6. *Loci Ordinarii* est praecedentias *inter subditos statuere* secundum normas iuris communis, legitimas consuetudines, et munera ipsis commissa ; et *controversias* etiam inter *exemptos*, quatenus collegialiter cum aliis procedunt, in casibus urgentioribus componere, remota omni appellatione in suspensivo, sed sine iuris praeiudicio. (c. 106, 6)

De domo pontificia.

7. Pontificiae domus sunt propriae regulae et traditiones. (c. 106, 7)

Divisio ex statu in ecclesia.

60. - « Ex divina institutione, sunt in ecclesia *clerici* a *laicis* distincti, licet non omnes clerici sint divinae institutionis ; utrique autem possunt esse religiosi. » (c. 107)

Hoc canone fit transitus ad Primam Partem Libri, quae est de Clericis.

N. B. Pleraque quae in ista introductione statuta sunt, iam recepta erant ; numquam tamen sic formaliter et dilucide in authentica collectione collecta erant. Quare propter multas applicationes, omnia summatim hic referre visum est.

PARS PRIMA. - DE CLERICIS

Haec pars in duas sectiones dividitur, quarum prior iura et officia quae sunt omnibus clericis communia, altera quae sunt singulorum hierarchiae ecclesiasticae membrorum propria determinat.

SECTIO I. - DE CLERICIS IN GENERE

Praemittitur notio clerici, hierarchiae et Praelati

(cc. 108-110)

Quid clerici? Cooptatio in hierarchiam.

61. Clerici dicuntur « qui divinis ministeriis per primam saltem tonsuram mancipati sunt » (c. 108). Inter eos viget sacra hierarchia ordinis et iurisdictionis : in alteram sacra ordinatione, in alteram iure divino (Rom. Pontifex) aut canonica missione cooptantur. (c. 109)

Proprio nomine *Praelati* in iure vocantur clerici qui iurisdictionem ordinariam in foro externo obtinent. (c. 110)

TITULUS I
DE CLERICORUM ASCRIPTIONE ALICUI DIOECESI
(cc. 111-117)

62. - « Quemlibet clericum oportet esse vel alicui dioecesi vel alicui religioni ascriptum, ita ut clerici vagi [seu nulli Ordinario subditi] nullatenus admittantur. » (c. 111) *Clerici « vagi » proscribuntur.*

Religioni ascribuntur professione, dioecesi autem *incardinari* possunt : a) Per receptionem primae tonsurae, qua quis pro cuiusdam dioecesis servitio promovetur (c. 111). Ita laici quilibet ab Ordinariis locorum possunt suae dioecesi incardinari. *Variimodi incardinationis.*

b) Acceptis a suo Ordinario litteris excardinationis perpetuae et absolutae, ab Ordinario autem alienae dioecesis litteris incardinationis pariter perpetuae et absolutae. (c. 112)

c) Obtento ab Ordinario alienae dioecesis beneficio residentiali cum consensu proprii Ordinarii *scripto* dato. (c. 114)

d) Religiosi egressi e religione si a benevolo episcopo pure et simpliciter recipiantur, vel etiam si, pro experimento recepti, transacto uno alterove probationis triennio, non fuerint ab ipso dimissi. (c. 641)

63. - *Excardinatio* fit sive professione religiosa perpetua (c.115.585) sive licentia discedendi perpetua et absoluta scripto concessa a proprio Ordinario, quae tamen effectum non sortitur nisi incardinatione secuta in alia dioecesi. (c. 112-116) *Quomodo fit excardinatio ?*

TITULUS II. - DE IURIBUS ET PRIVILEGIIS CLERICORUM
(cc. 118-123)

64. - Praeter quam quod clerici soli potestatem ordinis aut iurisdictionis, beneficia et pensiones ecclesiasticas recipere possunt (c. 118), eorum persona contra reales iniurias speciali sanctione protegitur (c. 119); neque coram iudice laico (salvis conventionibus aut consuetudine legitima) sine competentis Superioris ecclesiastici licentia conveniri possunt (c. 120). A servitio militari sunt immunes et a muneribus aut officiis civilibus, quae suo statui non conveniant (c. 121). Saecularem tamen militiam, cum sui Ordinarii licentia, voluntarii capessere poterunt ut citius liberi evadant. (c. 141) *Clericorum iura, privilegia, immunitas.*

TITULUS III. - DE OBLIGATIONIBUS CLERICORUM
(cc. 124-144)

Quae pietatis exercitia obeunda?

65. - Ut sanctiorem, quae eos decet, vitam degant (c. 124), curabit Ordinarius loci ut « clerici omnes paenitentiae sacramento frequenter maculas eluant », et « cotidie orationi mentali per aliquod tempus incumbant, ss. sacramentum visitent, Deiparam Virginem mariano rosario colant, conscientiam suam discutiant ». (c. 125)

Omnes vero sacerdotes saeculares tertio saltem quoque anno spiritualibus exercitiis, per tempus a proprio Ordinario determinandum, in pia aliqua religiosave domo ab eodem designata vacent : exceptio, in casu tantum particulari concedenda, expressam Ordinarii loci licentiam requirit. (c. 126)

Quo maior fiat vitae sanctae copia et facilius removeantur pericula « consuetudo vitae communis inter clericos laudanda ac suadenda est, eaque, ubi viget, quantum fieri potest, servanda ». (c. 134)

Examina post absoluta studia.

66. - Ne, recepto sacerdotio, studiis quidam valedicant, « expleto studiorum curriculo, sacerdotes omnes, etsi beneficium paroeciale aut canonicale consecuti, nisi ab Ordinario loci ob iustam causam fuerint exempti, examen singulis annis saltem per integrum triennium in diversis sacrarum scientiarum disciplinis, antea opportune designatis, subeant secundum modum ab eodem Ordinario determinandum ». (c. 130)

Quis « conferentiis » interesse debet ?

Praeterea conventibus quibus *collationes* seu *conferentiae* habentur, interesse debent, nisi ab Ordinario fuerint expresse exempti, « tum omnes sacerdotes saeculares, tum religiosi, licet exempti, curam animarum habentes et etiam, si collationes in eorum domibus non habeantur, alii religiosi qui facultatem audiendi confessiones ab Ordinario obtinuerunt ». (c. 131)

Religiosi « curam animarum habentes » hic censendi sunt qui, ex officio (vicarii, parochi) suscepto, auxiliarii episcopi facti sunt ad regendas saecularium animas.

Exterior corporis cultus.

67. - Inter monita de exteriore corporis cultu servando, quamquam nihil quod ad barbam praescribitur (c. 136), a consuetudine dioecesis non est recedendum, quae ius particulare iuri communi nullo modo contrarium constituere potest.

Prohibita oblectamenta

Licet venationis *non clamorosae* usus modestus et rarus non prohibeatur, « ei tamen ne indulgeant » ; a ludis pariter et artibus abstineant quae suum statum dedecent. (c. 138)

et negotia.

68. - Gestionem bonorum ad laicos pertinentium aut officia saecularia quae secum ferant onus reddendarum rationum, sine licentia sui Ordinarii assumere non possunt (c. 139). Immo, « eo inconsulto a fide iubendo, etiam de bonis propriis, prohibentur ». (c. 137)

Etiam ubi nulla pontificia prohibitio intercesserit, senatorum aut oratorum legibus ferendis, quos *deputatos* vocant, munus sollicitare vel accipere ne attentent sine licentia tum sui Ordinarii, tum Ordinarii loci in quo electio facienda est. (c. 139)

Quae praescriptio ex iure particulari nunc fit norma communis.

69. - Necessitas licentiae, saltem praesumptae, Ordinarii pro absentia notabili e dioecesi ad illos quoque extenditur, qui beneficium aut officium residentiale non habent. (c. 143) *Extensio legis residentiae.*

Notabilis autem videtur quae ultra menses tres protrahitur, cum etiam in casu maxime favorabili longior non concedatur. (Cfr. c. 418)

TITULUS IV. - DE OFFICIIS ECCLESIASTICIS

(cc. 145-195)

70. - Officium ecclesiasticum in iure accipitur, nisi aliud ex contextu sermonis apparcat, « munus ordinatione sive divina, sive ecclesiastica stabiliter constitutum, ad normam sacrorum canonum conferendum, aliquam saltem secum ferens participationem ecclesiasticae potestatis, sive ordinis, sive iurisdictionis ». (c. 145) *Quid officium ecclesiasticum ?*

Caput I. - De Provisione Officiorum Ecclesiasticorum

71. - Officia ecclesiastica valide tantum obtinentur provisione canonica seu concessione a competente auctoritate ecclesiastica ad normam canonum facta. (c. 147) *Officii concessionis validae*

Officii non vacantis provisio est nulla, neque vacatione subsequenti convalescit, neque eius quaevis promissio parit iuridicum ullum effectum. (c. 150) *vel licitae condiciones.*

Antequam quis officium ecclesiasticum a Superiore infra R. Pontificem obtineat, idoneus reperiendus est a proprio Ordinario. (c. 149)

In tribus articulis, normae statuuntur quibus fiat vel praeparetur provisio, scilicet libera collatio, electio aut postulatio.

ART. I. - DE LIBERA COLLATIONE

72. - « Loci Ordinarius ius habet providendi officiis ecclesiasticis in proprio territorio, nisi aliud probetur » (c. 152). — In quo notandum est silentium de *mensibus reservatis*, per quos scilicet collatio S. Sedi reservabatur. — Ad illa, magis idonei, omnibus perpensis, eligantur. Defectus tamen idoneitatis provisionem non invalidam, sed tantum irritabilem facit, nisi aliud ferat ius commune vel particulare aut lex *Ius Ordinarii.*

Quid si eligatur, non idoneus ?

fundationis (153). — Sic, v. g. « officia quae curam animarum sive in foro externo sive in interno secum ferunt, clericis nondum sacerdotio initiatis conferri valide nequeunt ». (c. 154)

Quo canone ad facta mere historica amandatur facultas in episcopum vel parochum eligendi clericum simplicem aut in subdiaconatu vel diaconatu constitutum.

Incompatibilia officia.

73. - Prohibetur collatio duorum officiorum quae una simul ab eodem non possint impleri, qualia sunt officia curata, et a S. Sede concessio alterius officii non valet nisi beneficiarius priori tacite renuntiet vel in supplici libello mentio prioris incompatibilis habeatur aut clausula derogatoria adiciatur (c. 156). Cuiuslibet officii provisio scripto consignetur. (c. 159)

ART. II. - DE ELECTIONE

Electionis formae.

74. - Electionis *forma* ordinaria est *scrutinium*, formae extraordinariae *quasi-inspiratio* (de qua siletur : quare iura particularia consulas) et *compromissum*, quo electores suum ius eligendi pro ea vice in unum vel plures alios transferunt, qui nomine omnium ex recepta facultate eligant. (c. 172)

Quid iuris servandum ?

75. - Romani Pontificis electio unice regitur constitutione Pii X, *Vacante Sede Apostolica*, 25 decembris 1904 ; in aliis servanda sunt praescripta iuris communis et alia, si qua sint, in iure particulari legitime statuta. (c. 160)

Quod ad tempus et modum electionis, plurimum valent peculiares constitutiones vel consuetudines. (c. 162)

Convocationis electorum necessitas.

76. - 1. Convocandi sunt omnes electores de collegio ; si quis neglectus et ideo absens fuerit, potest, modo intra triduum ab habita notitia electionis recursum mittat, a Superiore competente irritationem electionis etiam confirmatae exigere ; si plus quam tertia pars electorum fuerint neglecti, electio est ipso iure nulla ; defectus tamen convocationis non obstat, si praetermissi nihilominus interfuerint (c. 162).

Absentium iura.

Absentes, legitime convocati, non possunt per epistolam aut per procuratorem suffragium ferre, nisi lege particulari id statuatur. (c. 163)

Eorum tamen qui, in eadem domo degentes, ob infirmam valetudinem electioni interesse nequeant, suffragium scriptum a scrutatoribus exquiratur, salvo iure alio particulari (c. 168). — Nec quisquam, etiam ob plures titulos, plura suffragia ferre potest. (c. 164)

Causae nullitatis.

2. Admissio illegitima extranei collegio vel immixtio laici contra canonicam libertatem electionem ipso iure nullam reddunt. (cc. 165. 166)

Suffragium indigni vel incapacis, quamvis irritum, *per se* electionem non facit nullam nisi scienter admissus fuerit excommunicatus per sententiam declaratoriam vel condemnatoriam. (c. 167)

Sibi vero nemo potest valide suffragium dare. (c. 170)

77. - Electionem moderantur *praeses*, cum scrutatoribus. Adsit praeterea *actuarius* qui omnia electionis acta accurate describat, in collegii tabulario asservanda. *Munus praesidis, actuarii,*

Salvis propriis statutis, e gremio collegii duo saltem eligantur *scrutatores*, qui iusiurandum de munere fideliter implendo ac de secreto servando interponant : eorum est suffragia colligere, scrutari, numerare et palam facere. (c. 171) *scrutatorum.*

78. - Ut electio per *compromissum* fiat requiritur unanimis et scriptus consensus electorum. — Compromissarii ex gremio sint non oportet, sed sacerdotes, si de collegio clericali agatur et quidem ad validitatem electionis. — Condiciones contra ius compromisso additae pro non appositis habeantur : aliae ad validitatem servandae sunt : nullus e compromissariis se ipse eligere potest : quod valet de omnibus electoribus. (cc. 172. 170) *Compromissi validi condiciones.*

79. - Electus omne ius quaesitum amittit : 1° nisi intra octiduum utile a recepta intimatione consensum manifestaverit ; 2° si renuntiaverit (cc. 175. 176) ; 3° Si intra octiduum a die acceptae electionis, non legitime impeditus, omiserit confirmationem petere a competente Superiore (c. 177). Ante confirmationem habet tantum ius ad rem et actus ab eo positi sunt nulli. *Quomodo electus ius amittit ?*

80. - De electione per *quasi-inspirationem* nulla fit mentio : in electione tamen R. Pontificis certe adhiberi potest. (Const. *Vacante Sede Apostolica*, n. 55). *Quasi-inspirationis usus.*

ART. III. - DE POSTULATIONE

81. - Postulatio est actus quo electores a Superiore competente rogant ut sibi liceat eligere ad officium virum idoneum cui tamen obest impedimentum a quo dispensari possit et soleat (c. 179). Ut valeat, semper requiritur maior pars suffragiorum, imo duae tertiae partes si cum electione concurrat, scilicet si electorum alii unum eligant, alii alium postulent. (c. 180) *Postulationis natura*

82. - Postulatione ipsa nullum ius postulato acquiritur. (c. 181) *et effectus.*

Si vero fuerit admissa plenum ius in officio acquirit, modo consenserit intra tempus utile (cc. 182. 175). — Reiecta postulatione, ius eligendi ad collegium redit, nisi scienter postulaverint eum qui tali detinetur impedimento a quo non possit vel non soleat dispensari ; tunc enim provisio ad Superiorem pertinet. (c. 182)

Caput II. - De Amissione Officiorum Ecclesiasticorum

Effectus resoluti iuris Superioris,

83. - « Resoluto quovis modo iure Superioris a quo fuerat concessum, officium ecclesiasticum non amittitur, nisi lex aliud caveat aut nisi in concessione habeatur clausula : *ad beneplacitum nostrum,* vel alia aequipolens. » (c. 183)

renuntiationis formalis,

84. - Amittitur officium ecclesiasticum :

1) *Renuntiatione* facta libere et in forma legitima Superiori a quo est acceptanda (cc. 184. 187). A die significatae acceptationis vacat officium. (c. 190)

vel tacitae.

2) *Ob tacitam renuntiationem* a) professione religiosa : beneficia autem paroecialia post annum ab emissa qualibet professione religiosa vacant : post triennium cetera. (c. 584)

b) acceptatione et pacifica possessione alius officii ecclesiastici cum priore incompatibilis.

c) quibusdam delictis admissis, ut defectione publica a fide catholica, matrimonio etiam civili tantum contracto, dimisso sine causa habitu ecclesiastico nec, post monitionem, reassumpto, etc. (c. 188)

« Semel legitime facta renuntiatione, non datur amplius paenitentiae locus, licet renuntians possit officium ex alio titulo consequi » (c. 191). — Ante acceptationem tamen locus erit paenitentiae.

amotionis,

3) *Privatione* vel *amotione* ad normam iuris intimata a legitimo Superiore. Si agatur de inamovibili officio Ordinarius processu ad normam iuris, de amovibili autem, exceptis paroeciis, nullo certo procedendi modo uti debet. Recursus ad S. Sedem datur tantum in *devolutivo.* (c. 192)

translationis.

4) *Translatione* a competenti Superiore ex iusta causa facta. (c. 193)

TITULUS V. - DE POTESTATE ORDINARIA ET DELEGATA

(cc. 196-210)

Iurisdictionis variae species.

85. - Potestas iurisdictionis « alia est fori externi, alia fori interni seu conscientiae, sive sacramentalis sive extrasacramentalis ». (c. 196)

Si forum pro quo potestas data est, expressum non fuerit, intelligitur concessa pro utroque foro, nisi ex ipsa rei natura aliud constet. (c. 202)

86. - « Potestas autem ordinaria [i. e. ipso iure annexa officio] potest esse sive propria, sive vicaria » (c. 197), quo nomine ergo designanda erit ab omnibus potestas *sui generis* Vicarii generalis.

87. - « In iure nomine *Ordinarii* intelleguntur, nisi quis expresse excipiatur, praeter R. Pontificem, pro suo quisque territorio episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus *nullius*, eorumque Vicarius generalis, Administrator, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii qui, praedictis deficientibus, interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedant in regimine, pro suis vero subditis Superiores [tantum] maiores in religionibus clericalibus exemptis. — Nomine autem *Ordinarii loci* seu *locorum* veniunt omnes recensiti, exceptis Superioribus religiosis. » (c. 198) *Quinam veniant nomine Ordinarii.*

Inter illos qui iurisdictionem ordinariam in foro externo possident, soli Superiores locales Religiosorum exemptorum nomine « Ordinarii » non veniunt, si excipias Abbates monasterii sui iuris.

88. - Potestas *ordinis* nequit aliis demandari, nisi id expresse fuerit iure vel indulto concessum (c. 210) : potestas *iurisdictionis ordinaria* delegari potest, nisi expresse aliud iure caveatur. (c. 199) *Potestatis delegatio,*

Iurisdictio *delegata* subdelegari potest nisi subdelegatio prohibeatur : *subdelegatio.*

a) etiam habitualiter, si a S. Sede delegata est, non electa industria personae.

b) in singulis casibus, si delegata est ad universitatem negotiorum. (199)

Quamquam iurisdictio delegata, non ad universitatem causarum, *stricte* est interpretanda, « ea quoque intelliguntur concessa sine quibus eadem exerceri non potest ». (c. 200. Cf. n. 34)

Morte delegantis cessat potestas delegata, si contineat clausulam « *ad beneplacitum nostrum* » vel aliam aequivalentem aut rescriptum quo potestas alicui fit concedendi gratiam peculiaribus personis in eodem expressis et res sit adhuc integra. (cc. 207. 61) *Morte delegantis quae cessat potestas ?*

89. - Bono animarum consulens sedandisque intricatis controversiis haec sapienter constituit novae legis auctor : « Potestate pro foro *interno* concessa, actus per inadvertentiam positus, elapso tempore vel exhausto casuum numero, validus est » (c. 207). « *In errore communi* aut in dubio positivo et probabili sive iuris sive *facti*, iurisdictionem supplet ecclesia pro foro tum *externo*, tum *interno* ». (c. 209) *Quibus defectibus iurisdictionis Ecclesia supplet ?*

Qui iurisdictione utetur cum dubio positivo et probabili *facti*, *absolute* ea uti nec paenitentem iam de dubio monere debebit. Ut autem *liceat*, in casu erroris communis, Ecclesiam ad supplendum cogere, *necessitatem* requiri docent omnes Canonistae ; quod de iurisdictionis dubiae usu non valet.

De *titulo colorato* non est cur canon loquatur cum in casu latiori « erroris communis » comprehendatur.

90. - Potestas pluribus pro eodem negotio delegata praesumitur, in dubio, facta in solidum in re voluntaria, collegialiter in re iudiciali. (c. 205) *Potestatis pluribus delegatae usus.*

TITULUS VI. - DE REDUCTIONE CLERICORUM AD STATUM LAICALEM

(cc. 211-214)

Reditus ad statum laicalem condiciones.

91. - Extra casum ordinationis coacte, metu gravi, receptae, ut clericus in *sacris* constitutus ad statum laicalem reducatur aut ita redactus ad statum clericalem redeat, necessaria est interventio S. Sedis: *minoribus* vero ordinibus constitutus sive propria voluntate, *praemonito loci Ordinario*, sive eiusdem licentia vel decreto ad statum laicalem redire potest.

SECTIO II. - DE CLERICIS IN SPECIE

De divisione territorii Ecclesiastici

(cc. 215-217)

Notio paroeciae et quasi-paroeciae.

92. - Dioeceses omnes, item Vicariatus apostolici et Praefecturae apostolicae, ubi commode fieri possit, in distinctas partes territoriales dividendi sunt, quibus assignentur oportet determinatus populus cum peculiari ecclesia et peculiaris rector. Partes dioecesis ita constitutae sunt *paroeciae*, Vicariatus autem vel Praefecturae *quasi-paroeciae*. (c. 216)

Paroeciae instituantur territoriales.

93. - « Non possunt sine speciali indulto constitui paroeciae pro diversitate sermonis seu nationis fidelium in eadem civitate vel territorio degentium, nec paroeciae mere familiares aut personales ; ad constitutas autem quod attinet, nihil innovandum, inconsulta Apostolica Sede. » (c. 216)

In America septentrionali nonnullas existere huiusmodi paroecias personales (Polonorum, Italorum, etc.) notum est. Harum autem, ultra veram necessitatem, augere numerum minus videtur spiritui catholicae religionis consentaneum.

TITULUS VII
DE SUPREMA POTESTATE DEQUE IIS QUI EIUSDEM SUNT ECCLESIASTICO IURE PARTICIPES

(cc. 218-328)

Caput I. - De Romano Pontifice

R. Pontificis summa potestas.

94. - Revocata in memoriam sententia Concilii Vaticani de suprema, independenti, universali et immediata iurisdictione R. Pontificis in Ecclesiam, non est cur Codex Iuris illam minutim describat, ipsaque textus brevitate (cc. 218-221) summa potestas R. Pontificis commendatur.

Caput II. - De Concilio oecumenico

R. P. in Conc. oecumenicum potestas.

95. - Ad Romanum Pontificem pertinet Concilium oecumenicum convocare, in omnibus negotiis dirigere, transferre, suspendere, dissolvere (c. 222), eiusque decretis confirmatione et promulgatione vim definitivam obligandi tribuere (c. 227). Morte R. Pontificis Concilium ipso iure intermittitur. (c. 229)

Ius suffragii deliberativi.

96. - Iam ex *iure communi* « Cardinales, etsi non episcopi » ius habent suffragii deliberativi, item episcopi titulares, Moderatores religionum clericalium exemptarum (non tantum Regularium) ad Concilium vocati, nisi aliud in convocatione expresse caveatur. (c. 223)

Legitime impediti Procuratorem mittere debent : qui, si fuerit e Concilii Patribus, unico tantum suffragio gaudebit ; secus, nullo suffragii iure sessionibus interesse potest. (c. 224)

Caput III. - De S. R. E. Cardinalibus

S. Collegii compositio.

97. - S. Collegium constat sex Cardinalibus ordinis episcopalis, quinquaginta ordinis presbyteralis, quatuordecim ordinis diaconalis. (c. 231)

Ut quis ad dignitatem Cardinalatus eligatur, in ordine presbyteratus constituatur oportet. (c. 232)

Dioecesium suburbicariarum administratio.

98. - Confirmatur regula Motu proprio *Editae a Nobis* Pii X (5 maii 1914) statuta, qua dioecesis Ostiensis cum alia atque alia dioecesi suburbicaria in persona Cardinalis Decani semper coniungitur. (c. 236)

Cardinales episcopi suburbicarii per seipsos, nisi iusta causa aliud suadeat, suam dioecesim regent et onere relevati sunt sibi Suffraganeum deligendi. (Const. *Ex actis*, 1 febr. 1915, (A. A. S. t. 7 (1915), p. 229 ss.)

Iura Cardinalium in suis « titulis ».

99. - « Cardinales in suis titulis vel diaconiis, postquam eorumdem canonicam possessionem ceperint, omnia possunt quae locorum Ordinarii in suis ecclesiis, exceptis ordine iudiciorum et qualibet iurisdictione in fideles, sed salva potestate in iis quae ad disciplinam, morum correctionem, servitium ecclesiae pertinent. » (c. 240)

Cardinalibus conceduntur plurima privilegia, quorum longe maior pars sub 24 numeris (c. 239) recensentur.

Caput IV. - De Curia Romana

Curiae a Pio X reformatio.

100. - Curia Romana quae « S. Congregationibus, Tribunalibus et Officiis constat » (c. 242) a Pio X, Const. *Sapienti consilio*, 29 iun. 1908, ita est reformata ut suo cuique dicasterio negotia accuratius definirentur et Congregationibus ea tantum reservarentur quae in linea *disciplinari* dirimenda sunt, omnibus

iudiciis ad Tribunalia amandatis. Quod ad disciplinam et regulas in negotiis tractandis servandas, ad Normas generales aut speciales, quae huic Constitutioni erant annexae, remittimur (c. 243). (1) Controversias autem de competentia inter SS. Congregationes, Tribunalia vel Officia R. Curiae dirimet, non S. *Congregatio Consistorialis*, sed coetus S. R. E. Cardinalium, quos R. Pontifex *singulis vicibus* designaverit. (c. 245)

Commissio iuri canonico interpretando.

101. - Quae Benedictus XV circa Curiam Romanam innovavit in novum Codicem relata sunt. Hoc tamen iam edito, Motu proprio *Cum iuris canonici*, (15 sept. 1917) constituta est nova « Commissio » cuius erit novum ius authentice interpretari et perficere. Invitantur S. Congregationes ut nova decreta generalia non edant « nisi gravis Ecclesiae universae necessitas aliud suadeat » sed potius aptis « instructionibus » ius ex Codice vigens interpretentur et promoveant. Si quae tamen huiusmodi decreta edenda erunt, a Summo Pontifice prius approbata, ad Consilium iuri canonico interpretando praepositum remittentur, cuius erit statuere cui veteri canoni nova lex sit sufficienda, vel cui canoni, repetito *eodem* numero *bis*, *ter*, addenda. (Cf. n. 5)

ART. I. - DE SACRIS CONGREGATIONIBUS

Quibus membris constant SS. Congregationes.

102. - Singulis Congregationibus praeest Cardinalis Praefectus vel, ipsemet R. Pontifex (scil. *S. Officio*, Congr. *Consistoriali* et Congr. *pro ecclesia orientali*), cuius vices gerit Cardinalis Secretarius, quibus adiunguntur Cardinales quos Pontifex ascribendos censuerit cum aliis necessariis administris (c. 246). Hos consiliis adiuvant certus numerus Consultorum ex utroque clero delectorum.

Competentia S. Officii.

103. - *Congregatio S. Officii* tutatur doctrinam fidei et morum. Ad ipsum pertinet quidquid privilegium Paulinum et impedimenta sive mixtae religionis sive disparitatis cultus respicit. Suppressa S. Congregatione *Indicis* (Motu proprio, 25 mart. 1917) (2), *S. Officio* annexa est *Sectio de Indice* cui incumbit onus de censura et prohibitione librorum. Tandem « ipsa una est competens circa ea omnia quae ieiunium eucharisticum pro sacerdotibus Missam celebrantibus respiciunt », (olim S. C. *Sacramentorum*). (c. 247)

Salvo *S. Officii* iure « videndi ea quae doctrinam dogmaticam circa indulgentias vel circa novas orationes et devotiones respiciunt », quae ad usum et concessionem indulgentiarum spectant ad S. Paenitentiariam delata sunt. (c. 258) (3)

S. C. Consistorialis.

104. - Congregationis *Consistorialis* est ea parare quae in Consistoriis aguntur et omnia quae ad erectionem, divisionem, constitutionem, conservationem et statum dioecesium pertinent ordinare. Ius autem amisit dirimendi controversias de competentia in ipsa Curia oriundas. (c. 248)

S. C. de disciplina Sacramentorum.

105. - Congregationi *de disciplina Sacramentorum* proposita est universa legislatio circa *disciplinam* sacramentorum (exceptis iis quae

(1) A. A. S. t. 1 (1909). — (2) A. A. S., t. 9, (1917) p. 167 ss. — (3) A. A. S., t. 9, (1917) p. 187 ss.

ad S. *Officium* pertinent) : circa *ritus* vero *et caerimonias* competens est S. C. *Rituum*.

Quaestiones intricatiores de inconsummatione vel validitate matrimonii potest ad S. Rotam remittere. Videt quoque de obligationibus sacris Ordinibus annexis. (c. 249)

106. - Congregationi *Concilii* ea pars negotiorum est commissa, quae ad universam disciplinam cleri saecularis populique christiani refertur. Solvit dubia de praeceptis vitae christianae, piis associationibus (etiam a Religiosis in sua domo erectis), iuribus et obligationibus clericorum. Ad eam pertinent ea omnia quae ad Conciliorum celebrationem et recognitionem atque ad episcoporum coetus seu conferentias referuntur. Infaustis temporum adiunctis ei commissa est « facultas... admittendi ad compositionem eos qui occuparunt bona ecclesiae, *etiam pertinentia ad Religiosos ;* permittendi ut fideles acquirant bona ecclesiastica a potestate civili usurpata » (250). De Congregatione *Lauretana* olim huic annexa silet Codex. *S. C. Concilii.*

107. - Congregatio *negotiis religiosorum sodalium* praeposita omnia pertractat negotia religiosorum utriusque sexus, eorum quoque qui in communi vitam agunt more religiosorum, et tertiorum ordinum saecularium. Si tamen « quaestio vertatur inter religiosum sodalem et personam non religiosam, praesertim ad instantiam partis, potest quoque, si aequum iudicaverit, eamdem quaestionem ad aliam Congregationem aut Tribunal remittere ». (c. 251) *S. C. de Religiosis.*

Huic denique Congregationi reservatur concessio dispensationum a iure communi pro sodalibus religiosis (non tamen in ieiunio eucharistico sacerdotum). (c. 251)

108. - Congregatio *de Propaganda fide* omnia et sola negotia per se vel mediantibus aliis Congregationibus tractat pertinentia ad regiones quae sacram hierarchiam nondum constitutam habent vel, si constituta est, adhuc aliquid inchoatum prae se ferunt. *S. C. de Propaganda fide.*

Eidem « subsunt societates ecclesiasticorum ac Seminaria quae exclusive fundata sunt eo fine, ut in eis instituantur Missionarii pro exteris missionibus, praesertim quod attinet ad eorum regulas, administrationem atque opportunas concessiones ad sacram ordinationem alumnorum requisitas. »

Negotia vero religiosorum, *qua talium*, ad S. C. de religiosis remittere aut relinquere debet.

Ab ipsa seiuncta est Congregatio pro Ecclesia Orientali, cui praeest ipse R. Pontifex. (cc. 252. 257)

109. - Congregatio *Rituum* ius habet videndi et statuendi omnia quae sacros ritus et caerimonias Ecclesiae latinae proxime spectant. Ea quoque omnia agit quae ad beatificationem et canonizationem Servorum Dei vel ad sacras reliquias quoquo modo referuntur. *S. C. Rituum.*

Eidem non dicuntur iam annexi coetus liturgicus, historico-liturgicus et pro sancto concentu. (c. 253)

S. C. Caerimonialis.

110. - Congregatio *Caerimonialis* moderatur caerimonias in sacello aulaque pontificali et sacras functiones omnium Cardinalium : cognoscit quoque quaestiones de praecedentia cum Cardinalium, tum Legatorum ad S. S. missorum. (254)

S. C. pro negotiis extraordinariis.

111. - Congregatio *pro negotiis ecclesiasticis extraordinariis* ea praesertim negotia pertractat, in quibus cum civilibus Guberniis agendum est. (255)

S. C. de Seminariis.

112. - Congregatio *de Seminariis et universitatibus studiorum* erecta Motu proprio, *Seminaria clericorum*, 4 nov. 1915, (1) Congregationi studiorum est suffecta, cui praeter curam studiorum in Seminariis et Universitatibus vel Facultatibus, quae ab ecclesia dependent, commissa sunt ea « quae ad regimen, disciplinam, temporalem administrationem Seminariorum pertinent » (256). Itaque munera quaedam ad S. C. Consistorialem olim pertinentia in se suscepit.

S. C. pro ecclesia orientali.

113. - Congregatio *pro ecclesia orientali* nova erecta est cui ipse R. Pontifex praeest. Ei reservantur omnia negotia quae ad ecclesias ritus orientalis pertinent, etiamsi latinos quoque attingant sive rei sive personae ratione et pro illis ecclesiis vices gerit omnium Congregationum, salvo iure S. Officii.

ART. II. - DE TRIBUNALIBUS CURIAE ROMANAE

S. Paenitentiaria.

114. - Haec sunt *S. Paenitentiaria*, cui praeter omnia negotia fori *interni*, commissa sunt « quae ad usum et concessionem indulgentiarum spectant », *S. Rota Romana* et *Supremum Tribunal Signaturae Apostolicae* (De his in cc. 1598-1605).

S. Rota Romana.

Ad S. Rotam remittenda sunt omnia negotia quae, *servatis iudiciorum formis*, sunt dirimenda. Est praecipue tribunal secundae instantiae pro omnibus causis quae in prima instantia in tribunali episcopi dirimuntur dum *Signatura Apostolica* praesertim ad modum tribunalis « cassationis » constituitur. Quae de eius competentia Chirographo, *Plura et prudentissime*, 28 iun. 1915, (2) statuta sunt in Codicem sunt inserta. (cc. 1603. 1604)

Signatura Apostolica.

Caput V. - De Legatis Romani Pontificis

Legatorum S. S. munera.

115. - *Legati a latere* sunt Cardinales a R. Pontifice missi ut in quibusdam negotiis extraordinariis cum definitis facultatibus eius locum teneant. *Nuntii* et *Internuntii* relationes fovent inter Sedem

(1) A. A. S., t. 7 (1915), p. 493 ss. — (2) A. A. S., t. 7 (1915), p. 317 ss.

Apostolicam et civilia Gubernia : *Delegati apostolici* inter S. Sedem et ecclesias regionum, quarum Gubernium cum S. Sede publicum commercium non habet. Illi praeterea de statu ecclesiarum sui territorii, in quem advigilare debent, R. Pontificem certiorem faciunt (c. 267). Ordinariis tamen locorum liberum suae iurisdictionis usum omnino relinquere debent. (c. 269)

Episcopis vero, qui *ratione sedis*, (v. g. Lugdunensis) *titulo* Legati Apostolici decorantur, nullum exinde competit speciale ius. (c. 270)

Caput VI. - De Patriarchis, Primatibus, Metropolitis

Iura Patriarchae aut Primatis et Metropolitae in sua dioecesi,

116. - Patriarchae aut primatis titulus, ex iure communi, nihil confert praeter praerogativam honoris et ius quoddam praecedentiae. (cc. 271. 280)

117. - Provinciae ecclesiasticae praeest metropolita seu archiepiscopus, qui in propria dioecesi eadem fere iura obligationesque habet quae episcopus in sua. (cc. 272. 273)

in dioecesibus suffraganeis.

Ex ipsis Codicis verbis confirmari videtur sententia eorum qui censent iurisdictionem metropolitae in dioecesibus suffraganeis solo iure scripto definiri cum dicatur : « In dioecesibus suffraganeis metropolita potest *tantum*., etc. » (c. 274). In dioecesibus suffraganeorum, praeter iudicium quarundam causarum in 2ª instantia, concessionem indulgentiarum 100 dierum, usum Pontificalium, metropolitae ius competit supplendi eorum vel capituli negligentiae in instituendis praesentatis beneficiariis, in visitatione canonica peragenda et deputando vicario capitulari.

Ut canonicam visitationem, episcopo neglegente, peragat, causa a S. Sede prius est approbanda. (5°)

Ei nusquam ius agnoscitur Suffraganeum censura plectendi et de Suffraganei causis civilibus Codex silet ; ad metropolitam autem deferenda est controversia de iuribus aut bonis temporalibus episcopi aut mensae vel curiae dioecesanae, nisi, episcopo consentiente, committatur dioecesano tribunali collegiali quod Officiali et duobus iudicibus synodalibus antiquioribus constet. (c. 572, 2)

De postulatione usuque pallii nihil novi statuitur.

Caput VII. - De Conciliis plenariis et provincialibus

Quando habenda concilium plenarium et provinciale ?

118. - Ultimis temporibus frequentius iam consueverunt episcopi comprovinciales inter se convenire : qui conventus in non nullis regionibus, ut in Belgio, ipsius concilii provincialis locum tenebant.

Dum concilii plenarii celebratio arbitrio Ordinariorum committitur, novo iure praescribitur celebratio concilii provincialis vicesimo saltem quoque anno, quinto vero quoque anno conventus episcoporum comprovincialium (cc. 283. 292). Ad eorum autem disciplinam quod attinet, pauca magis determinantur.

Caput VIII. - De Vicariis et Praefectis Apostolicis

Vicarii et Praefecti Ap. episcopis fere assimulantur,

119. - Iuxta principium, hic prima vice statutum, « Vicarii et Praefecti Apostolici iisdem iuribus et facultatibus in suo territorio gaudent, quae in propriis dioecesibus competunt episcopis residentialibus, nisi quid Apostolica Sedes reservaverit » (c. 294). Praefecti, excepta visitatione ad S. Limina (c. 299), ad quam non tenentur, in omnibus iuribus officiisque Vicariis assimilantur.

etiamsi charactere episcopali careant.

120. - Augentur porro iura eorum qui charactere episcopali carent. Possunt enim : « intra sui territorii fines ac perdurante munere, omnes benedictiones episcopis reservatas, una pontificali excepta, impertiri, calices, patenas, et altaria portatilia cum sacris oleis ab episcopo benedictis consecrare, indulgentias quinquaginta dierum concedere, confirmationem, primam tonsuram et ordines minores conferre ». (c. 294, cf. cc. 782. 957)

Onus celebrandi pro populo.

121. - Utrisque imponitur onus celebrandi pro grege saltem omnibus diebus *festis* de praecepto (etiam suppressis), excepta Circumcisione Domini, additis dominicis Paschatis et Pentecostes (c. 306), servatis tamen normis de concurrenti dominica et de translatione officii et festi. (c. 339. cf. n. 126)

Caput IX. - De Administratoribus Apostolicis

Administratoris Apostolici iura et munera.

122. - Administratorum quibus R. Pontifex aliquando dioecesis, sive plena sive vacante sede, ob graves causas, regimen committit, iura, officia et privilegia praesertim ex litteris suae deputationis desumenda sunt.

Caput X. - De Praelatis Inferioribus

123. - Canonibus 319-327 reguntur tantum praelatura vel abbatia *nullius*, quae tribus saltem paroeciis constant.

TITULUS VIII. - DE POTESTATE EPISCOPALI DEQUE IIS QUI DE EADEM PARTICIPANT

(cc. 329-486)

Caput I. - De Episcopis

Episcopi institutio et dotes.

124. - Episcopos libere nominat R. Pontifex (c. 329); iisque *omnibus solus* dat canonicam institutionem (c. 332). Ad S. Sedem unice pertinet iudicare num quis sit idoneus (c. 331). Praeter dotes autem generatim recensitas, nominatus debet esse natus ex legitimo matrimonio,

non tantum legitimatus etiam per subsequens matrimonium, et a quinquennio saltem in sacro presbyteratus ordine constitutus. (c. 331)

Visitatio ad Limina et relatio de statu dioecesis.

125. - Singulis quinquenniis (in Belgio sc. annis 1912, 1917, 1922 etc.), tenentur episcopi relationem super statu dioecesis ad S. Sedem facere : a qua eximuntur si « annus assignatus inciderit ex toto vel ex parte in primum biennium ab inito dioecesis regimine » (c. 340). Iisdem annis quibus relatio imperatur, debent Sacra Limina visitare : eos tamen qui extra Europam versantur, singulis decenniis hanc visitationem facere sufficit.

Missa pro populo.

126. - Celebratio pro populo, omnibus diebus dominicis aliisque festis diebus de praecepto, etiam suppressis, imponitur « omni exiguitatis redituum excusatione aut alia quavis exceptione remota ». « Si festum ita transferatur ut in die *ad quem* non solum fiat officium cum missa festi translati, sed serventur quoque obligationes audiendi missam et abstinendi a servilibus, missa pro populo applicanda est in die *ad quem* ; secus in die *a quo* ». (c. 339)

Festa suppressa intellege per speciale indultum aut conventionem cum S. Sede. Festa ista ex novo catalogo aestimanda videbantur. Antea tamen vigens disciplina de missa pro populo intacta manet, ex declar. 17 feb. 1918. (A. A. S. X (1918) p. 170.)

Visitatio dioecesis.

127. Mitior facta est lex de visitanda dioecesi cum sufficiat, si adiuncta id petant, ut saltem « singulis quinquenniis » universam dioecesim vel ipsi per se vel, si fuerint legitime impediti, per Vicarium generalem aliumve lustrent (c. 343). Quam normam pro *amplioribus* dioecesibus Patres concilii Vaticani proposuerant.

« Religiosos autem exemptos episcopus visitare potest in casibus tantum in iure expressis. » (c. 344)

Suppressa delegatio a S. S.

128. - Nusquam leguntur episcopi agere posse « tamquam S. Sedis delegati » vel « etiam tamquam S. Sedis delegati ». Superflua forte visa est haec delegatio, expressis ad amussim casibus in quibus episcopus in exemptos quoque sua iurisdictione uti vel contra eum ab omnibus ad S. Sedem recursus sive in devolutivo, sive in suspensivo haberi potest.

Caput II. - De Coadiutoribus et Auxiliaribus episcoporum

Auxiliaris et Coadiutoris munus.

129. - Coadiutor datur *personae* episcopi cum iure successionis (et, sede vacante, fit statim Ordinarius dioecesis, c. 355) vel sine hoc iure et tunc dicitur *Auxiliaris*, aut ipsi *sedi*, (c. 350). Prioris iura ex litteris apostolicis desumentur (cc. 351) ; alter in territorio potest quae sunt ordinis episcopalis, excepta sacra ordinatione, et in aliis rebus quantum ipsi a S. Sede vel ab episcopo fuerit concessum. (c. 352)

Caput III. - De Synodo dioecesana

Legis de cogenda synodo vicissitudines.

130. - Lex de cogenda annua synodo dioecesana, saltem in forma iure statuta, in multis dioecesibus sive consuetudine, tacito consensu legislatoris firmata, sive speciali privilegio iam diu obsolevit. Cuius locum saepe sumpserunt congregationes decanorum, quibus ad firmandam disciplinam accedunt exercitia spiritualia a sacerdotibus communiter facta et ad fovendam scientiam collationes seu conferentiae. Quae novum ius de tempore cogendae synodi et de delectu personarum statuit, legis observationem sane faciliorem facient : unde ad praxim fortasse redire licebit quam ultimi quoque Romani Pontifices summe commendarunt.

Synodi dioecesanae convocatio et constitutio.

131. - « In singulis » enim « dioecesibus celebranda est *decimo* saltem quoque anno dioecesana synodus... » (c. 356), ad quam vocari et venire debent Vicarius generalis ; canonici ecclesiae cathedralis aut consultores dioecesani ; Rector seminarii, saltem maioris ; Vicarii foranei... ; parochi civitatis in qua synodus celebratur ; unus saltem parochus ex unoquoque vicariatu foraneo eligendus ab omnibus qui curam animarum actu inibi habeant, « et, praeter deputatum uniuscuiusque collegialis ecclesiae, quidam Superiores religiosi », ulterius determinati (c. 358). Alios praeterea vocare potest episcopus, si opportunum iudicaverit. - Procuratorem autem mittere personaliter impediti non possunt. (c. 359)

Caput IV. - De Curia dioecesana

Curiae dioecesanae constitutio

132. - Ad curiam dioecesanam pertinent Vicarius generalis, cancellarius, synodales examinatores et parochi consultores, de quibus statim agetur ; officialis, promotor iustitiae, synodales iudices, auditores, notarii, cursores et apparitores (c. 363) quorum munus et officia in libro de processibus describuntur. (cc. 1573-1593)

ART. I. - DE VICARIO GENERALI

Vicarii generalis dotes.

133. - In eius dotibus describendis ratio habita est votorum Patrum Conc. Vaticani (1) : praescribitur enim ut « sit sacerdos... annos natus non minus triginta ». Eius vero munus « ne committatur canonico paenitentiario... aut, exclusa necessitate, parocho ceterisque curam animarum habentibus » ; at, contra responsa quaedam particularia S. C. *Episc. et Reg.* « non prohibetur episcopus Vicarium ex ipsa dioecesi assumere » (c. 367). « Si dioecesis alicui religioni commissa fuerit, Vicarius generalis potest esse eiusdem religionis alumnus ». (ibid.)

potestas,

134. - De natura eius potestatis non est cur iam disputent : est enim ordinaria, non propria, sed *vicaria* (cc. 197. 366. 368). - Omnia

(1) MARTIN, *Schem.* p. 134 ss.

negotia ad quae *speciali mandato* indiget in singulis titulis accurate definiuntur.

135. - Ipsi praecedit, sive publice sive privatim, clericus tantum charactere episcopali praefulgens, si Vicarius eodem careat. (c. 370) *ius praecedentiae.*

ART. II. - DE CANCELLARIO ALIISQUE NOTARIIS ET ARCHIVO EPISCOPALI

136. - In curia episcopali servandum est *duplex archivum*, quorum alterum omnino secretum sit oportet. Curabunt autem episcopi « ut archivorum quoque ecclesiarum... paroecialium, necnon confraternitatum et piorum locorum inventaria seu catalogi conficiantur duobus exemplaribus quorum alterum in proprio archivo, alterum in archivo episcopali servetur... ». (c. 383) *Archivi cura.*

ART. III. - DE EXAMINATORIBUS SYNODALIBUS ET PAROCHIS CONSULTORIBUS

137. - In quavis dioecesi habeantur non infra quattuor, nec ultra duodecim examinatores synodales et parochi consultores « qui omnes in synodo constituantur, propositi ab episcopo, a synodo approbati » (c. 385). - Ubi synodus non habeatur, constituantur examinatores et parochi consultores prosynodales, de concilio capituli. (c. 386) *Examinatorum synodalium et parochorum consultorum institutio*

« Removeri ab episcopo nequeunt, nisi gravi de causa et de consilio capituli cathedralis. » (c. 388)

Parochorum consultorum ope uti Ordinarius praesertim debet quotiescumque contra parochos « oeconomice » procedendum est, v. g. in amotione canonica a paroecia. (Cfr. n. 638, sqq.) *et munus.*

Caput V. - De Capitulis canonicorum

138. - Capitula canonicorum sunt clericorum collegia ideo instituta ut sollemniorem cultum Deo in ecclesia exhibeant et, si agatur de capitulo cathedrali, ut episcopum in dioecesis regimine adiuvent eiusve, sede impedita aut vacante, vices suppleant. (c. 391) *Capitulorum notio*

Circa constitutionem, electiones, iura, plurimum valent lex fundationis, capitularia statuta et consuetudo. (cc. 396. 403. 408. 413)

Constant plerumque una vel duabus saltem dignitatibus et certo numero canonicorum. In capitulis « non numeratis », canonicatus sine annexis emolumentis institui nequeunt absque speciali S. Sedis concessione. (c. 393) *et constitutio.*

139. - Collatio dignitatum (non tantum prioris, ut erat reg. canc. 4) in omnibus capitulis S. Sedi reservatur. *Optio* autem, seu ius ut antiquiores canonici vacantem praebendam, non reservatam, *Collatio dignitatum S. S. reservatur.*

sua dimissa, eligere possint, prohibetur, « reprobata contraria consuetudine, sed salva fundationis lege ». (c. 396)

Canonici paenitentiarii munus

140. - In singulis ecclesiis cathedralibus instituatur officium canonici theologi et, ubi id fieri possit, canonici paenitentiarii. (c. 398)

Ut autem suo cuique foro libertas et dignitas maneant, « *canonicus paenitentiarius* prohibetur aliud simul officium in dioecesi suscipere aut exercere, cui annexa sit iurisdictio in foro externo » (c. 399). - « Obtinet a iure potestatem *ordinariam*, quam tamen aliis *delegare non potest*, absolvendi etiam a peccatis et a censuris episcopo reservatis, in dioecesi extraneos quoque, et dioecesanos extra territorium quoque dioecesis. » (c. 401)

et potestas.

Canonici theologi munus.

141. - *Canonici theologi* munus est in ecclesia cathedrali sacram Scripturam aut, si episcopo videbitur, alia doctrinae catholicae argumenta explicare : gravi de causa poterit ei, loco harum lectionum, committi munus easdem disciplinas in seminario docendi (c. 400). Quo tempore docet, in choro praesens censetur. (c. 420)

Canonicorum ad honorem nominatio

142. - Episcopo privative ius reservatur nominandi *canonicos ad honorem*. Quo iure raro utatur et, si de sacerdote alius dioecesis agatur, assensu eius Ordinarii prius impetrato, sub poena nominationis irritae. (c. 406)

et privilegiorum usus.

143. - « Canonici ad honorem alicuius basilicae vel ecclesiae collegialis *almae Urbis*, privilegiis et insignibus uti possunt tantum intra eiusdem basilicae vel collegiatae ecclesiae eiusque filialium ambitum ; canonici vero ad honorem aliarum ecclesiarum *extra Urbem*, privilegiis et insignibus utantur in dioecesi tantum ubi nominati sunt, non autem extra dioecesim », nisi episcopum comitentur aut in conciliis aliisve sollemnitatibus repraesentent. (cc. 407. 409)

Ordo praecedentiae.

144. - Capitulum cathedrale praecedit *ubique* collegiali, etiam insigni ; in eodem capitulo, salvis peculiaribus statutis vel legitimis consuetudinibus, praecedentiae ordine veniunt dignitates, canonici titulares, iuxta tempus captae possessionis si sint eiusdem ordinis sacri, honorarii, beneficiarii. Qui charactere episcopali ornantur omnibus presbyteris praecedunt. (c. 408)

Episcopo a canonicis officia debita.

145. - Episcopo in ecclesiis civitatis aut suburbii sollemniter celebranti aut alia pontificalia exercenti canonici, ab eo invitati, inservire debent. Praeterea duos e capitulo sive cathedrali, sive collegiali assumere ac retinere potest ut sibi in ecclesiastico ministerio ac dioecesis servitio assistant. (c. 412)

Canonicorum obligationes. Residentia.

146. - Quodlibet capitulum debet cotidie in choro horas canonicas recitare et missam conventualem celebrare. (c. 413)

Reprobata contraria consuetudine, canonici et beneficiarii cotidiano choro astricti, possunt singuli abesse tres tantum menses in

anno « non tamen tempore Quadragesimae aut Adventus vel in praecipuis sollemnitatibus sine expressa episcopi licentia, nec quidquam eo tempore distributionum percipiunt, nisi ex illis solis constet omnis praebendae proventus ». (c. 418)

Absentium annotatio,

147. - Absentes a divinis officiis cotidie notentur ab uno vel pluribus *punctatoribus* qui, secundum capitulorum statuta, instituendi sunt praestito prius coram capitulo vel eius praeside iureiurando de suo munere fideliter obeundo ; si afuerint, senior e canonicis qui assunt, illorum vices suppleat (c. 395). - Si quis choro interesse non possit, sibi substituere vetatur canonicum qui eodem iam tempore chori obligatione tenetur. (c. 419)

obligatio,

ius ad distributiones.

148. - Etsi diligentibus *distributiones* cedunt, non omnis absentia ab illis privat. Ita v. g. *excusantur a choro* ut percipiant fructus praebendae ac distributiones cotidianas, praeter alios quosdam, canonici iubilati ; qui annuis exercitiis spiritualibus vacant, at semel tantum in anno ; qui episcopo extra cathedram sacra peragenti invitati assistunt ; qui operam navant conficiendis processibus beatificationis vel canonizationis aut uti testes in iisdem causis vocati sunt, tempore in hoc officium impendendo ; parochi consultores, examinatores et iudices synodales, dum proprio munere funguntur. Hi omnes, exceptis ultimis, etiam distributiones « *inter praesentes* » percipiunt, nisi obstet fundatorum expressa voluntas. (c. 420)

Iubilati canonici privilegia.

149. - *Iubilati* seu canonici, qui *a S. Sede* indultum iubilationis impetrarunt post continuum et laudabile quadraginta annorum in eadem saltem dioecesi chori servitium, fructus praebendae et nisi expressa fundatorum vel oblatorum voluntas, ecclesiae statuta aut consuetudo obstent, *omnes* distributiones percipiunt, etiamsi in loco beneficii non resideant. (c. 422)

Missae conventualis intentio et stipendium.

150. - *Missa conventualis* pro benefactoribus in genere est applicanda. Qui ab ea celebranda ob valetudinem impeditur vices gerenti eleemosynam præstare non debet « nisi statuta particularia vel particularis consuetudo aliud ferat » ; celebranti autem stipendium e cumulo distributionum vel ex reditibus omnium praebendarum per contributum praeberi potest ubi viget consuetudo. (c. 417)

Quid si cum onere missae pro populo concurrat ?

Si quis eodem die urgeatur onere utriusque missae, et pro populo et conventuali, hanc ipse celebret applicetque per se, illam per alium vel per se die sequenti. (c. 419)

Caput VI. - De consultoribus dioecesanis

Consultorum munus.

151. - Consultores, ab episcopo ad triennium nominati et ad idem temporis spatium semper iterum eligibiles, vices capituli cathedralis agunt, sive sede plena sive vacante, in quibus dioecesibus nondum

constitui potuit restituive cathedrale canonicorum capitulum. Quare quae canones ad gubernationem dioecesis, sive sede plena sive ea impedita aut vacante, capitulo cathedrali tribuunt, ea de coetu quoque consultorum dioecesanorum intellegenda sunt.

Caput VII. - De sede impedita aut vacante ac de Vicario capitulari

Unici vicarii capitularis

152. - « Unus deputetur Vicarius capitularis, *reprobata contraria consuetudine ;* secus electio irrita est. » (c. 433)

Quare confirmatur ius Tridentinum (S. XXIV. c. 16 de R.) quod S. Sedes ultimis praesertim temporibus urgebat.

dotes

In eo quoque requiritur sacer presbyteratus ordo et aetas triginta annorum expletorum. (c. 434)

et potestas.

153. - Sede vacante in capitulum vel Vicarium capitularem transit omnis iurisdictio ordinaria episcopi cum facultatibus omnibus « Ordinario loci » concessis, exceptis iis quae in iure expresse prohibentur vel facultatibus in quibus electa est industria personae aut translatio potestatis in alium expresse prohibetur. (Cf. cc. 435. 368 § 2. 66)

Caput VIII. - De Vicariis foraneis

Vicarii foranei munus.

154. - Vicarius foraneus, seu decanus vel archipresbyter (c. 217), est sacerdos ab episcopo electus « praesertim inter rectores ecclesiarum paroecialium » (c. 446), cuius munus est curare ut in parte dioecesis sibi commissa perfecte vigeat disciplina ecclesiastica. — Quare paroecias sui districtus statis temporibus visitare (c. 447) et semel saltem in anno de illis rationem Ordinario reddere debet (c. 449). Ad nutum episcopi removeri potest. (c. 446)

Caput IX. - De parochis

Quis « parochus » in iure ?

155. - Parochis aequiperantur cum omnibus iuribus et obligationibus paroecialibus et parochorum nomine in iure veniunt :

1) Quasi-parochi, qui quasi-paroecias in vicariatibus vel praefecturis apostolicis regunt.

2) Vicarii paroeciales, si plena potestate paroeciali sunt praediti : quales erunt qui in paroecia personae morali unita actualem curam animarum gerant. (c. 451)

Muneris perpetuitas.

156. - Quamquam omnes parochi « ad normam iuris » amoveri possunt, in sua paroecia stabiles esse debent; distinctionemque omnino servat Codex inter parochos amovibiles et inamovibiles, qui scil. « maiore stabilitate gaudent ». Immo vult ut novae quae constituan-

tur paroeciae, *quantum fieri potest*, sint inamovibiles neque veteres in amovibiles mutari possunt sine beneplacito apostolico. (c. 454)

157. - Cum paroecia vacans ad *magis idoneum*, non tantum doctrina sed aliis quoque dotibus, conferri debeat, de eius idoneitate sedulo ex documentis et exquisitis prudenter notitiis iudicet episcopus, retenta lege concursus, ubi viget, donec S. Sedes aliud decreverit. (c. 459) *dotes,*

158. - Parochus unam tantum titulo paroeciam habeat, nisi de paroeciis aeque principaliter unitis agatur ; in eadem autem paroecia unus tantum debet esse parochus actualis, reprobata contraria consuetudine et revocato quolibet contrario privilegio. (c. 460) *unicitas,*

159. - Inter functiones quae parocho reservantur, paululum limitata est administratio viatici et extremae unctionis cum in domibus religiosis ab iis fere numquam sit iam perficienda. (Cf. n. 181. c. 514) *iura,*

Ex gravi causa potest Ordinarius parocho absentiam annuam ultra bimestre concedere aut breviorem tantum permittere. (c. 465) *residentia,*

160. - Dum parochi pro grege celebrare debent omnibus diebus dominicis et festis etiam suppressis, quasi-parochi ad id tantum tenentur in festis Ecclesiae universalis, etiam suppressis, excepta Circumcisione Domini (c. 466, cf. cc. 339. 306). Nisi parochus duas paroecias non principaliter unitas titulo habeat (quod prohibetur) unico semper sacro huic obligationi satisfacit (c. 486). Cf. n. 126. *onus celebrandi pro populo.*

Libros paroeciales habere iubentur ; in libro baptizatorum annotandum erit si baptizatus confirmationem receperit, matrimonium contraxerit, subdiaconatum susceperit aut professionem sollemnem emiserit. (cc. 470, 2 ; 1103)

161. - Parochi religiosi a suo Superiore praesentati ab Ordinario loci instituuntur (cc. 456. 458) ; amoveri semper possunt *ab alterutro*, alterius consensu non requisito, nec alter alteri causam sui iudicii aperire tenetur : recursus tamen ad S. Sedem patet in devolutivo. (c. 454) *Parochi religiosi institutio et amotio.*

Caput X. - De Vicariis paroecialibus

162. - Varii distinguuntur Vicarii paroeciales — sunt enim *Vicarii* paroeciarum quae domui religiosae, ecclesiae capitulari, vel alii *personae morali* uniuntur (c. 471) ; *Vicarius oeconomus*, in paroecia vacante ab Ordinario constitutus (c. 472) ; *Vicarius substitutus* a parocho absente vel impedito cum consensu episcopi (c. 474) ; *Vicarius adiutor* parochi qui ob varias causas permanentes suo muneri rite obeundo impar factus est (c. 475) ; tandem *Vicarii cooperatores* parocho annexi ob populi multitudinem, paroeciae amplitudinem, etc. (c. 476) *Vicariorum paroecialium variae species*

163. - Vicarii personae moralis vel oeconomus omnia iura et officia parochorum habent ; substitutus quoque, nisi Ordinarius loci *Ut potestas*

vel parochus aliquid exceperint ; adiutor, si in *omnibus* suppleat parochi vices : hunc tamen applicatio missae pro populo etiam tunc gravat ; coadiutorum iura et obligationes definiuntur ex statutis dioecesanis, delegatione Ordinarii et ipsius parochi commissione.

Disciplina, quae iam in multis regionibus vigebat, iure communi nunc sancitur, scilicet « non ad parochum sed ad loci Ordinarium, audito parocho, competit vis nominandi Vicarios cooperatores e clero saeculari ». (c. 476, § 3)

Caput XI. - De ecclesiarum rectoribus

Rectoris ecclesiae notio

164. - « Nomine rectorum ecclesiarum hic veniunt sacerdotes, quibus cura demandatur alicuius ecclesiae quae nec paroecialis sit nec capitularis, nec annexa domui communitatis religiosae quae in eadem officia celebret. » (c. 479)

In canonibus qui sequuntur sedulo definitur ampla potestas Ordinarii loci in huiusmodi rectores, et cavetur ne cum paroeciae detrimento quidquam peragant.

et omnimoda ab episcopo dependentia.

165. - Ordinarii loci est eos libere nominare, legitime electos vel praesentatos approbare (c. 480) et ad nutum ex qualibet iusta causa amovere (c. 486) ; controversias de damnis forte in paroeciam redundantibus dirimere (c. 482) ; iubere ut rector in favorem paroecianorum, qui sine gravi incommodo paroeciam adire nequeunt, commodis horis officia celebret, dies festos et ieiunia denuntiet, catecheticam instructionem et evangelii explicationem tradat. (c. 483)

Ex eius ecclesia parochus potest SS. Sacramentum, si asservetur, desumere. (c. 483)

Cappellanorum ius peculiare.

166. - « Circa militum cappellanos sive maiores sive minores standum peculiaribus S. Sedis praescriptis » (c. 461 § 3) : « de cappellanis religiosarum, sodalium virorum religionis laicalis, confraternitatis vel alius legitimae associationis serventur particularium canonum praescripta ». (c. 479 § 2)

PARS SECUNDA. - DE RELIGIOSIS

Iuris religiosorum vicissitudines

167. - His ultimis annis, RR. PP. Pius IX, Leo XIII et praesertim Pius X, sive per se, sive per Congregationes Romanas plurimas leges vel instructiones ediderant quibus, difficillima huius temporis adiuncta prae oculis habentes, incolumitati et profectui vitae religiosae consulebant. His constitutionibus et decretis vix non omnes partes disciplinae religiosae attingebantur. Quorum praescripta plurima in novo iure confirmantur vel etiam ampliantur (v. g. facultas de audiendis religiosarum confessionibus in casibus saltem specialibus ; lex de non exigenda manifestatione conscientiae) : omissa e contrario pauca quaedam, etiam recens in disciplinam inducta (v. g. impedimenta ob expulsionem vel dimissionem e scholis laicis vel clericalibus, etc.) : tandem ad Regulares extensa sunt quaedam praecepta, quibus alii tantum religiosi hucusque tenebantur (v. g. necessitas professionis temporariae ante vota perpetua).

Notiones generales

(cc. 487-491)

Vitae communis ad statum religiosum necessitas.

168. - *Status religiosus* dicitur esse : stabilis in communi vivendi modus, quo fideles, praeter communia praecepta, evangelica quoque consilia servanda per vota oboedientiae, castitatis et paupertatis suscipiunt. (c. 487)

Variae voces definiuntur

169. - Ut canones de statu religioso recte interpretemur, attendenda est omnino significatio quae, iam in non nullis mutata, sequentibus verbis tribuitur.

Definiuntur enim (c. 488) :

Religio, « societas, a legitima auctoritate ecclesiastica approbata, in qua sodales, secundum proprias societatis leges, vota publica, perpetua vel temporaria, elapso tamen tempore renovanda nuncupant » (c. 488, 1°) ;

Ordo, « religio in qua vota sollemnia nuncupantur ; *Congregatio monastica* : plurium monasteriorum sui iuris inter se coniunctio sub uno Superiore ; *Congregatio religiosa* vel *Congregatio* simpliciter : religio in qua vota dumtaxat simplicia sive perpetua sive temporaria emittuntur » (c. 488, 2°) ;

Religio iuris dioecesani : « religio quae ab Ordinariis erecta,... laudis decretum a S. Sede nondum obtinuit ». Quo obtento, fit iuris pontificii (c. 488, 3°) ;

Domus religiosa : « domus alicuius religionis in genere ; ... *domus formata*, domus religiosa in qua sex saltem religiosi professi degunt, quorum, si agatur de religione clericali, quattuor saltem sint sacerdotes » (c. 488, 5°) ;

Religiosi : « qui vota nuncuparunt in aliqua religione ; ... *sorores* : religiosae votorum simplicium : *moniales* : religiosae votorum sollemnium aut, nisi ex rei natura aut ex contextu sermonis aliud constet,

religiosae quarum vota ex instituto sunt sollemnia, sed pro aliquibus locis ex Apostolicae Sedis praescripto sunt simplicia » (c. 488, 7°) ;

Superiores maiores : « abbas primas, abbas Superior congregationis monasticae, abbas monasterii sui iuris, licet ad congregationem monasticam pertinentis, supremus religionis moderator, Superior provincialis, eorumque Vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes ». (c. 488, 8°)

Quid religiosi ?

170. - In quibus non nulla sunt notanda. Voces : *religio, religiosi, domus religiosa*, sunt generales quibus, nisi certo restringantur, designantur iam etiam Regulares. Iisdem verbis attinguntur congregationes iuris *dioecesani*.

Moniales ?

Monialium iuridica condicio.

Inter *moniales* proprie dictas, sive vota sollemnia, sive simplicia emittant, maior inducitur iuris uniformitas. Post perturbationem Gallicam, in regionibus quae a Gallia anno 1803 pendebant, privilegium exemptionis monialibus non est redditum. Decreto Card. Caprara (14 iun. 1803), dein consuetudine episcopis subiectae sunt. Quam dependentiam in Belgio non nulla SS. CC. decreta confirmarunt. Superioribus vero primi Ordinis non subduntur nisi in paucissimis monasteriis, quae ex indulto speciali pristinam ab episcopi iurisdictione exemptionem recuperarunt. — Huiusmodi indulta facilius forte concessum iri conicere licet, cum legislator moniales, quæ vota sollemnia ex adiunctis emittere non possunt, aliis, quibus constitutiones perfecte observare licet. velit. quantum fieri potest, iam fere assimulari. (1)

Superiorum maiorum amplior notio.

171. - Cum multae facultates Superioribus maioribus reserventur, operae pretium est notare Superiores locales, etiam regularium, excepto abbate monasterii sui iuris, inter illos non recenseri. Immo, abbas primas et Superior congregationis monasticae non habent omnem potestatem et iurisdictionem quam ius commune tribuit Superioribus maioribus, sed eam solam quam tribuunt canones, quibus expresse nominantur, Constitutiones propriae et peculiaria Apostolicae Sedis decreta. (c. 501)

Vis novi iuris in constitutiones.

172. - Regulae et constitutiones singularum religionum novo iuri oppositae, abrogatae sunt (c. 489) ; non autem privilegia, nisi eorum expressa mentio fiat. (c. 4) (Cf. Corrigenda et Addenda, p. XII).

De praecedentia cleri saecularis.

173. - Ubique praecedit clerus saecularis omnibus religiosis, non tamen membris religionis clericalis in eorum ecclesiis. (c. 491)

TITULUS IX. - DE ERECTIONE ET SUPPRESSIONE RELIGIONIS, PROVINCIAE ET DOMUS

(cc. 492-498)

Competentia S.S. in erectionibus vel suppressionibus.

174. - *Nulla* congregatio religiosa condi potest inconsulta S. Sede (c. 492) nec semel legitime condita, etiamsi iuris sit dioecesani vel unica domo constet, nisi a S. Sede supprimi. (c. 493)

In omni religione iuris pontificii, erectio, divisio, unio, suppressio provinciarum ad unam S. Sedem pertinet. (c. 494)

---

(1) Cf. Bastien, *Directoire canonique*, n. 546, ss.

175. - Ad erigendam domum religiosam exemptam aut monasterium monialium ubique nunc certo requiritur, praeter consensum Ordinarii loci, beneplacitum apostolicum ; pro aliis domibus religiosis et ad erigenda et aperienda hospitia, scholas vel similis rationis aedes separatas a domo etiam exempta, sufficit specialis Ordinarii loci scripta licentia. (c. 497)

Facultates requisitae ad erigendam domum religiosam.

TITULUS X. - DE RELIGIONUM REGIMINE

(cc. 499-537)

Caput I. - De Superioribus et de Capitulis

176. - Religiosi omnes *Romano Pontifici* oboedire tenentur etiam vi voti obedientiae. (c. 499)

Quomodo religiosi pendent a R. P., a Cardinali Protectore, ab Ordinario loci,

Cardinalis Protectoris est tantummodo, nisi aliud expresse cautum fuerit in peculiaribus casibus, bonum religionis consilio et patrocinio promovere. (ibid.)

Ordinario quoque loci subduntur religiosi ; religiosi tamen exempti et moniales, quae sub iurisdictione Superiorum regularium ex praescripto constitutionum sunt, in casibus tantum iure expressis. (c. 500)

In religione clericali exempta Superiores et capitula *iurisdictionem* ecclesiasticam *in utroque foro* habent in subditos : in aliis religionibus *potestatem* tantum *dominativam*. (c. 501)

a suis Superioribus et capitulis.

177. - Ut quis ad munus Superioris maioris sit habilis, requiruntur saltem :

Superioris maioris dotes.

a) decem anni professionis a prima professione :

b) natales e legitimo matrimonio : (cf. n. 452, 2)

c) aetas quadraginta annorum in supremo religionis Moderatore vel in Antistita monialium monasterii, triginta annorum in aliis. (c. 504)

178. - Superiores maiores sint temporarii, nisi aliter ferant constitutiones ; « Superiores autem locales ad *tertium* triennium reiminis in *eadem* domo assumi nequeunt ». (c. 505)

Tempus regiminis.

179. - In electionibus quae a capitulis fiunt, servandum est, praeter constitutiones, ius commune (cf. n. 74, ss.) : « postulatio tamen admitti potest tantum in casu extraordinario et dummodo in constitutionibus non prohibeatur ». (c. 507, 3)

De Superiorum electione.

In religionibus virorum, antequam Superiorem maiorem eligant, « omnes et singuli e capitulo iureiurando promittant se electuros quem secundum Deum eligendum esse existimaverint ». (c. 506)

Ordinarius loci, per se vel per delegatum, in *omni* monialium monasterio electioni Antistitae praeesse *potest ;* praeesse *debet*, si Superiori regularium non sint subiectae, vel si agatur de electione Antistitae generalis in mulierum congregationibus. (c. 506)

Visitatio Ordinarii loci in domibus religiosis.

180. - Ordinarius loci debet quinto quoque anno visitare :

1° Monasteria monialium quae Superiori regularium subduntur, circa ea quae clausurae legem spectant ; immo etiam circa alia omnia, si Superior regularis ea a quinque annis non visitaverit ;

2° Singulas domos congregationis clericalis iuris pontificii, *etiam exemptas*, in iis quae pertinent ad ecclesiam, sacrarium, oratorium publicum, sedem ad sacramentum paenitentiae. (c. 512)

3° Omnes alias domos congregationum religiosarum, etiam in iis quae internam disciplinam spectant, sed in casibus tantum iure expressis. (cc. 512. 618)

Administratio Viatici et extremae unctionis in domibus religiosis.

181. - Quod ad administrationem viatici et extremae unctionis, extensa est notio « *domesticorum* » : sic enim sonat c. 514 : « In omni religione clericali ius et officium Superioribus est per se vel per alium, aegrotis professis, noviciis aliisve in religiosa domo *diu noctuque degentibus* causa *famulatus* aut *educationis*, aut *hospitii* aut *infirmae valetudinis*, eucharisticum viaticum et extremam-unctionem ministrandi. »

Apud moniales idem ius et officium habet ordinarius confessarius vel qui eius vices gerit ; in alia religione laicali, parochus loci vel cappellanus cui Ordinarius loci curam communitatis, parochi iurisdictioni subductae, commiserit. (cc. 464. 514)

Oeconomi eligendi.

182. - Eligantur oeconomi qui bona temporalia totius religionis, provinciarum, singularum domorum administrent : oeconomi generalis vel provincialis munus gerere Superior ipse non potest, oeconomi vero localis munus melius a munere Superioris distinguitur neque eorum unioni ius favet. (c. 516)

Caput II. - De confessariis et cappellanis

Quo vergit novum ius?

183. - Dum iam a pluribus annis S. Sedes variis de conscientiae manifestatione et disciplina sacramenti paenitentiae novis decretis libertati et quieti conscientiae consulere vult, simul sapientis animarum in vita spirituali directionis principia confirmare intendit. Haec novi Codicis formulis manifeste apparent : nec legislatoris menti conformiter ageret qui, solis insistendo praescriptis, eius consilia neglegeret.

Confessarii religiosorum.

184. - In domibus religionis clericalis designandi sunt *plures*, pro sodalium numero, confessarii, qui eos etiam a casibus in religione reservatis absolvere possint (c. 518) ; praeterea religiosi omnes, *ad suae conscientiae quietem*, possunt, *revocato quolibet contrario privilegio*, valide et licite apud quemlibet confessarium ab Ordinario loci approbatum confiteri ab eoque, etiam a peccatis et censuris in religione reservatis, absolvi. Firmas tamen manere constitutiones quae confessionem statis temporibus praecipiunt vel suadent apud determinatos confessarios peragendam ipse Codex affirmat. (c. 519)

185. - *Superiores* religiosi monentur ne sine gravi causa, *per modum habitus*, subditorum ad se sponte sua et motu proprio accedentium confessiones audiant ; in casibus autem particularibus, ex omni iusta causa id agere possunt. (c. 518)

Superiores quandonam suorum confessionem audire possunt ? Noriciorum confessarii.

186. - In religionibus virorum, noviciis designentur unus vel plures confessarii *ordinarii*, confessarius quoque *extraordinarius*, ad quem saltem quater in anno accedere debent, saltem benedictionem recepturi, et aliquot alii, quos in casibus particularibus adire libere possint. (c. 566)

Excluditur Magister vel eius socius.

Magistri noriciorum eiusque socius... sacramentales confessiones suorum alumnorum secum in eadem domo commorantium audire prohibentur, « nisi alumni, ex gravi et urgenti causa, *in casibus particularibus*, sponte id petant ». (c. 891)

Quanto severior magistro noviciorum eiusque socio quam Superioribus regula imponatur statim perspicitur. Causa enim audiendae confessionis sponte ad se accedentium gravis et *urgens* requiritur *et ad casus particulares* facultas restringitur. Haec tamen ad liceitatem, ut patet, pertinent. Quae supra de mente legislatoris diximus, noviciis, ut videtur, praecipue commendanda sunt. Etsi enim eorum libertas conscientiae magis etiam quam aliorum his canonibus in tuto ponitur quantum constanti animae directione indigeant nemo non fatebitur. Haec autem, non adhibito fere semper eodem confessario, impossibilis evadet.

Iurisdictionis specialis in religiosas necessitas.

187. - Quod antea vigebat, nullo tamen communis iuris textu dicebatur, principium enuntiatur c. 876, necessariam scil. esse peculiarem iurisdictionem sacerdotibus *quibuscumque* ad confessiones *quarumcumque* religiosarum ac noviciarum valide et licite recipiendas, salvo privilegio personali Cardinalium (c. 239). Revocatur quaelibet contraria lex aut privilegium.

Quibusnam religiosae valide confitentur?

188. - Religiosae omnes, sive noviciae, sive professae, domi aut foris confessionem valide peragunt :

1° apud confessarium *ordinarium* communitatis ;

2° apud confessarium vel moderatorem ordinarium *specialem*, quem petenti « ad animi sui quietem et ad maiorem in via Dei progressum » Ordinarius facile concedet ;

3° si graviter aegrotant, licet mortis periculum absit, apud *quemlibet* sacerdotem pro mulieribus approbatum, perdurante gravi infirmitate ;

4° apud confessarium *extraordinarium* communitatis, (cui saltem quater in anno se sistere debent) aut *specialem*, ex iis quos eo fine Ordinarius designaverit, per antistitam arcessitum ;

5° tandem apud confessarium quemlibet ab Ordinario loci pro mulieribus approbatum, « in qualibet ecclesia vel oratorio etiam semipublico ». (c. 522)

Ut facultate sub n. 4° indicata, *in casibus particularibus*, *licite* utantur, requiritur et sufficit motivum rationabile ; neque, sine Ordinarii consensu, unum ex his adventiciis confessariis sibi *stabilem* confessarium constituere possunt.

Extensio iurisdictionis in religiosas.

189. - Can. 522 (n. 188, 5°) extenditur ad quamlibet ecclesiam vel oratorium, etiam semi-publicum, facultas iam omnibus religiosis feminis facta *si versarentur extra propriam domum*, confitendi apud quemlibet confessarium pro mulieribus approbatum. (Decr. *Cum de Sacramentalibus*, 3 febr. 1913. Verm. *Period.* VII. pp. (49) et 86.) Simul haec facultas, additis verbis « ad suae conscientiae tranquillitatem » cautius exprimitur. His verbis quae *liceitatem* confessionis tantum respiciunt, etsi ratio solius maioris commodi excludi videtur, anxietas tamen conscientiae non exigitur. Ratio ex tranquillitate conscientiae desumpta saepius adesse potest in personis timoratae conscientiae vel in quibusdam vitae spiritualis adiunctis vel si communitati copia minima sit specialis adeundi confessarii. Designari possunt exempli gratia dubium de importuna tentatione, de peccato, de obligatione; impedita confessio die consueto; culpa, etiam levis, magis deliberate admissa; devotio maior in pervigilio festi; occasio data adeundi sacerdotis peritioris, etc.

Quid de confessione in sacristia?

190. - De validitate confessionis in *sacristia* ecclesiae vel oratorio contigua factae non est cur quisquam dubitet, nec de liceitate si paenitens aut confessarius, ut saepe fit, physice vel morali existimatione in oratorio sit. Iure enim sacristia ecclesiae pluries assimilatur.

Sub veteri iure religiosas *extra domum* versantes ubique valide absolvi censebant. Cum canon 522 veteris iuris sit extensio nullamque distinctionem inter confessiones domi vel foris factas insinuet, religiosas etiam in sua domo ubique *valide* absolvi posse a sacerdote pro mulieribus approbato censent nonnulli, quorum sententiam solide probabilem habemus. Huic interpretationi favet responsum *particulare* S. C. *de Religiosis* datum ad episcopum Linciensem, d. 3 iul. 1916. (Cf. *Linz. Q. Sch.* 1916. p. 847 ss). Ad liceitatem omnino observanda sunt quae statutis dioecesanis de sede confessionis decernuntur ab iisque, etiam in casu particulari, nisi gravi de causa, non est recedendum.

Abusus a quo removendi?

191. - Solius Ordinarii est abusus ex petitis « specialibus » confessariis forte oriundos prudenter eliminare, servata conscientiae libertate. De petiti enim confessarii ratione vel ad eum accessu antistita nullo modo inquirere vel aegre se id ferre ostendere potest nec ad eam quidquam referre religiosae tenentur. (cc. 521. 523)

Non exigenda manifestatio conscientiae.

192. - « Omnes religiosi Superiores districte vetantur personas sibi subditas quoquo modo inducere ad conscientiae manifestationem sibi peragendam.

« Non tamen prohibentur subditi quominus libere ac ultro aperire animum suum Superioribus valeant; immo expedit ut ipsi filiali cum fiducia Superiores adeant, iis, si sint sacerdotes, dubia quoque et anxietates suae conscientiae exponentes. » (c. 530)

Prohibitio, quae ex decr. « *Quemadmodum* » 17 nov. 1890, (1) ad solas religiones virorum laicas et omnium mulierum pertinebat, ad *omnes* nunc religiones et congregationes religiosas extenditur. Ex probatis auctoribus erit explicanda, cum verba decreti in Codicem assumantur. — Ex ipsis decreti et canonis verbis mens legislatoris satis manifestatur. Dum enim abusibus ex importuna sollicitatione vel indiscreto in externo regimine usu manifestationis conscientiae cavere vult, subditis candidum erga Superiores agendi modum commendat: « ut facilius alumni arduam perfectionis viam ab expertis Superioribus in dubiis addiscant. » (Decr. *Quemadmodum*, n. 2) - Ad magistros noviciorum, nisi simul sint domus Superiores, prohibitionem non extendi quidam probabile censebant (2). Huius sententiae prudentem usum improbare nolimus.

Suppressum est onus denuntiandi Superiores qui hanc legem violaverint.

---

(1) Cf. *de Rel.* II, p. 488. — (2) Cf. *de Rel.* I, n. 489.

Caput III. - De bonis temporalibus eorumque administratione

Iura Ordinarii loci in varios religiosos.

193. - In administratione bonorum temporalium, in primis servandae sunt constitutiones. Attendant praesertim antistitae quid possint quidve non possint in collocatione administrationeque bonorum sine consensu Ordinarii loci.

Quod ad hanc enim materiam, iurisdictioni Ordinarii loci subduntur fere in omnibus antistitae *monialium* et congregationis iuris *dioecesani ;* aliae antistitae, ubi agitur de *dotibus* religiosarum vel de fundis *ad Dei cultum beneficientiamve eo ipso loco impendendam* tributis legatisve ; quod ad haec ultima etiam Superiores congregationis religiosae ; regulares tandem, si agitur de pecunia intuitu paroeciae vel missionis data. (cc. 533. 535)

194. - Firmis praescriptis particularibus de modo alienandi bona ecclesiastica (cc. 1530. 1531 cf. n. 594-596) : « Si agatur de alienandis rebus pretiosis aliisve bonis quorum valor superet summam triginta millium francorum seu libellarum, vel de contrahendis debitis et obligationibus ultra indicatam summam, contractus vi caret, nisi beneplacitum apostolicum antecesserit » ; secus ad normam constitutionum est agendum.

Itaque multum temperatur rigor Instructionis « *Inter ea* » S. C. *de Religiosis*, 30 iul. 1909 (1).

Dum excommunicatio latae sententiae eos manet qui beneplacitum apostolicum exquirere omittunt, poenae in ceteros alienantes praescriptae sunt ferendae sententiae (c. 2347). - Neque peccatum Regularis indebite munera ex bonis monasterii facientis iam S. Sedi reservatum est.

TITULUS XI. - DE ADMISSIONE IN RELIGIONEM

(cc. 538-586)

Quis in religionem potest admitti ?

195. - Tria optima indicia vocationis in hoc principio generali contineri recte dixeris : « In religionem admitti potest quilibet catholicus qui nullo legitimo detineatur impedimento rectaque intentione moveatur et ad religionis onera sit idoneus » (c. 538). - Quae si fidelibus simpliciter exponerentur, multorum parentum ac liberorum vanae anxietates et falsa praeiudicia removerentur.

Caput I. - De postulatu

Postulatus duratio,

196. - Requiritur postulatus sex saltem mensium in religionibus a votis *perpetuis* ab omnibus mulieribus, in religionibus virorum a fratribus *conversis :* quod ad alios religiosos standum est constitutionibus (c. 539). Ab hoc postulatu *validitas* noviciatus vel professionis pendere nusquam legitur.

(1) A. A. S. t. 1 (1909), p. 695.

Clausura. In monasteriis *monialium* postulantes, dum postulatum peragunt, lege clausurae tenentur. (c. 540)

Exercitia spiritualia. Postulantibus *omnibus* antequam noviciatum incipiant, praescribuntur exercitia spiritualia per octo saltem *integros* dies. (c. 541)

In hoc et sequenti capite mitigantur non nihil obligationes *fratribus conversis* in Ordinibus impositae. Ab his enim postulatus duorum annorum recenti iure exigebatur (1). Ex inducta necessitate professionis temporaneae ante vota perpetua mutatio facile explicatur.

Caput II. - De noviciatu

ART. I. - DE REQUISITIS UT QUIS IN NOVICIATUM ADMITTATUR

Impedimenta ex professione religiosa, **197.** - Impedimenta alia *invalidam*, alia *illicitam* faciunt admissionem.

Fere sublatis normis de iis qui ex variis collegiis vel institutis erant dimissi (2), excluduntur (ad validitatem) ob dimissionem tantum qui obstringuntur vel obstricti fuerunt professionis religiosae vinculo. (c. 542)

haeresi aut matrimonio. Praeter alia impedimenta notandum est invalide admitti eos qui sectae acatholicae adhaeserunt et coniugem, durante matrimonio.

Aetas ultra trigesimum annum mulieribus non est iam impedimentum.

De testimoniis requisitis. **198.** - Ne indigni aut parum idonei admittantur, *ab omnibus* exigendae sunt varia testimonia. Scil. exhibere debent :

1° *Omnes aspirantes* testimonium recepti baptismatis et confirmationis.

2° *Omnes* qui (quae) in Seminario, collegio vel alius religionis postulatu aut noviciatu fuerunt, litteras testimoniales datas, pro diversis casibus, a Rectore seminarii vel collegii, audito Ordinario loci, aut a maiore religionis Superiore.

3° *Viri...* testimoniales litteras Ordinarii originis ac cuiusque loci in quo, post expletum decimum quartum aetatis annum, morati sint ultra annum moraliter continuum, sublato quolibet contrario privilegio.

Quomodo procuranda et transmittenda testimonia. 4° *Clerici*, praeter requisita sub n. 2° et testimonium ordinationis, litteras testimoniales Ordinariorum in quorum dioecesibus post ordinationem ultra annum moraliter continuum sint commorati. (c. 544)

199. - Quae litterae non aspirantibus, sed Superioribus religiosis, sigillo clausae et, si agatur de litteris sub n. 2° recensitis, iure iurando firmatae tradantur. Dimissionis vel spontanei discessus ex seminario, collegio aut noviciatu causas indicare ne omittant. Si iudicaverint se respondere non posse, causas Apos-

(1) S. C. *de Relig.*, 1 ian. 1911. A. A. S. t. 3 (1911), p. 29. PER. t. 5. p. 274 ss — (2) Decr. *Ecclesia Christi*, 7 sept. 1909 - *Sanctissimus*, 4 ian. 1910, A. A. S. t. 1 (1909), p. 700. II (1910), p 63. PER. t. 5, p. 53 ss., p. 98 ss.

tolicae Sedi intra trimestre spatium exponant. Si non respondeant, Superior requirens rem S. Sedi exponat. Responsum insufficiens supplere poterit Superior per accuratam investigationem et fide dignam relationem. (c. 545)

Quae praescripta a Superioribus diligenter observanda sunt. Id suadent et verba legis graviter concepta et maior ipsorum arbitrio de recipiendis postulantibus relicta libertas.

Dotum administratio pendet ab Ordinario loci.

200. - Quae de *dote* mulierum iure communi vel Normis erant definita confirmantur (cc. 547-551) neque hic evolvenda sunt, cum debeant « ipsi Ordinarii locorum conservandis religiosarum dotibus sedulo invigilare et, praesertim in sacra visitatione, de iisdem rationem exigere ». (c. 550)

De explorandā voluntate puellarum.

201. - Ordinarius loci, duobus saltem mensibus ante, certior faciendus est de proxima admissione mulierum ad noviciatum et ad professionem cum temporariam, tum perpetuam, ut earum voluntatem diligenter exploret. (c. 552)

Cum in § 2 huius canonis dicatur : « tunc (sc. exploratione facta) aspirans poterit ad noviciatum vel novicia ad professionem admitti », censeat quis *duplicem* tantum explorationem requiri. Quia tamen *ter* monendus est episcopus et exploratio facienda dicitur « ante noviciatum et ante professionem, ut supra » sc. in § 1, in qua de duplici professione distincte agitur, triplex exploratio nobis omnino facienda videtur.

ART. II. - DE NOVICIORUM INSTITUTIONE

Unica sit in provincia domus noviciatus.

202. - « Plures in eadem provincia noviciatus domus, si religio in provincias divisa sit, designari nequeunt, nisi gravi de causa et cum speciali apostolico indulto. » (c. 554)

Ubi tamen iam erectae sunt, cum nihil lex praescribat, servari poterunt quin speciale indultum petatur.

Noviciorum aetas et specialis probatio.

203. - Ab *omnibus*, ut valide incipiant noviciatum, requiritur tantum aetas quindecim annorum completorum. (c. 555)

In religionibus in quibus sunt duae sodalium classes, noviciatus pro altera classe peractus, pro altera non valet. (c. 558)

Probationis tempus.

Probatio in noviciatus domo per annum integrum et continuum requiritur : longior probatio ad validitatem tantum exigitur, si constitutiones id *expresse* statuant (c. 555) ; in dubio de idoneitate subditi, probatio a Superioribus maioribus prorogari potest, at non ultra sex menses. (c. 571)

204. - Distinguitur *interruptio* noviciatus, ita ut denuo incipiendus et perficiendus sit, a *suspensione*, qua tempus omissum supplendum tantum est. (Decr. S. C. *de Rel.*, *Cum propositae*, 3 mai. 1914). (1)

Noviciatus interruptio

Interrumpitur noviciatus « si novicius a Superiore dimissus e domo exierit, aut domum sine eius licentia non reversurus deseruerit, aut extra domum, ultra triginta dies sive continuos sive non continuos permanserit, quacumque ex causa, etiam de Superiorum licentia. »

(1) A. A. S. t. 6 (1914), p. 229. PER. t. 8, p. 32.

et suspensio.

Suspenditur tempus noviciatus « si novicius ultra quindecim, sed non ultra triginta dies etiam non continuos, de Superiorum licentia vel vi coactus, extra domus septa permanserit sub Superioris obedientia. » Quo casu, « ad *validitatem* noviciatus necesse et satis est dies hoc modo transactos supplere ». Mitigato dein iure antea vigenti, pergit Codex « *si non ultra quindecim dies, supplementum* potest a Superioribus praescribi, sed *non est ad validitatem necessarium* ». (c. 556)

Suspensionis computatio.

205. - « Dies constat 24 horis continuo supputandis a media nocte... » (c. 32). In aestimando igitur absentiae tempore diei partes non videntur attendendae, etiamsi novicius extra domum noctem transegerit. Quare absentia a f. II, h^{a} 2^{a} post meridiem, ad f. IV hora circiter 12^{a}, unius tantum diei computabitur.

Contra mentem legislatoris aperte fecerit qui hac fretus interpretatione absentias noviciorum ultra veram necessitatem produci permiserit.

Regimen noviciatus ad Magistrum spectat.

206. - *Magister noviciorum*, praeter dotes morales, debet saltem triginta quinque annos natus esse, a decem annis primam professionem fecisse et, in clericali religione, esse sacerdos (c. 559, [1]). Qui ei adiungendus videatur *socius* debet saltem triginta annos natus esse et a quinque annis primam professionem fecisse (c. 559, [2]). Magistro « uni competit ius et officium consulendi noviciorum institutioni, ad ipsumque unum noviciatus regimen spectat », salvo iure Superiorum, iuxta constitutiones, et Visitatorum (c. 561). Magister tamen noviciorum proprie Superior non est et, pro disciplina universae domus, est, cum noviciis, Superiori obnoxius.

Quae occupationes vitandae?

207. - Per annum noviciatus ne destinentur occupationibus quae a spirituali informatione animum avertant, ut sunt contiones saepius habendae, confessiones audiendae aut studia, *dedita opera* assumpta, litterarum, scientiarum aut artium. (c. 565) Nec renovantur quidem praescripta de studiis quibus novicii, saltem in religionibus clericalibus, ex decr. *Ad explorandum animum* (1), vacare debebant : ad huius decreti mentem tamen agere licebit.

Noviciorum privilegia.

208. - 1. « Novicii privilegiis omnibus ac spiritualibus gratiis religioni concessis gaudent : et, si morte praeveniantur, ad eadem suffragia ius habent, quae pro professis praescripta sunt. » (c. 567)

De professione in articulo mortis.

2. Non obstante silentio Codicis, censendum est vigere *privilegium* a Pio X ad omnes religiones extensum (2), iuxta quod « licet *novicios, seu probandos,* qui medici iudicio graviter aegrotant, adeo ut in articulo mortis constituti existimentur, ad professionem vel consecrationem aut promissionem iuxta proprias regulas seu constitutiones admittere, quamvis tempus noviciatus vel probationis nondum expleverint... Vota, si nuncupentur, sine temporis determinatione aut perpetuitate pronuntientur... Huiusmodi professionem vel consecrationem aut promissionem emittenti plenaria suorum peccatorum indulgentia et remissio in forma Iubilaei misericorditer in Domino conceduntur, praeter omnes indulgentias, suffragia et gratias, quae religiosi vere professi in eodem Instituto decedentes consequuntur. *Nullum* vero alium producit effectum ».

---

(1) S. C. *de Relig.*, 27 aug. 1910. A. A. S., t. 2 (1910), p. 730. Per. t. 5, p. 195 ss. — (2) A. A. S., t. 4 (1912), p. 589. Per. t. 6, p. 288 ss.

Caput III. - De professione religiosa

De requisita simplici professione in Ordinibus.

209. - 1. Ut in temporum difficilioribus adiunctis perpetuitati professionis sollemnis vel etiam simplicis maloribus cautelis caveret, Pius IX iam anno 1857 voluerat ut in Ordinibus virorum professioni sollemni praeiret triennium professionis simplicis votorum, de se perpetuorum. (Litt. enc. *Neminem latet*, 19 mart. 1857) (1). Quae iuris dispositio a Leone XIII ad Ordines mulierum erat extensa. (Decr. *Perpensis*, 3 maii 1902.) (2).

Professio temporalis perpetuae ubique praemittenda.

2. Ex novo iure, in eadem prudentiae via ulterius proceditur. Dum enim omnium religiosorum a votis perpetuis dimissio formis iudicialibus subicitur, eorum ad professionem huiusmodi admissio statim a noviciatu fieri omnino prohibetur. Haec enim statuuntur : « In quolibet Ordine tam virorum quam mulierum et in qualibet congregatione quae vota perpetua habeat, novicius post expletum noviciatum, in ipsa noviciatus domo debet votis perpetuis, sive sollemnibus sive simplicibus, praemittere votorum simplicium professionem ad triennium valituram, vel ad longius tempus, si aetas ad perpetuam professionem requisita (sc. annus 21^{us} completus) longius distet nisi constitutiones exigant annuales professiones. » (c. 574)

Huius professionis simplicis emissio ad validitatem perpetuae professionis subsecuturae requiritur (c. 572), nisi quis post emissam professionem perpetuam in una religione ad aliam legitime transierit, in qua ad professionem perpetuam admittatur. (c. 634)

Professionis temporalis prorogatio.

210. - « Hoc tempus (scil. triennium) legitimus Superior potest, renovata a religioso temporaria professione, prorogare, non tamen ultra aliud triennium. » (c. 574) — Conversis fratribus longius probationis tempus non imponitur.

Partes Capituli in admissione.

« Suffragium concilii seu capituli pro prima professione temporaria est deliberativum : pro subsequente professione perpetua... est consultivum tantum. » (c. 575)

Bonorum religiosi condicio per noviciatum, durante professione simplici,

211. - De effectibus professionis quod ad bona temporalia haec summatim referre sufficiat :

In noviciatus decursu, omnis renuntiatio vel obligatio quod ad beneficia vel bona est ipso iure *irrita* (c. 568) ; ante professionem votorum *simplicium*... novicius debet, ad totum tempus quo simplicibus votis astringetur, bonorum suorum administrationem cedere cui maluerit et, nisi constitutiones aliud ferant, de eorundem usu et usufructu libere disponere (c. 569) : praeterea in congregatione religiosa testamentum de bonis praesentibus vel forte obventuris libere condere (ibid.) ; quae dispositio vel cessio mutari non potest,

(1) Cf. *de Rel.* II, p. 156, ss. — (2) *Ibid.* p. 183 ss.

nisi constitutiones aliud statuant, sine licentia supremi moderatoris, apud moniales sine consensu Ordinarii loci (et Superioris regularis) (c. 580). - Sed mutatio saltem de notabili bonorum parte, in favorem religionis fieri non potest.

post professionem sollemnem.

Intra sexaginta dies ante professionem *sollemnem*, salvis peculiaribus indultis a S. Sede concessis, debet professus omnibus bonis quae actu habet, cui maluerit, sub condicione secuturae professionis renuntiare. (c. 581)

Professionis vis in beneficia.

212. - « Post annum ab emissa *qualibet* professione religiosa, vacant beneficia paroecialia ; post triennium cetera » (c. 584) : professione perpetua, ipso iure, excardinatur professus (c. 585). De emissa professione sollemni certior fiat parochus baptismi. (c. 576)

Professionis nullius convalidatio.

213. - Professio religiosa, si ob impedimentum *externum* fuerit irrita convalescit tantum, si a S. Sede sanetur vel denuo, cognita *nullitate* et impedimento sublato, legitime emittatur ; si ob consensus defectum *mere internum*, hoc praestito convalescit dummodo ex parte religionis consensus non fuerit revocatus. (c. 586)

TITULUS XII. - DE RATIONE STUDIORUM IN RELIGIONIBUS CLERICALIBUS

(cc. 587-591)

Studiis ubi vacandum ?

214. - Religiosi studiis incumbere debent in sede studiorum rite instituta, sive propria, sive aliena (c. 587, 1. 2. 3). Si, studiorum causa, longe a propria domo mittuntur, in privatis domibus habitare nequeunt, sed in religiosa domo vel in seminario vel in pia domo, cui praesint viri sacri ordinis et ab ecclesiastica auctoritate approbata. (Ibid. 4)

Vitae spiritualis munimina.

215. - Urgetur *perfecta* vitae communis observatio in domibus studiorum, facta, si secus fuerit, prohibitione studentes ad ordines promovendi. (c. 587)

Toto studiorum curriculo, religiosi speciali curae praefecti spiritus committentur. (c. 588)

Studiorum tempus.

216. - « Religiosi, in inferioribus disciplinis rite instructi, in philosophiae studia saltem per biennium et sacrae theologiae saltem per quadriennium... diligenter incumbant, secundum instructiones Apostolicae Sedis. » (c. 589)

Dum canones cavent ne studia superiora minuantur vel neglegantur (cc. 589. 976, de tempore ordinationum), severiora de inferiorum studiorum duratione et examinibus praescripta non renovantur.

217. - « Religiosi sacerdotes, iis tantum exceptis qui a Superioribus, gravem ob causam, fuerint exempti, aut qui vel sacram theologiam, vel ius canonicum, vel philosophiam scholasticam doceant, post absolutum studiorum curriculum, quotannis, saltem per quinquennium, a doctis gravibusque patribus examinentur in variis doctrinae sacrae disciplinis antea opportune designatis. » (c. 590) *Examina post peracta studia.*

Huius examinis locum tenere poterit periculum scientiae quod religiosi coram Ordinario eiusve delegatis ad accipiendam vel renovandam iurisdictionem faciunt. Nec quotannis in omnibus, sed in *variis* doctrinae sacrae partibus erunt examinandi. Professoris theologiae nomine non venire censemus eum, qui solas caerimonias sacras doceat : aliter erit dicendum si liturgiam seu rituum historiam et scientiam proponat.

218. - Praeterea omnes qui studio sacrae theologiae operam navant vel illud expleverunt minimum semel in mense collationibus casuum theologiae moralis et liturgiae interesse debent, quibus poterit addi sermo de re dogmatica coniunctisve doctrinis. (c. 591) [1] *Collationes casuum a theologis habendae.*

TITULUS XIII
DE OBLIGATIONIBUS ET PRIVILEGIIS RELIGIOSORUM
(cc. 592-632)

Caput I. - De obligationibus

219. - Religiosi obligationibus *communibus* clericorum omnes tenentur, nisi ex contextu sermonis vel ex rei natura aliud constet. (c. 592) *Pietatis exercitia ab omnibus obeunda.*

Debent quotannis exercitiis spiritualibus vacare, saltem semel in hebdomada ad sacramentum paenitentiae accedere, cotidianis exercitiis pietatis sedulo fungi. Renovata exhortatione ad frequentem et cotidianam communionem, mere *directivae* declarantur constitutiones regulaeve quae statis diebus communionis receptionem commendant vel iubent. (cc. 592. 595)

220. - Prohibitione ingrediendi clausuram monialium eximuntur qui supremum actu tenent principatum eorumque uxores cum comitatu ; itemque S. R. E. Cardinales. Eaedem mulieres cum comitatu ingredi possunt in domos Regularium (cc. 598-600). In domibus vero congregationum religiosarum illi quoque clausuram ingredi poterunt « quos ex iustis ac rationabilibus causis Superiores admitti posse censuerint ». (c. 604) *Clausurae leges.*

« Etiam in loco extra clausuram alumnis externis aut internis vel operibus religionis propriis reservata, personae alterius sexus, nisi aequa de causa et de Superioris licentia, ne admittantur. » (c. 599)

Hanc praescriptionem in domibus mulierum strictius esse servandam quam apud viros leges de clausura omnino suadent. (c. 599)

(1) Cf. Epist. Pii X ad R. P. D. Lépicier, O. S. M., 25 oct. 1913. A. A. S., t. 5 (1913), p. 453. Per. t. 7, p. 193.

Praescribitur ut in *omnibus* quorumvis religiosorum domibus clausura servetur : quam episcopus, nisi agatur de religione clericali exempta, potest, ex gravi causa, in adiunctis peculiaribus, censuris munire. (c. 604)

Ceteris canonibus obligationes clausurae et missae conventualis iure communi vel constitutionibus praescriptae urgentur.

Religiosorum in cura animarum partes.

221. - Commendatur religiosis ut ad iuvandos Ordinarios et parochos in cura animarum ministerium suum libenter praestent, Ordinariis vero et parochis ut illorum auxilio, praesertim in administrando sacramento paenitentiae, libenter utantur. (c. 608)

Caput II. - De privilegiis

Suppressa communicatio privilegiorum

222. - « Quaelibet religio iis tantum privilegiis gaudet quae vel in hoc Codice continentur, vel a S. Sede directe eidem concessa fuerint, exclusa in posterum qualibet communicatione. » (c. 613)

Communicatione acquirebant v. g. Ordines mendicantes omnia privilegia quae uni ex iis concedebantur, nisi ex natura rei vel specialibus clausulis aliud constaret : quod privilegium ad alias etiam non nullas religiones fuerat extensum. *In posterum* dicitur exclusa omnis communicatio privilegiorum. Cum omnis iuris correctio sit odiosa et ex hoc canone magnus fons privilegiorum occludatur, censemus de iis tantum agi privilegiis quae a Pentecoste anni 1918 concedentur, non autem de illis quae communicatione iam sunt acquisita. — Corroboratur haec sententia cum delectu verborum, tum c. 4, quo salva dicuntur privilegia quae sunt in usu et non expresse revocantur.

Religiosi, etiam laici ac novicii, fruuntur privilegio fori, canonis, immunitate personali et reali ut clerici. (c. 614 coll. cum cc. 119-123)

Exemptionis notio

223. - *Exemptionis* privilegium sic effertur : « *Regulares*, novi-ciis non exclusis, sive viri sive mulieres, cum eorum domibus et ecclesiis, exceptis iis monialibus quae Superioribus regularibus non subsunt, ab Ordinarii loci iurisdictione exempti sunt, praeterquam in casibus a iure expressis. » (c. 615) - « Religiones votorum simplicium exemptionis privilegio non gaudent, nisi specialiter iisdem fuerit concessum. » (c. 618)

In religionibus laicalibus, etiam exemptis, ius et officium est Episcopi in visitatione « inquirere num disciplina ad constitutionum normam vigeat, num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum sit, num sacramenta aequa stataque frequentia suscipiantur ;... » (c. 618)

Exempti indultis Ordinariorum loci fruuntur.

224. - Ne tamen exemptio in damnum cedat privilegiatorum « per indultum ab Ordinario loci concessum, obligatio legis communis cessat quoque pro religiosis omnibus in dioecesi commorantibus, salvis votis et constitutionibus propriis cuiusvis religionis ». (c. 620)

Dum favor hic concessus a non nullis in dubium revocabatur, obligationes quasdam ipsarum Constitutionum (v. g. abstinentiae, ieiunii) indulto generali Ordinarii loci cessare quidam religiosi ex missis ad S. C. *de Religiosis* quaestionibus credere videbantur.

De eleemosynis quaeritandis.

225. - Dum *regulares* « qui ex instituto mendicantes vocantur et sunt », tantum *extra dioecesim*, licentia Ordinarii loci, facile concedenda, egent ut eleemosynas colligant, omnibus religiosis Congregationum iuris pontificii, praeter speciale S. Sedis privilegium, *ubique* hic consensus est necessarius, nisi aliter in ipso privilegio cautum fuerit. In hoc consensu praestando ne faciles se exhibeant Ordinarii monentur.

Caveant Superiores ne sui subditi stipem quaeritantes ullum spirituale detrimentum patiantur, accurate servando instructiones a S. Sede de hac re datas ; quod ad modum servandum, ad easdem remittimur (cc. 621. 622). Inveniuntur in decr. *de eleemosynis* (1) et in decr. *Singulari quidem.* (2)

Caput III. - De obligationibus et privilegiis Religiosi ad ecclesiasticam dignitatem promoti vel paroeciam regentis

Religionis obligationes

226. - Religiosi ad dignitatem promoti vel parochi munere fungentes obligationibus suae professionis et constitutionum, quae cum dignitate vel munere consistere possunt, tenentur. (cc. 627. 630)

Religiosi parochi Superiores.

Religiosus parochus, qua religiosus, a suo Ordinario, qua parochus, ab Ordinario loci pendere modo generali dicendus est. Utrique cumulativa potestas inest in eum animadvertendi si suo muneri defecisse compertus est. Ab alterutro autem removeri potest, non indicata alteri causa. (cc. 630. 631)

Religiosi Cardinalis vel episcopi condicio.

227. - Qui renuntiatur Cardinalis vel episcopus, vi voti oboedientiae uni Romano Pontifici manet obnoxius ; bonorum suorum recuperat usum, usum fructum et administrationem : bonorum, quae ipsi postea obveniunt, varia est condicio prout professionem sollemnem vel simplicem fecerat. (c. 627)

TITULUS XIV. - DE TRANSITU AD ALIAM RELIGIONEM.

(cc. 632-636)

Requisita licentia S. S. Professio in nova religione.

228. - Salvis privilegiis fortasse existentibus, « Religiosus nequit ad aliam religionem, etiam strictiorem, vel e monasterio sui iuris ad aliud transire sine auctoritate S. Sedis » (c. 632). Si professionem perpetuam emiserat, post noviciatum in nova religione peractum, statim ad perpetuam professionem admittendus est, nisi iudicio

(1) Decr. S. C. *de Relig.* 21 nov. 1908. Cf. *De Rel.* II, p. 404 ss. — (2) S. C. *EE. et RR.*, 27 mart 1896. Cf. *De Rel.* II, pp. 401-404, ss.

Superioris diutius, non tamen ultra annum, probandus videatur : secus ad priorem religionem redire tenetur. (c. 634)

Novae professionis effectus.

229. - Nova professione amittit omnia iura et obligationes prioris religionis ; et alterius iura et officia suscipit. (c. 635)

Sollemnitas votorum, in eo qui legitime vota simplicia in congregatione religiosa nuncupat, eo ipso exstinguitur, nisi aliud in apostolico indulto expresse caveatur. (c. 636)

Nullibi vero dicitur teneri voto de non ambiendis vel acceptandis dignitatibus, quod olim in transeunte ad aliam religionem suam vim servabat. (Const. *Honorum dignitatumque*, 24 febr. 1643)

TITULUS XV. - DE EGRESSU E RELIGIONE

(cc. 637-645)

De variis separationis a religione modis.

230. - Potest quis a religione sua *separari* sive egrediendo, *expleto votorum tempore*, aut accepto indulto permanendi extra claustra *perpetuo* (*indultum saecularizationis*) sive quia legitime, *votis solutis, dimissus est.* — Potest etiam egredi ita ut obligationes et iura quaedam servet, obtento indulto *temporario* manendi extra claustra (*ind. exclaustrationis*) aut si ob delicta dimittatur, *votis non solutis.* — A religione non separantur qui, sine Superioris licentia, eam relinquunt sive cum animo redeundi (fugitivus) sive sine tali animo (apostata).

Valetudo sola non est causa dimissionis.

231. - Infirmitas non est causa sufficiens cur possint Superiores religiosum a renovanda professione temporaria vel ab emittenda perpetua excludere, « nisi certo probetur eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam ». (c. 637)

Indultum exclaustrationis.

232. - Religiosus, accepto exclaustrationis indulto, dum extra domum manet, exteriorem debet habitus religiosi formam deponere et Ordinario loci ubi commoratur, loco Superioris propriae religionis, subditur, etiam ratione voti obedientiae. (c. 639)

Indultum saecularizationis.

233. - Qui, impetrato saecularizationis indulto, religionem relinquit, a sua religione ita perfecte separatur, ut ab ipsis votis liberatus maneat et si ex indulto apostolico rursus recipiatur, noviciatum ac professionem instaurare debeat. (c. 640)

Dimissi religiosi in sacris condicio.

234. - Omissa iam mentione patrimonii procurandi, condiciones quoque inveniendi episcopi receptoris multo fiunt faciliores. Nisi enim dioecesim, emissa professione *perpetua*, amiserint, religiosi dimissi ad proprium Ordinarium redire et ab ipso recipi debent ; si amiserint, ab exercendis extra religionem ordinibus prohibentur donec episcopum benevolum receptorem invenerint aut S. Sedes aliter providerit.

Ipso facto dioecesi incardinatur qui ab episcopo pure et simpliciter recipitur vel saltem ante unum aut, ad summum, alterum triennium probationis ab eo non dimissus est. (c. 641)

235. - Severius renovantur prohibitiones, quibus ex decr. *Cum minoris*, (1) multi religiosi plectebantur. « Quilibet (enim) professus, ad saeculum regressus,... prohibetur sine novo et speciali indulto S. Sedis. *Religiosi dimissi multis officiis prohibentur.*

« 1° Quolibet beneficio in basilicis maioribus vel minoribus, et in ecclesiis cathedralibus ;

« 2° Quolibet magisterio et officio in seminariis maioribus et minoribus, in quibus clerici educantur, itemque in Universitatibus Institutisque, quae privilegio apostolico gaudent conferendi gradus apostolicos ;

« 3° *Quocumque officio vel munere* in curiis episcopalibus et in religionis domibus sive virorum, sive mulierum, etiamsi agatur de congregationibus dioecesanis.

« Haec valent quoque de iis qui vota temporaria, vel iuramentum perseverantiae, vel peculiares quasdam promissiones ad normam suarum constitutionum ediderunt *et ab iisdem dispensati fuerunt, si* per *sex* integros annos eisdem ligati fuerint. » (c. 642) *Quis lege tenetur ?*

Tenentur ergo hac lege qui *expulsi*, vel *quocumque modo dimissi* sunt, non tamen ii, qui, *expleto votorum vel promissionis tempore*, sponte aut coacte, professione vel promissione non renovata, e religione sunt egressi.

De iis qui in turbidis temporibus, generalis saecularizationis participes fiunt verisimile est provisuram S. Sedem. (Cf. Per. t. 5, pp. 41-44, 125)

236. - *Apostata* est religiosus votorum *perpetuorum* qui « e domo religiosa illegitime egreditur cum animo non redeundi vel qui, etsi legitime egressus, non redit eo animo ut religiosae obedientiae sese subtrahat. Qui malitiosus animus *iure* praesumitur, si religiosus intra mensem nec reversus fuerit nec Superiori animum redeundi manifestaverit. *Quis apostata ?*

« *Fugitivus* est qui, sine Superioris licentia, domum religiosam deserit cum animo ad religionem redeundi. » (c. 644) *Fugitivus ?*

Apostatae et fugitivi nullis obligationibus sui status solvuntur, ut patet, immo variis poenis latae vel ferendae sententiae subiciuntur. (cc. 2385-2386)

TITULUS XVI. - DE DIMISSIONE RELIGIOSORUM

(cc. 646-672)

De legitima religiosorum expulsione (quae vox iam non adhibetur) et dimissione actum erat in decr. *Cum singulae*, cuius non nullae partes, haud parum perpolitae, in hunc titulum sunt assumptae (2).

(1) S. C. *de Rel.* 15 iun. 1909. Declar. 5 apr. 1910, A. A. S., t. 1 (1909), p. 523, t. 2 (1910), p. 232. — (2) S. C. *de Rel.*, 16 maii 1911, A. A. S., t. 3 (1911), p. 235 ss. Per. t. 6 p. 44 ss.)

Delinquentes quidam ipso facto dimissi.

237. - Ne legitimae dimissionis formis Superiores in casibus plane extraordinariis onerentur, opportune statuit c. 646 : « Ipso facto habendi sunt tamquam legitime dimissi religiosi : 1° Publici apostatae a fide catholica.

2° Religiosus qui fugam arripuerit cum muliere aut religiosa quae cum viro ;

3° Attentantes aut contrahentes matrimonium.

In his casibus sufficit ut Superior maior cum suo capitulo vel Consilio ad normam constitutionum emittat declarationem facti ; curet autem probationes facti collectas in domus regestis asservare. »

Ita delinquentes ab obligatione sese emendandi et, si vota perpetua fecerint ad religionem redeundi soluti minime sunt. Cum tamen ratio gravis obstet ne, iterum recipiantur, facile, re cum S. Sede composita, dispensationem a votis obtinebunt.

Dimissionis variae condiciones.

238. - Quod ad dimissionis *causam* et *effectum*, magni refert utrum religiosus vota *temporaria* an *perpetua* emiserit ; quod ad *formam* vero requisitam, utrum professionem perpetuam in religione *clericali exempta* an in alia fecerit.

Inde haec materia quattuor capitibus absolvitur, scil. cap.I. De dimissione religiosorum qui *vota temporaria* nuncuparunt. (cc. 647-648) - cap. II. De dimissione religiosorum qui vota *perpetua* nuncuparunt in religione *clericali non exempta* vel in religione *laicali*. (cc. 649-653) - cap. III. De processu iudiciali in dimissione religiosorum qui vota *perpetua* sive sollemnia sive simplicia nuncuparunt in religione *clericali exempta*. (cc. 654-668) - cap. IV. De religiosis dimissis qui vota perpetua nuncuparunt. (cc. 669-672) - Ex quibus ea quae omnibus confessariis vel domorum religiosarum moderatoribus scitu sunt magis necessaria compendiose exponemus.

De professis a votis temporariis.

239. - I. Qui *vota temporaria* emisit, dimitti potest :

1° Nulla forma iudiciali servata ;

2° Ob causas *graves*, etiam nulli delicto annexas, « non vero ob infirmam valetudinem, nisi certo constet eam ante professionem fuisse dolose reticitam aut dissimulatam » ; quae causae sunt religioso patefaciendae ut possit libere respondere.

Dimissus ipso facto solvitur omnibus votis : clericus in minoribus constitutus eo ipso redactus est ad statum laicalem.

Superior competens.

240. - Superior competens in congregatione dioecesana est Ordinarius loci ; in aliis religionibus, supremus moderator vel abbas monasterii sui iuris cum consensu sui cuiusque Consilii per secreta suffragia manifestato ; pro monialibus, Ordinarius loci vel, si talem habeant, Superior regularis.

Dimittendus recursum habere potest ad S. Sedem *in suspensivo*. (cc. 647-648)

Dimissionis post professionem perpetuam forma et causa.

241. - II. Si professus *votorum perpetuorum* dimittendus ad religionem clericalem non exemptam vel laicalem pertineat, *forma iudicialis non* requiritur ; necessaria est vero in religione clericali exempta, revocato quolibet contrario privilegio. (cc. 652. 654)

242. - Ad deliberationem de dimissione vel processum instruendum deveniri nequit nisi praecesserint :

1° *Tria gravia* delicta *externa* sive contra ius commune, sive contra speciale religiosorum ius, aut *unum* tantum *permanens*, quod ex repetitis monitionibus *virtualiter triplex* factum sit. (cc. 649. 656. 657)

2° *Monitiones duae*, saltem trium dierum spatio, si de permanenti delicto agatur, inter se seiunctae, quibus accesserint exhortationes, correptiones, paenitentiae et dimissionis comminatio. (cc. 658-661)

3° *Defectus emendationis*, qui censetur adesse « si religiosus post secundam monitionem novum delictum commiserit vel in eodem permanenter perstiterit ». (c. 662)

Ubi de *religiosa* dimittenda agitur, Codex numerum et naturam delictorum et monitionum non determinat ; requirit tamen graves culpas exteriores coniunctas cum incorrigibilitate et amissa spe resipiscentiae, iudicio Antistitae. (c. 651)

243. - Etiam si processus non est instruendus, curent Superiores ut ex actis et documentis scriptis de negotio rite peracto coram S. Congregatione constare possit. (cc. 666-668)

Sententiae dimissionis Superior competens.

244. - Sententia sive iudicialis, sive extraiudicialis, a S. Sede vel S. Congregatione confirmetur oportet (cc. 650. 652. 666), nisi agatur de congregatione iuris dioecesani. (cc. 650-652)

Fertur sententia extraiudicialis, pro variis casibus, a supremo religionis moderatore cum suo Consilio vel ab Ordinario loci. Si agatur de monialibus vel de sororibus congregationis iuris pontificii, omnia acta et documenta ad S. Congregationem sunt mittenda, ad quam solam pertinet sententiam ferre. (cc. 650-652)

De forma iudicii non est cur in hac brevi synopsi disseramus. (Cf. cc. 663-667)

Forma in casu urgentiori servanda.

245. - Casibus urgentioribus opportune cavetur duobus canonibus.

In casu nempe gravis scandali exterioris vel gravissimi nocumenti communitati imminentis, religiosus potest statim a Superiore maiore (cum consensu sui Consilii in religione non exempta vel laicali) vel etiam si periculum sit in mora et tempus non adsit adeundi Superiorem maiorem, a Superiore locali cum consensu sui Consilii (et Ordinarii loci in iisdem religionibus), ad saeculum remitti, habitu religioso illico deposito.

In religione clericali exempta, instituatur tamen statim processus ad normam canonum ; in aliis res Sanctae Sedi sine mora subiciatur (cc. 653-668)

III. De religiosis dimissis qui vota perpetua nuncuparunt.

Religiosi post professionem perpetuam dimissi condicio.

246. - « Professus, qui vota perpetua emisit, a religione dimissus, votis manet astrictus, salvis constitutionibus aut S. Sedis indultis quae aliud ferant. Si clericus est in minoribus constitutus, eo ipso reducitur ad statum laicalem. » (c. 669)

Clericus in sacris, post dimissionem ipso facto suspensus manet, donec a S. Sede dispensationem obtinuerit. Eius emendationi incumbere pertinet ad Ordinarium loci in cuius dioecesi commorari a S. Congregatione iussus sit. Emendatus et a suspensione absolutus in sacro quodam ministerio ab Ordinario loci poterit adhiberi ; si emendatio-

nem non procuret, contra ipsum ultra erit procedendum, privation caritativi subsidii et iuris habitum ecclesiasticum deferendi.

247. - Post perfectam emendationem, diuturna probatione de monstratam, si votis non erat solutus, regulariter in religionem denu est recipiendus ; si votis solutus erat, ab Ordinario benevolo in minis terio adhiberi poterit. Si tamen a neutris recipi eum contingat, re erit ad S. Sedem deferenda. (cc. 671-672)

TITULUS XVII. - DE SOCIETATIBUS SIVE VIRORUM, SIVE MULIERUM IN COMMUNI VIVENTIUM SINE VOTIS

(cc. 673-681)

De quibus societatibus agitur.

248. - Agitur hic de societatibus in quibus « sodales vivend rationem religiosorum imitantur, in communi degentes sub regimine Superiorum secundum probatas constitutiones, sed tribus consuetis votis publicis non obstringuntur », qualis est v. g. societas Missionariorum a Card. Lavigerie fundata.

Huiusmodi societas non est proprie religio nec ejus sodales nomine religiosorum stricte designantur. (c. 673)

Assimulantur in multis sive clericis,

Sodales tenentur communibus clericorum obligationibus, nisi ex natura rei vel ex sermonis contextu aliud constet (c. 679) : etiam laici gaudent clericorum privilegiis (cf. cc. 119-123), non autem privilegiis religiosorum sine speciali indulto.

sive religiosis.

249. - In multis reguntur iisdem normis ac religiosi, in quibus dam potius clericis saecularibus assimilantur.

Praeter constitutiones servabunt canones sequentes : de regimine societatis, cc. 499-530 ; de bonorum administratione, cc. 532-537; in admittendis candidatis, c. 542 ; quod ad obligationes, cc. 595-612 ; circa transitum ad aliam societatem vel religionem, exitum vel dimissionem e societate, cc. 632-635. 645. 646-672.

PARS TERTIA. - DE LAICIS

Laicorum ius, vestes.

250. - *Laicis* ius agnoscitur obtinendi a clero *spiritualia bona*, ea maxime quae ad salutem necessaria sunt ; simul autem delatio *habitus clericalis* negatur, nisi alumni sint seminariorum, vel ad ordines aspirent, vel, servitio ecclesiae legitime addicti, intra eandem ecclesiam sint vel, extra eam, in aliquo ministerio ecclesiastico partem habeant. (cc. 682-683)

Vestem ergo clericalem iam induere non poterunt laici isti, vulgo dicti *Romitae* (Eremitae), qui privata auctoritate curam suscipiebant cuiuspiam sacelli et ex perceptis eleemosynis alebantur. — *Novicii* autem religionum non nominantur, tum quia lato sensu clerici dicuntur, tum quia ad ordines aspirant, tum quia vestem clericalem tamquam habitum religiosum accipiunt.

TITULUS XVIII
DE FIDELIUM ASSOCIATIONIBUS IN GENERE

(cc. 684-725)

Associationum participatio,

251. - Ascriptio probatis associationibus commendatur fidelibus, qui simul a secretis, damnatis aut suspectis associationibus avertuntur. (c. 684)

fines,

252. - Triplex associationum quas ecclesia constituit *finis* distinguitur : perfectior sociorum vita *(tertii Ordines)* ; exercenda pietatis aut caritatis opera *(sodalicia et piae uniones)* ; incrementum publici cultus (*confraternitates*, quae utrumque finem prosequi solent). (cc. 685. 707, 2)

erectio vel approbatio. Alterutrius necessitas et vis ; auctor.

253. - 1. Omnis fidelium associatio, ut agnoscatur, legitime erigi vel saltem approbari debet. Formali erectione, non autem simplici approbatione, fit *persona moralis*, quamvis simpliciter approbata indulgentias et favores spirituales consequi possit. (cc. 686-687. 708)

2. Associationes erigit vel approbat : *Romanus Pontifex ; — Loci Ordinarius*, non autem Vicarius capitularis, nec, sine speciali mandato, Vicarius generalis ; — Ii demum qui ex apostolico indulto *privilegium* habent.

Quid in ecclesiis religiosorum ?

Privilegium istud interdum tamquam *exclusivum* conceditur ; et tunc loci Ordinarius associationem istam erigere nequit. Nisi tamen aliud in ipso privilegio cautum sit, eius consensus, scripto datus, est ad validam erectionem necessarius. Eodem tamen consensu quo erectio domus religiosae permittitur, permittitur etiam, in illa domo vel annexa ecclesia, erectio associationis quae, a) constituta non sit ad modum corporis organici, id est, cui *essentialis* non est (quamvis, ut Congregatio B. M. V. ita plerumque constituatur) magistratus quispiam constans electis praeside et assistentibus aut consiliariis ; et b) illius religionis sit propria ; sicut associatio VII gaudiorum B. M. V. propria est Fratrum Minorum, associatio

VII dolorum B. M. V. propria est Servorum B. M. V.; congregationes B. M. V. et Bonae Mortis propriae sunt Societatis Iesu. (c. 686, 3)

Hac itaque latitudine consensus ad erigendam domum intellegitur; sed nihil obstare videtur quin Ordinarius loci, ob iustam causam, erectiones istas consensu suo excludat. (Cf. c. 497, 2)

Nec sublatum est privilegium quo episcopi missionum qui S. Congregationi de Propaganda Fide subiecti sunt omnes associationes a S. Sede approbatas, sola excepta confraternitate SS. Rosarii, erigere cum respectivis indulgentiis permittuntur. (Leo XIII, aud. 15 dec. 1888.)

Erectionis gratuitas.

Erectio ex *apostolico privilegio* facta *gratuita* esse debet « sola excepta taxa pro expensis necessariis ». (c. 686, 5)

Exactio taxae dioecesanae itaque non prohibetur.

Associationis nomen, statuta.

254. - *Titulus* seu *nomen* associationis nihil absonum vel non probatae devotionis exprimere potest. (c. 688)

Praecipitur ut statuta habeat a Sede apostolica vel ab Ordinario loci examinata et approbata. (c. 698)

Variis praescriptis canonum 686 ss. confirmatur, paucis mutatis, C. *Quaecumque*, lata a Clemente VIII, 7 dec. 1604, cuius observatio in substantialibus punctis ad ipsum erectionis vel aggregationis valorem a Pio IX per decr. *S. C. Indulgentiarum et Reliquiarum*, 8 ian. 1861, praecepta est. Sed dum Constitutio ista mere postulabat ut statuta confraternitatum, si quae haberentur, ab Ordinario probarentur, hic absolute exigitur ut exsistant statuta ab Ordinario approbata. Quid itaque iuris de associatione quae ex privilegio ab observanda C. *Quaecumque* exempta erat? Privilegium istud non tollitur. Quare obligatio habendi statuta quod ad ipsas non valde urgenda videtur. Ceterum sufficere videntur statuta communia omnium associationum cuiuspiam generis, qualia condidit Praepositus Generalis Societatis Iesu pro Congregationibus B. M. V.

Ordinarii loci auctoritas.

255. - Ordinarius loci : 1. Approbat et corrigit statuta a S. Sede non confirmata. (c. 689, 2)

2. Associationes omnes, salvo peculiari privilegio, ipse regit et canonice visitat. Excipiuntur associationes quae ex privilegio apostolico in ecclesiis religiosorum exemptorum institutae sunt. Illae visitari non possunt nisi in administrandis rebus externis, maxime bonis temporalibus.

3. Annuam rationem obtinet administrationis temporalis, fidelisque erogationis oblationum et eleemosynarum. Ipse etiam, ob specialia adiuncta, permittere potest, ut associationi aliquid solvatur occasione receptionum. (cc. 691-695)

4. Ad colligendas eleemosynas veniam dat. Haec *scripta* esse debet, si extra territorium (Ordinarii intellege) colligendae sint.

5. Associationis moderatorem et cappellanum (si distinctus habeatur) ipse nominat.

Id tamen non valet de associatione quae a religiosis *in propriis ecclesiis* vi apostolici privilegii erigatur. Si tamen Superior moderatorem et cappellanum e clero saeculari elegerit, consensus Ordinarii loci necessarius erit. (c. 698)

Observes exceptionem istam non coartari ad religionem exemptam vel ecclesiam domui religiosae annexam, sed sufficere ut ecclesia sit religiosorum propria.

6. Ob graves causas, salvo recursu ad Apostolicam Sedem, supprimere potest omnem associationem quam ipse vel decessores eius erexerint, vel in cuius erectionem consenserint. (c. 699, 1)

Supprimere ergo nequit associationes quae sine tali consensu erigi potuerunt, v. g. in ecclesia domui religiosae annexa. (Cf. c. 699, 2)

7. Socios cuiuslibet associationis ipse dimittere potest. (c. 696, 3)

Associationis administratio.

256. - Erecta associatio potest ad normam statutorum et sacrorum canonum comitia celebrare, peculiares normas ipsam respicientes edere, eligere administratores, officiales et ministros, bona temporalia possidere et administrare, oblationes recipere et receptas erogare ad pios associationis usus, salva semper offerentium voluntate. (cc. 691-697)

Administratio temporalis auctoritati Ordinarii (non autem parochi), cui annua ratio reddenda est, subicitur. (c. 691)

Eleemosynae vero colligi non possunt nisi id aut statuta permittant aut necessitas postulet ac praeterea (in *utroque* casu) consensus Ordinarii accedat. (c. 691, 3)

Collectio tamen non est privata petitio a non nullis coniunctis vel notis personis.

Sociorum receptio. Quinam recipi possint.

257. - 1. *Valide* recipi nequeunt acatholici, damnatae sectae ascripti, censura notorie irretiti, et, in genere, publici peccatores. (c. 693)

Qui post inscriptionem tales evaserint, praemissa monitione, servatis propriis statutis et salvo recursu ad Ordinarium, expungendi sunt. (c. 696, 2)

2. Ascribi *vetantur absentes* associationibus ad modum corporis organici constituti, et *praesentes* inviti aut nescii. (c. 693, 3)

3. Ascribi possunt iam ascripti alii associationi, et per se etiam religiosi, exceptis tertiis Ordinibus saecularibus. (c. 693)

Observes, positivum Superioris assensum iure communi non requiri.

Receptionis modus.

258. - Receptio fit ad normam iuris et statutorum. Inscriptio in albo associationis fieri praecipitur ; ad valorem requiritur, si associatio in personam moralem erecta fuerit. (c. 694)

Quotiescumque ergo formalis erectio, v. g. Congregationis B. M. V. facta est, inscriptio fit condicio valoris, ut quis sit vel maneat socius. Iura enim ab ipsa receptione, non autem ab inscriptione diem habent.

Gratuitas.

Occasione receptionis nihil exigi potest, nisi quod in statutis legitime approbatis designatum sit, aut ab Ordinario loci, ob specialia adiuncta, in favorem associationis permissum sit. (c. 695)

Receptionis vis.

259. - Legitime receptus et non expulsus, hoc solo titulo fruitur associationis iuribus, privilegiis, indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus. (c. 692)

Patet hoc ita intellegendum esse, ut condiciones indulgentiis lucrandis praescriptae, v. g. visitatio oratorii, impleantur.

Sociorum dimissio.

260. - Nemo dimittitur nisi ob iustam causam ad normam statutorum. Praeter Ordinarium loci, qui socios cuiuslibet associationis dimittere potest, Superior religiosus socios etiam dimittere potest associationis a sua religione ex apostolico indulto erectae. (c. 696)

TITULUS XIX
DE FIDELIUM ASSOCIATIONIBUS IN SPECIE

(cc. 700-725)

Quot sint species ; quisnam ordo praecedentiae.

Quotuplex genus,

261. - Associationum *duplex genus* exstat (Cf. c. 700) :

1. *Tertii Ordines,* qui, secundum spiritum cuiuspiam Ordinis eiusque moderatione, saeculares fideles, per regulas ab Apostolica Sede pro ipsis approbatas, modo eorum vitae consentaneo, ad christianam perfectionem ducere nituntur. (c. 702, 1)

Saepe dividuntur in plures associationes quae dicuntur *sodalicia tertiariorum.* (c. 702, 2)

species.

2. *Piae Uniones,* quae ad exercitium alicuius operis pietatis aut caritatis exsistunt. Si piae uniones ad modum corporis organici constitutae sint, vocantur *sodalicia,* quae rursus, si in incrementum quoque publici cultus erecta sunt, speciali nomine *confraternitatis* appellantur. (c. 707)

Propter divisionem piarum unionum in tres species, quibus genus Tertiorum Ordinum ut quarta accedit, quattuor *species* associationum distingui possint. Verum, propter iuridicos effectus, Codex tres tantum indicat : *Tertios Ordines saeculares, Confraternitates, Pias Uniones.* (c. 700)

Praecedentia.

262. - Is porro Ordo *praecedentiae* statuitur :

1. Tertii Ordines. — 2. Archiconfraternitates. — 3. Confraternitates. — 4. Piae uniones primariae (quasi-archiconfraternitates). — 5. Aliae piae uniones. (c. 701)

Atque, ex canone 106, 5. 6, si sint eiusdem speciei et gradus, attenditur ad quasi-possessionem, dein ad prioritatem in loco ; et Ordinarius controversias componit.

Privilegium Confrat. SS. Sacramenti.

In processione tamen in qua SS. Sacramentum defertur, confraternitas SS. Sacramenti ipsis archiconfraternitatibus praecedit. (c. 701, 2)

Praecedentiae autem condicio est, ut sub propria cruce vel vexillo et cum habitu seu insignibus associationis incedant. (c. 701, 3)

Caput I. - De tertiis Ordinibus saecularibus

Tertii Ordinis vel sodalitatis Tertiariorum erectio.

263. - Apostolicum privilegium requiritur ut religio sibi tertium Ordinem adiungere possit.

Quo obtento, possunt Superiores religiosi personas particulares ascribere, sed ad erigendam tertiariorum sodalitatem consensus Ordinarii loci ea ratione necessarius est qua ad erigendum sodalicium requiritur. Cf. supra, n. 253 vel can. 686, 3. (c. 703, 1. 2)

Specialis itaque consensus non requiritur, si sodalitas non est ad modum organici corporis constituta et erigitur in ecclesia annexa domui Ordinis.

Specialis licentia Ordinarii loci etiam requiritur pro vestibus quae in publicis sacris functionibus deferendae sint. (c. 703, 3)

Religiosi excludantur.

264. - Religiosi, post vota, nequeunt ad tertium Ordinem pertinere ; atque anterior eorum ascriptio suspenditur, dum votis astricti manent. (c. 704)

Transitus.

265. - Tertiariis licet, ob iustam causam, ab una ad aliam eiusdem Tertii Ordinis sodalitatem, immo ab uno ad alium Tertium Ordinem *transire*, non autem, secluso apostolico indulto, ad plures simul tertios Ordines pertinere. (c. 705)

Participatio functionum sacrarum.

266. - Publicis processionibus, funeribus et ecclesiasticis functionibus, Tertiarii non debent sed possunt collegialiter interesse, dummodo tunc sub propria cruce cum insignibus incedant. (c. 706)

Caput II. - De Confraternitatibus et Piis Unionibus

REGULAE COMMUNES

Titulus.

267. - *Titulus* seu *nomen* desumendum est « vel a Dei attributis, vel a christianae religionis mysteriis, vel a festis Domini et B. V. M., vel a Sanctis vel a pio opere ipsius sodalicii ». (c. 710)

Lex distantiae. Erectionis leges.

268. - 1. Sine speciali iure aut concessione, ne erigantur vel approbentur plures piae uniones vel confraternitates eiusdem tituli atque instituti in eodem loco ; exceptis magnis civitatibus, ubi hoc licet, dummodo, iudicio Ordinarii, convenienti distantia separentur. (c. 711)

Observes legem istam ita exprimi ut condicio valoris non sit ; ab ea autem exemptas manere confraternitates et pias uniones quae antea, sicut Congregationes Marianae, a servando decreto S. C. *Indulgentiarum*, 8 ian. 1861, inculcante Constitutionem CLEMENTIS VIII, *Quaecumque*, 7 dec. 1604, exemptae erant.

Locus.

2. Erigendae sunt in ecclesia vel in oratorio saltem semi-publico ; in ecclesia cathedrali vel collegiali assensus capituli requiritur. (c. 712)

In ecclesiis vel oratoriis religiosarum permitti potest erectio « as-

sociationis mulierum tantum aut piae unionis quae non nisi precationibus incumbat et gratiarum duntaxat spiritualium communicatione gaudeat ». (c. 712)

Quia plures Congregationes Marianae haec tantum exercent, non repugnat ut qua tales, etiam pro viris, in ecclesiis religiosarum existant.

Communicatio gratiarum.

3. Religiosi illas omnes et solas *gratias spirituales* communicare debent quae in facultatibus S. Sedis specifice et nominatim communicabiles declarantur ; eaeque in actu erectionis manifestandae sunt.

De novis indulgentiis praescriptum can. 919 (cf. n. 372) servandum manet.

Functiones concessae.

269. - Si *propriam ecclesiam* habent, in ea, etiam casu quo paroeciam contineat, functiones non paroeciales exercere possunt, dummodo ministerio paroeciali in paroeciali ecclesia ne noceant : de qua re, in dubio, iudicabit et practicas normas Ordinarius decernet. (c. 716)

Si *in ecclesiis non suis* erectae sint, propriae functiones in sacello tantum vel altari in quo erectae sunt, eadem ratione et servatis peculiaribus statutis, peragere possunt. (c. 717)

In posteriore casu, vel quando ecclesia est simul paroecialis, patrimonium a bonis fabricae vel communitatis separatum habere debent. (c. 717)

Translatio.

270. - *Translatio* ad aliam sedem licet de Ordinarii loci consensu, nisi iure aut statutis a Sede Apostolica probatis translatio prohibeatur. Translationi Superior religiosus consentire debet, si confraternitas vel pia unio alicui religioni reservata sit. (c. 719)

Quae vero sine consensu Ordinarii loci erigi potuit sodalitas, sine eius consensu, eadem auctoritate qua erectio facta est, in locum pariter exemptum transferri poterit.

De translatione in aliam dioecesim minus constat, quid requiratur. Eam consensu amborum Ordinariorum loci fieri posse arbitramur. Satius fortasse erit adire S. Sedem vel novam erectionem facere.

REGULAE PROPRIAE CONFRATERNITATUM

Erectio.

271. - 1. Confraternitates constitui non possunt nisi per formale erectionis decretum. (c. 708)

Locus prohibitus.

2. In ecclesiis vel oratoriis religiosarum erigi non possunt. (c. 712, 3)

Partialis mulierum exclusio.

3. Mulieres ascribi non possunt nisi ad lucrandas indulgentias et gratias spirituales. (c. 709, 2)

Vestes.

4. Vestes propriae seu insignia in publicis processionibus et sacris functionibus deferenda, sine speciali Ordinarii loci licentia assumi prohibentur; nec dimitti vel mutari sine eadem licentia possunt. (cc. 713, 714)

Participatio sa-

5. Confratres nequeunt sacris functionibus operam praestare nisi habitum seu insignia ista deferant. (c. 709)

Processionibus consuetis et aliis quas Ordinarius indixerit collegialiter et sub proprio vexillo interesse debent, nisi Ordinarius aliud praescripserit. (c. 718) *eorum functionum.*

6. Comitiis [id est consessibus deliberativis et electivis] confraternitatum per se vel per delegatum praeesse, sine tamen iure suffragii : officiales et ministros electos confirmare, indignos vel non idoneos respuere aut removere, statuta aliasve normas, nisi a Sede Apostolica approbata fuerint, corrigere et approbare, pertinet ad loci Ordinarium. Quare de extraordinaria comitiorum celebratione ipse vel eius delegatus tempestive monendus est : secus ea impedire vel eorum decreta penitus infirmare potest. (c. 715) *Comitia. Ius Ordinarii.*

7. Ordinarii curare debent ut in qualibet paroecia confraternitates *SS. Sacramenti et Doctrinae christianae* instituantur, quae ipso iure aggregatae sunt Urbis archiconfraternitatibus eiusdem rationis. (c. 711) *Duae confraternitates ubique erigendae.*

REGULAE PROPRIAE SODALICIORUM ET PIARUM UNIONUM

272. - 1. Sodalicia et piae uniones eiusdem iuris regulis reguntur. *Iuris commune.*

2. Formalis eorum erectio, sine qua tamen personae morales non sunt, non requiritur ut gratias obtineant, sed Ordinarii approbatio sufficit. (c. 708) *Erectionis facultas.*

Locus iste obscuritate quadam laborat. Necessitatem formalis erectionis supprimere videtur, quam tamen canon 723 ad validam aggregationem requirit. In dubio itaque, memores can. 6, 4, a veteri iure ne recedamus. Et sic praesentem canonem intellegamus, ut simpliciter declaret formalem erectionem ad essentiam totius generis piarum unionum non pertinere, quamvis pro pluribus, quae olim dicebantur confraternitates late tales (1), canonica erectio ad primum esse vel ad aggregationem obtinendam exigatur.

DE ARCHICONFRATERNITATIBUS ET PRIMARIIS UNIONIBUS

273. - *Archisodalicia, archiconfraternitates, societates, congregationes, piae uniones primariae* appellantur quae, ex apostolico indulto, iure pollent alias associationes aggregandi. (c. 720) *Notio.*

274. - 1. Salvo privilegio, hae solae uniones aggregari possunt quae sint eiusdem tituli ac finis. *Aggregationis condicio, vis et effectus,*

Aggregatione autem nullum ius aggreganti in aggregatam acquiritur, sed communicantur omnes gratiae spirituales et privilegia communicabilia quae a Sede Apostolica concessa fuerint vel in posterum concedantur, nisi aliud in indulto apostolico caveatur. (c. 722)

Ad *valorem* aggregationis requiritur : a) Ut associatio iam fuerit canonice erecta, nec alii archiconfraternitati vel primariae unioni *leges.*

(1) Cf. *De Rel.* t. 1, n. 542.

aggregata. — b) Consensus scriptus Ordinarii loci, una cum eius litteris testimonialibus ; — c) Enumeratio gratiarum spiritualium quae communicantur, in elencho ab Ordinario loci archiconfraternitatis recognito, et societati aggregatae tradendo ; — d) Observatio formulae statutis praescriptae. — e) Perpetuitas aggregationis. — f) Exclusio omnis mercedis, etiam sponte oblatae, exceptis necessariis expensis. (c. 723)

Si pia unio primaria cum sola approbatione exsistat, videtur tunc condicio erectionis canonicae non requiri, sed satis esse ut aggreganda unio legitime approbetur.

Translatio.

2. Translatio archiconfraternitatis vel primariae unionis sola S. Sedis auctoritate fieri potest. (c. 724)

Titulus honorificus. Comparatio cum iure superiore.

3. Sola S. Sedes potest etiam honoris causa titulum archisodalicii vel unionis primariae concedere. (c. 725)

275. - *Observatio generalis de ista Parte.*

In parte ista, non multum a veteri iure recessum est ; sed plura dubia soluta sunt et plura legis silentia expressa dispositione suppleta sunt. *Notio* tamen *confraternitatis* paulisper diversa dabatur, nec *piae uniones* genus quoddam efficere dicebantur. *Confraternitas* canonica erectione constitui dicebatur ; ac distinguebant tunc confraternitates stricte et late tales, quae ambae opponebantur piis unionibus. Cf. Vermeersch *De religiosis*, t. 1, n. 242, vel Beringer-Hilgers *Die Ablässe*, 14 ed. 1916, t. 2, p. 1.2.

Quare in allegando et interpretando veteri iure, ad illam vocabulorum mutationem attendendum erit.

LIBER TERTIUS

DE REBUS

Praefatio de simonia

(cc. 726-730)

276. - Divisio rerum in spirituales, temporales, mixtas (c. 726), opportunitatem dat inchoandi librum a brevi explicatione *simoniae*. *Simoniae notiones, species.*

Haec in simoniam *iuris divini* et simoniam *iuris humani* apte partitur. Prior autem definitur : « Studiosa voluntas emendi vel vendendi pro pretio temporali rem intrinsece spiritualem, e. g. sacramenta... vel rem temporalem rei spirituali annexam ita ut res temporalis sine spirituali nullo modo esse possit, e. g. beneficium ecclesiasticum, etc. aut res spiritualis sit obiectum, etsi partiale, contractus, e. gr. consecratio in calicis consecrati venditione. » (c. 727)

Postrema ista verba limpidius et plenius quam in hactenus recepta definitione (ubi occurrebat dictum satis ambiguum « res temporalis spirituali consequenter annexa ») explicant quaenam res temporalis pro pretio temporali sine simonia iuris divini commutari nequeat.

Porro, consecratio, in calicis venditione, tunc tantum fit partiale contractus obiectum, cum propter consecrationem maius pretium postulatur.

Simonia vero *iuris ecclesiastici* committitur, cum permutantur inter se vel res spirituales, vel res temporales spirituali annexas, vel etiam temporales, « si id ob periculum irreverentiae erga res spirituales ab Ecclesia prohibeatur ». (c. 727, 2)

Nomine autem permutationis, etc. omnis vera conventio, etiam tacita vel ad effectum non deducta intellegitur. (c. 728)

Sic liberamur tritis divisionibus simoniae in mentalem, conventionalem, realem, et pretii temporalis in munus a manu, a lingua, et ab obsequio.

277. - Can. 729 irritat pleno iure omnem contractum simoniacum, et, in materia beneficiorum, officiorum, dignitatum, provisionem [i. e. nominationem] inde secutam, etiam si, inscio proviso, simonia a tertia persona commissa sit, dummodo ne fiat in fraudem eiusdem provisi [v. g. ad impediendam eius promotionem alioquin certam] aut eo contradicente. *Sanctio nullitatis.*

Hinc obligatio est *restitutionis* ante omnem *sententiam* — Provisus fructus non facit suos ; bona tamen fide *perceptos* potest iudex vel Ordinarius ex toto vel parte condonare.

Longe itaque certius et universalius quam antea sanctio plenae nullitatis promulgatur.

Consequenter ad haec dicta, c. 1441 reprobat tamquam simoniacas, reductiones ex fructibus, compensationes et solutiones a clerico in actu provisionis faciendas ; — c. 1488 vetat in permutandis beneficiis ne *Conexae iuris dispositiones.*

praestatione quadam quae pretio sit aestimabilis, inaequalitas compensetur ; immo permutatio inter plures quam duos beneficiarios fieri nequit [ne tertius appelletur ad compensandam inaequalitatem] ; — c. 736 prohibet ne, praeter oblationes legitime admissas (c. 1507), quidpiam quavis de causa vel occasione directe vel indirecte pro administratione sacramentorum minister exigat aut petat.

PARS PRIMA. - DE SACRAMENTIS

Introductio

(cc. 731-736)

Exclusio haereticorum et schismaticorum.

278. - Canone 731, 2 generale istud vetitum edicitur quo haereticis aut schismaticis, etiam bona fide errantibus eaque petentibus, sacramenta ministrare prohibemur, antequam, erroribus reiectis, Ecclesiae reconciliati sint.

De iis haereticis et schismaticis agitur qui, ad sectam pertinentes aut externe ab Ecclesia separati, in foro externo per abiurationem reconciliandi sunt. Prohibitio etiam condicionatam baptismi collationem complectitur, cum, in foro exteriore, baptismus validus praesumatur.

Excipiendum tamen est periculum mortis, in quo, modis omnibus qui in theologia morali explicantur, illos quantum copia nobis est iuvare possumus ac debemus.

Praecepta de sacris oleis.

279. - *De sacris oleis,* quae sacramentis inserviunt, haec, ceterum iam fere recepta, cc. 734-735 inculcantur.

a) Nisi necessitas urgeat, adhibenda sunt *recentia,* i. e. quae in proxime superiore feria V in Cena Domini, ab episcopo benedicta sint ;

b) « Mox deficienti oleo benedicto, aliud oleum *de olivis* non benedictum, *etiam iterato,* adiciatur, minore tamen copia. » (c. 734, 2)

I. e. quotiens additur quantitas, addatur minor quam quae supererat, sive haec tota benedicta sive iam prius mixta fuerit.

c) Parochus olea a suo Ordinario petere debet, eaque tuto in ecclesia custodire : non domi, nisi propter *causam rationabilem,* accedente Ordinarii licentia.

Causa itaque satis benigne accipi potest, sed licentia Ordinarii requiritur.

TITULUS I. - DE BAPTISMO

(cc. 737-779)

Caput I. - De ministro baptismi

Minister baptismi sollemnis.

280. - 1. Baptismus qui, ex servatis omnibus caerimoniis, dicitur *sollemnis*, ordinarium ministrum habet *sacerdotem ;* extraordinarium, *diaconum*, qui tamen sua potestate ne utatur sine loci *Ordinarii* vel *parochi* licentia, iusta de causa concedenda, quae, ubi necessitas urgeat, legitime praesumitur. (c. 741)

2. Collatio baptismi sollemnis reservatur *parocho loci*, sine cuius vel Ordinarii licentia, nemo, ne quidem parochus alienus pro suis parochianis subditis, baptismum sollemniter conferre potest. Licentia, in casu necessitatis, legitime praesumitur. (cc. 738. 739)

Ubi nondum exstant paroeciae vel quasi-paroeciae, statuta et consuetudines definiunt cuinam, praeter Ordinarium, ius baptizandi competat. (c. 740)

Quid de peregrino adulto.

281. - 1. *Peregrinus*, si facile et sine mora fieri potest, ad propriam parochiam deferatur ; secus a parocho loci ubi est baptizetur. (c. 738, 2)

2. « *Adultorum* baptismus, ubi commode id fieri possit, ad loci Ordinarium deferatur. » (c. 744)

Solent statuta dioecesana id strictius praecipere, cum baptismus absolute confertur.

Baptismi non sollemnis minister.

282. - 1. In *mortis periculo*, quilibet baptizare potest, servato personarum ordine, quo sacerdos diacono, diaconus subdiacono, clericus laico et vir (nisi pudor vel peritia aliud suadeat) feminae praeferendi sunt ; excluso patre ac matre baptizandi, si alius praesto fuerit. (c. 742)

2. « Curet parochus ut fideles, praesertim obstetrices, medici et chirurgi, rectum baptizandi modum pro casu necessitatis probe ediscant. » (c. 743)

Caput II. - De subiecto baptismi

Baptismus infantium. Infans in utero.

283. - Nemo in utero matris clausus baptizetur, donec probabilis spes sit ut rite editus baptizari possit. (c. 746, 1)

Itaque, regulariter tam diu exspectandum erit. Si tamen periculum sit in mora, epikeia utendum erit, ne quispiam sacramento necessario privetur.

Baptismus in utero condicionate confertur [condicione, *si capax es*] ; postea enim sub condicione iterandus dicitur. (c. 746, 1. 5)

Si infans caput emiserit, et immineat periculum mortis, in capite baptizetur : qui baptismus per se iterandus non est. In alio membro,

baptismus tantum condicionatus dabitur, iterandus sub condicione, si natus vixerit. (c. 746, 2. 3)

Postumus et abortivus.

284 - 1. Si mater praegnans mortua fuerit, fetus, *ab iis ad quos spectat*, extractus, sicut omnes fetus abortivi, quovis tempore editi, si certo vivant, absolute, si dubie, sub condicione baptizentur. (cc. 746. 747)

Monstrum.

2. Monstra et ostenta semper, saltem sub condicione, baptizentur ; in dubio autem utrum unus an plures homines sint, unus baptizetur absolute, ceteri sub condicione. (c. 748)

Expositus.

3. Inventus puer sub condicione baptizandus est, nisi, « re diligenter investigata, de eius baptismo constet ». (c. 749)

Supponenda tamen est spes catholicae institutionis, si sanus repertus sit.

Infans infidelium.

285. - « Cum in eo versatur vitae discrimine, ut prudenter praevideatur moriturus antequam usum rationis attingat », infans infidelium licite, etiam invitis parentibus, baptizatur. (c. 750, 1)

Extra periculum mortis, dummodo *catholicae eius educationi* cautum sit, licite baptizatur, a) Si parentes vel tutores aut saltem unus eorum consentiant ; b) Si parentes, i. e. pater, mater, avus, avia vel tutores desint, aut ius in eum amiserint, vel illud exercere nullo pacto queant. » (c. 750, 2)

Istud vitae discrimen infantem ipsum personaliter attingere debet, ita ut generalis praesumptio non sufficiat ; ex alia tamen causa ac praesenti morbo discrimen oriri potest.

Parentes, quorum unus iam efficaciter consentire potest, sex sunt : avus enim et avia ex utraque linea sumi possunt. Sed cautio de catholica educatione habenda est : cautio saltem *probabilis*. Hanc sufficere testantur documenta S. Sedis v. g. resp. *S. Officii* 6 sept. 1899, et 13 febr. 1867 (1).

Infans acatholici, apostatae.

286. - Can. 751 easdem normas *generatim* servandas dicit de baptismo infantium duorum haereticorum, aut schismaticorum, aut duorum catholicorum qui in apostasiam, vel haeresim aut schisma prolapsi sint.

Quamvis enim, propter baptismum, iurisdictionem Ecclesiae non effugiant, communis utilitas etiam catholicae religionis hanc agendi rationem plerumque suadebit. Minus tamen absolute ponitur regula ista, quae plane nova est in iure.

Baptismus amentis,

287. - Perpetuo ab infantia amentes pueris prorsus aequiperantur. Alii amentes de eorum voluntate in lucidis intervallis interrogandi sunt. Impendente periculo mortis, baptizandi sunt, si, antequam insanirent, baptismi votum ostenderint. (c. 754)

Canone isto, quo baptismus *praecipitur*, non vetatur condicionatus baptismus eorum qui voluntatem baptismi non manifestarunt. De qua re, cf. theol. moralem.

adulti

288 - *Adultus*, id est, in hac re, ille qui usu rationis potitur

(1) *Coll. Prop. Fid.* n. 2068 et 1302.

(c. 745, 2), nisi sciens et volens probeque instructus, ne baptizetur *sanus ;* et admonendus est ut de peccatis suis doleat. — *In periculo mortis,* si diligentius instrui nequeat, satis est ut aliquo modo ostendat se praecipuis fidei mysteriis assentire, serioque promittat se christianae religionis mandata servaturum. — Si ne baptismum quidem petere queat, sed probabili aliquo signo intentionem illum suscipiendi manifestet aut ante manifestaverit, sub condicione baptizandus est : dein, si convaluerit, in dubio de valore collati baptismi, iterum baptizabitur. (c. 752) *sani, periclitantis.*

De iis qui signa ista non dederint, cum Codex taceat, redit modo facta observatio.

Decere dicitur ut in baptismo adultorum sacerdos et adulti sani sint ieiuni. (c. 753, 1) *Ieiunium consulitur,*

Praescribitur autem, nisi gravis et urgens causa obsit, ut adultus statim missam audiat et communicet. (c. 753, 2) *missa et communio praescribuntur.*

N. B. Quae confessio facienda sit ab haeretico qui, conversus ad fidem, sub dubio rebaptizandus sit, id silentio praetermittitur. Non est itaque in legem generalem erectum decretum S. Congregationis quod Anglis neo-conversis integram confessionem praecepit. Cf. resp. *S. Officii,* 17 dec. 1868 (A. S. S. t. 4, p. 320.) *Confessio neo-conversi.*

Caput III. - De ritibus et caerimoniis baptismi

289. - 1. *Extra mortis periculum,* sollemnis baptismus praecipitur (c. 755, 1). Nec loci Ordinarius privatum permittere potest, nisi agatur de haereticis qui in adulta aetate sub condicione baptizentur. (c. 759, 2) *Caerimoniarum obligatio. Facultas Ordinarii extra mortis periculum.*

Sed iam, sine speciali indulto, potest omnis loci Ordinarius, ob gravem et rationabilem causam indulgere, ut in baptismo adultorum caerimoniae pro baptismo infantium adhibeantur. (c. 755, 2)

Prohibitio generalis baptismi privati non impedit quin in missionibus necessarius usus servetur quo, absente missionario, infantes etiam sani a catechista privatim baptizantur. *In missionibus.*

2. *In mortis periculo,* privata baptismi collatio licita est. Immo, si minister non est saltem diaconus, caerimoniae, excepto patrini interventu, qui canone 762 inculcatur, omitti debent ; sacerdos vel diaconus eas quae baptismum sequuntur adhibebit. (c. 759) *In mortis periculo.*

290. - Omissae caerimoniae quam primum in ecclesia supplendae sunt, excepto casu haeretici adulti, cui Ordinarius indulserit privatum baptismum condicionatum. (c. 759) *Caerimoniarum suppletio.*

In condicionata baptismi iteratione, caerimoniae adhibendae sunt, si in priore baptismo omissae sunt ; si adhibitae, repeti aut omitti possunt. (c. 760)

291. - Ritu parentum proles (intellege nondum adultam) baptizanda *Baptismi ritus.*

est ; ac, si ritu differant, ritu parentis catholici, si alter sit acatholicus; aut ritu patris, nisi aliud iure speciali cautum sit. (c. 756)

Aqua adhibenda.

292. - In baptismo sollemni aqua baptismalis adhibenda est ; — quae si in baptisterio nimis decreverit, minore aquae non benedictae copia, etiam pluries, sicut de oleis dictum est, misceri poterit.

Si penitus defecerit, parochus, ritu qui pro hoc casu proprius praescribitur, aquam in fontem bene mundatum infundat, eamque benedicat. (c. 757)

Baptismi modus.

293. - Quamvis per aspersionem factus valeat, baptismus fiat tamen per infusionem aut immersionem, vel mixtum utraque modum, secundum usus magis receptos et probatos libros. (c. 758)

Mixtus utraque forma modus is est ut baptizandus in aquam immergatur, ibique consistens subinde aqua in capite perfundatur.

Baptizandi nomen.

294. - Parochus iam curare iubetur ut christianum nomen baptizando imponatur; quod si parentes nolint, nomini a parentibus imposito addat nomen alicuius sancti ; et in libro baptizatorum utrumque nomen perscribat. (c. 761)

Nomen istud profanum supponitur tamen non imponi in contemptum religionis vel in signum impietatis : quod baptizans tolerare non debet, quamvis propter istam impietatem baptismus differendus non sit. (Cf. resp. *S. Officii*, iun. 1883 cit. a Ballerini-Palmieri, *Opus theol. mor. De Bapt.* n. 79.)

Caput IV. - De patrinis

Patrini necessitas.

295. - In baptismo *sollemni*, patrinus quantum fieri potest ; in baptismo *privato*, si facile adhiberi queat : in supplendis *caerimoniis*, quatenus in ipso baptismo defecerit, adhibendus est. In baptismo *condicionato*, non est necessarius, nisi idem patrinus qui in priore fortasse adfuerit adhibeatur : quod, quantum fieri potest, procurandum est. (cc. 762. 763)

Numerus

« Unus tantum, licet diversi sexus a baptizando, vel ad summum, unus et una adhibeantur. » (c. 764)

Qualitates ad valorem requisitae.

296. - 1. *Valide* patrinus esse nequit nisi : a) Baptizatus, rationis usum assecutus, et intentionem habens id munus gerendi ; — b) Ad nullam pertinens haereticam vel schismaticam sectam, a sententia immunis quae eum excommunicatum vel infamem infamia iuris aut exclusum ab actibus legitimis condemnaverit aut declaraverit ; nec sit clericus depositus vel degradatus ; — c) Alius a patre vel matre vel coniuge baptizandi ; — d) A baptizando ipso, eiusve parentibus vel tutoribus, aut, his deficientibus, a *ministro* designatus. — e) Qui, per se vel per procuratorem, baptizandum in actu baptismi teneat aut tangat, vel statim levet seu suscipiat de sacro fonte aut de manibus baptizantis. (c. 765)

2. Ad *liceitatem* requiritur : a) Ut quartum decimum aetatis suae annum patrinus attigerit, nisi aliud, ob iustam causam, ministro videatur ; — b) Ut non sit propter notorium delictum excommunicatus vel exclusus ab actibus legitimis vel infamis infamia iuris, quin tamen sententia intercesserit, nec interdictus aut alias publice criminosus, vel infamis infamia facti ; — c) Ut fidei rudimenta noverit ; — d) Ut in nulla religione sit novicius vel professus, nisi necessitas urgeat et expressa habeatur licentia Superioris saltem localis ; — e) Ut in sacris ordinibus non sit constitutus, nisi accedat expressa Ordinarii proprii licentia. (c. 766) *Requisita ad liceitatem.*

3. *In dubio* utrum necne quis valide aut licite patrinus esse possit, parochus, si tempus suppetat, consulat Ordinarium. (c. 767) *Quid in dubio ?*

In priore condicionum serie, quae ad valorem requiruntur, condiciones b) et c) nunc primum tamquam ad valorem requisitae ponuntur. Exclusio eorum qui ad sectas separatas pertinent radicitus aufert difficultatem quam in quibusdam partibus Germaniae sacerdotes experiebantur in exclusionibus istis urgendis.

Infamia iuris et aliae notae postea explicabuntur. (Cf. nn. 661-666)

Aetas quattuordecim annorum inchoata nunc primum ad liceitatem per se requiritur.

Exclusio regularium, quae nunc ad omnes religiosos formaliter traducitur et ad novicios extenditur, paulo minus absoluta est, ita ut, etiam in nostris partibus, casui urgenti per religiosum consuli possit.

Denique, deficiente designatione a parentibus vel a tutoribus facta, designatio ascribitur *ministro*, dum antea ius esse parochi dicebatur.

297. - Munus patrini, ex c. 769, perpetuam infert commendationem filii spiritualis, et diligentem curam, ut « in iis quae ad christianae vitae institutionem spectant, ille talem in tota vita se praebeat, qualem futurum esse sollemni caerimonia spoponderunt ». *Patrini munus.*

298. - 1. Suppressa cognatione spirituali cum *parentibus* baptizati, « ex baptismo spiritualem cognationem contrahunt tantum cum baptizato, baptizans et patrinus ». (c. 768) *Spiritualis cognatio.*

Ex quonam baptismo, ex sollemni tantum an etiam ex privato ? Dixeris ex utroque, cum Codex hic supra de utroque egerit. Quia tamen id non expresse addidit, controversiam quae de hac re exstabat (1) in medio reliquisse videtur.

2. Illam autem non contrahit patrinus qui mere in supplendis caerimoniis adhibitus fuit, vel in baptismo qui sub condicione iterandus est aut in condicionata iteratione baptismi, nisi idem in utroque baptismo adhibitus fuerit.

Ratio negandi tunc cognationem est quia, in priore casu, nullus fuit baptismus ; in altero vero non fuit certus. Quae ratio cum in baptizantem cadat, perinde de ipso dicendum esse putamus.

(1) Cf. LEHMKUHL, *Theol. mor.* t. 2. n. 994, nota.

Caput V. - De tempore et loco baptismi conferendi

Tempus.

299. - 1. *Infantes* quam primum baptizentur ; quod a parocho et contionatoribus frequenter inculcandum est fidelibus. (c. 770)

2. *Adultorum* sollemnis baptismus dicitur congruentius fieri in pervigilio Paschatis et Pentecostes, praecipue in cathedralibus ecclesiis. (c. 772)

Locus.

300. - 1. Baptismus privatus ubique administratur ; sollemnis baptismus proprium locum habet ecclesiam vel publicum oratorium.

2. In domo *privata* sollemniter baptizari non possunt nisi filii aut nepotes [*petits-enfants*] eorum qui supremum actu principatum tenent, vel ius habent succedendi in thronum, « quotiens id rite poposcerint » ; — vel ii quibus Ordinarius, iusta ac rationabili causa, in casu aliquo extraordinario id concesserit.

Sollemnis iste baptismus in decente tunc loco et aqua baptismali conferri debet. (c. 776)

Ex rescripto *S. R. C.* 17 ian. 1914, quotiescumque sanus, de licentia Ordinarii domi baptizatur, omnes caerimoniae adhibendae sunt. (Per., t. 7, p. (56) et 260.)

Ius ecclesiae parochialis.

3. Omnis ecclesia *parochialis*, reprobato et revocato quovis contrario statuto vel usu, iam fit *baptismalis*. (c. 774, 1)

Ius aliis ecclesiis acquisitum cumulative conservatur ; ac loci Ordinarius permittere vel iubere potest ut fons baptismalis etiam in alia ecclesia vel publico oratorio intra paroeciae fines pro fidelium commoditate ponatur. (c. 774)

Si loci distantia delationem ad ecclesiam ubi fons est non permittat, parochus baptismum in proxima ecclesia aut oratorio publico, intra paroeciae fines, conferat. (c. 775)

Deficiente huiusmodi oratorio, licebit in loco privato baptismum sollemniter conferre.

Caput VI. - De collati baptismi annotatione et probatione

Annotatio a parocho facienda.

301. - 1. Parochi debent sedulo et sine ulla mora in baptismalem librum referre *nomina* baptizatorum, indicando etiam ministrum, parentes, patrinos, locum et diem. (c. 777, 1)

Quid, si filius illegitimus?

2. Filii *illegitimi mater* indicanda est, si de ea palam constet, vel ipsa sponte id scripto vel coram testibus duobus petat ; item *pater*, si eodem modo id petat, vel ex publico authentico documento sit notus. In ceteris casibus, inscribatur natus ex ignoto patre vel ignotis parentibus. (c. 777, 2)

302. - Si baptismus ab alio, non praesente parocho, collatus sit, minister quam primum parochum domicilii baptizati certiorem reddat. (c. 778) *Nuntius parocho dandus.*

303. - Si nemini fiat praeiudicium, unus testis omni exceptione maior, vel ipsius baptizati, in adulta aetate baptizati, iusiurandum sufficit ad baptismum comprobandum. (c. 779) *Baptismi probatio.*

TITULUS II. - DE CONFIRMATIONE
(c. 780-800)

304. - Duobus canonibus 780-781, quibus argumentum introducitur, Codex receptam doctrinam de ritu confirmationis repetit, ubi praecipue haec inculcat : chrisma semper ab episcopo consecrandum esse, etiam si presbyter confirmet ; et unctionem ipsa ministri manu, non autem alicuius instrumenti ope faciendam esse. *Chrisma ab episcopo consecrari, unctio ipsa manu fieri debet.*

Caput I. - De ministro confirmationis

305. - De ministro *extraordinario,* qui est presbyter, haec observanda sunt : *Quatenus presbyteri confirmare possint.*

1. Iam ipso *iure* confirmare possunt, in ecclesia latina, praeter S. R. E. Cardinales, abbas vel Praelatus *nullius*, Vicarius et Praefectus apostolicus. Sed abbas, Vicarius et Praefectus apostolicus potestate valide uti nequeunt nisi intra fines territorii et durante munere. (c. 782, 3)

2. Praeterea, confirmare possunt alii presbyteri latini, vi *indulti*, sed *valide* solos fideles sui ritus, nisi indultum aliud expresse permiserit. (c. 782, 4)

Vetantur autem presbyteri *orientales*, qui facultate vel privilegio gaudent confirmationem una cum baptismo infantibus sui ritus conferendi, eandem ministrare infantibus latini ritus. (c. 782, 5)

306. - Tum episcopus, tum ipse presbyter privilegio munitus, possunt, in sua dioecesi vel territorio designato, etiam *extraneos* confirmare, nisi expressa horum proprii Ordinarii prohibitio obstet. (cc. 783. 784) *Administratio extraneis vel extra territorium.*

In aliena dioecesi episcopus indiget licentia Ordinarii loci, saltem rationabiliter praesumpta, nisi proprios subditos velit, sine baculo et mitra, privatim confirmare. (c. 783, 2)

Sola enim ratio prohibitionis est usus pontificalium in aliena dioecesi.

307. - Tum episcopus tum presbyter privilegiatus debent suis sacramentum hoc rite et rationabiliter petentibus conferre ; et Ordinarius curare debet ut saltem intra quodlibet quinquennium subditis administretur. De graviter neglegentibus metropolita Romanum Pontificem certiorem facere debet. (cc. 785 et 274, 4) *Sacramenti conferendi obligatio.*

Caput II. - De subiecto confirmationis

Confirmandi aetas.

308. - Satis nobis erit notare quae Codex de *aetate* confirmandorum continet.

In ecclesia latina, conveniens aetas *septimus* circiter annus esse dicitur ; « nihilominus etiam antea conferri potest, si infans in mortis periculo sit constitutus, vel ministro id expedire ob iustas et graves causas videatur ». (c. 788)

Ubi occasio habendi ministri fuerit, laudandi sunt fideles qui, Urbis morem imitati, pueris graviter aegrotis beneficium istius sacramenti, characterem imprimentis, impetrare conentur.

Caput III. - De tempore et loco conferendae confirmationis

Tempus et locus confirmationis.

309. - 1. Sacramentum istud quovis *tempore* administrari potest ; « maxime autem decet illud administrari in hebdomada Pentecostes ». (c. 790)

2. Proprius *locus* est ecclesia ; ob causam quam minister iustam ac rationabilem aestimaverit, in quolibet decente loco conferri potest ; et episcopo ius est intra fines suae dioecesis illud administrandi in locis quoque *exemptis*. (cc. 791-792)

Caput IV. - De patrinis

Patrini necessitas et requisitae qualitates.

310. - 1. Codex praecipit ut, si haberi possit, patrinus adhibeatur unicus. Vult autem « nisi aliud iusta de causa ministro videatur, ut idem patrinus unum tantum vel duos praesentet ». (cc. 793. 794)

2. Ad *valorem* exigit ut patrinus sit *confirmatus* et ceteris condicionibus satisfaciat quae in baptismi patrinis requiruntur. Ad *liceitatem* postulat, ut distinctus sit a patrino baptismatis, nisi rationabilis causa, iudicio ministri, aliud suadeat, vel nisi confirmatio statim post baptismum conferatur ; — ut sit eiusdem sexus ac confirmandus, nisi aliud ministro in casibus particularibus videatur ; et cetera requisita habeat patrini baptismi. (cc. 793-796)

Antea, ob solam necessitatem poterat unus multos praesentare, vel patrinus esse idem qui in baptismo, aut diversi esse sexus. Haec eadem temperatius iam urgentur.

Deficiente designatione a parentibus vel tutoribus facta, Codex hic designationem vel *ministro* vel *parocho* committit.

Cognatio spiritualis.

311. - *Cognatio spiritualis*, quae ex valida confirmatione inter confirmatum et patrinum oriri dicitur, perpetuam sollicitudinem de confirmato et curam christianae eius educationis imponit ; sed *nullum iam matrimonii impedimentum inducit.* (cc. 797. 1079)

Caput V. - De collatae confirmationis annotatione et probatione

Valent dicta de annotatione et probatione baptismi. Res in peculiari libro notandae dicuntur. (cc. 798-800) *Confirmationis annotatio et probatio.*

TITULUS III. - DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA

(cc. 801-869)

Caput I. - De sacrosancto Missae sacrificio

I. *De sacerdote celebrante*

312. - *Vetatur :* *Varia vetita.*

1. *Concelebratio,* praeterquam in ordinatione presbyterorum et consecratione episcoporum. (c. 803) *Concelebratio,*

2. *Binatio,* quae tamen, non parochi sed Ordinarii loci iudicio concedi potest, si « propter penuriam sacerdotum die festo de praecepto », notabilis fidelium pars missae astare non possit. (c. 806, 2) *Binatio,*

Festum de praecepto intellege quod in ipso loco observandum est. Ut propter aliam causam vel aliis diebus missas permittant, oportet ut Ordinarii ex apostolico indulto, quo ceterum muniri consueverunt, maiorem facultatem consecuti sint. Sed non repugnat ut si quattuor missae necessariae sint, binatio duobus sacerdotibus concedatur.

3. *Celebratio, non praemissa confessione* sacramentali, ab eo qui peccati mortalis sibi conscius fuerit ; quod si, deficiente copia confessarii et urgente necessitate (ambo haec concurrere debent), post solum contritionis actum celebraverit, quam primum (id est intra tres dies et ante novam celebrationem) confiteri debet. (c. 807) *Celebratio post peccatum,*

4. *Celebratio, non servato ieiunio* a media nocte. (c. 808)

A solo *S. Officio* dispensatio, si umquam concedatur, impetrari potest. Prorsus deserenda est sententia paucorum qui existimabant ieiunium ob communionem tantum praecipi, ita ut quotiens liceret non ieiunus communicare, totiens celebrare non ieiunum fas esset. Iam S. Basilius nefas dicebat sine ieiunio sacrificium attingere (1). *post fractum ieiunium.*

5. Usus *pileoli* et *anuli,* excepto S. R. E. Cardinali, episcopo vel abbate benedicto, quibus ipsum ius hunc usum concedit, aut nisi apostolicum indultum illa permittat. (c. 811, 2) *usus pileoli, anuli,*

Itaque, usus pileoli, qui decreto S. C. *Consistorialis* 2 maii 1910 (2), episcopis concessus est, etiam Cardinalibus et abbati benedicto iam per se competit.

(1) Hom. 1 *De ieiunio,* n. 6. (M. P. G. t. 31, col. 172.) — (2) A. A. S. t. 2 (1910), p. 230. Per. t. 5, p. 133, II.

Quid de fictis capillis ?

De capiliamento quod, naturam imitando, nativos capillos supplet, Codex tacet. Ergo dubia saltem videtur necessitas indulti ad illud per missam servandum. Qui enim sic celebrat, censetur, in vulgari aestimatione, aperto capite celebrare : quod solum requiritur.

Presbyter assistens,

6. *Presbyter qui,* sola honoris aut sollemnitatis causa, alii *assistat* atque episcopis aut praelatis usu pontificalium fruentibus. (c. 812)

Sola excluditur causa honoris aut sollemnitatis, quia presbyter ad observandum neo-mystam vel iuvandum infirmum dari potest, immo interdum dari debet.

sine ministro.

7. Missa *sine ministro* inservienti et respondenti. Ob iustam causam tantum, deficiente viro, permittitur mulier e longinquo respondere. (c. 813)

Praecepta celebratio.

313. - 1. Debet omnis sacerdos pluries in anno celebrare ; et episcopus vel Superior religiosus curare debent ut sacerdotes saltem in dominica et in festis de praecepto divinis operentur. (c. 805)

Gratiarum actio,

2. Piis precibus ad Sacrificii oblationem se disponere ; *eoque expleto,* gratias Deo agere sacerdos debet. (c. 810)

Non sufficit ergo ut sacerdos legat postcommunionem et preces ad gradum altaris praescriptas, sed, expleto sacro, privata gratiarum actio facienda est.

Vestis talaris.

3. Praeter sacra ornamenta, vestis ad *talos pertingens* deferenda est. (c. 811)

Haec proin induenda sunt ab iis qui alio habitu sint vestiti.

Applicatio permissa.

314. - Applicatio missae pro quibuslibet vivis aut defunctis permittitur, excepto vivente excommunicato vitando, pro cuius tantum conversione celebrandum est. (cc. 809. 2262, 2)

Admissio sacerdotis extranei.

315. - 1. Cum litteris commendaticiis authenticis et adhuc validis « sui Ordinarii, si sit saecularis, vel sui Superioris, si religiosus, vel S. Congregationis *pro Ecclesia Orientali,* si sit ritus orientalis », sacerdos extraneus ad celebrandum admittatur, nisi interim aliquid eum commisisse constet cur repellendus sit. (c. 804)

2. Si litteris istis careat sed rectori ecclesiae probe notus sit, admitti poterit ; immo et ignotus semel vel bis admitti potest, dummodo, ecclesiastica veste indutus, nihil ex celebratione ab ecclesia in qua litat percipiat, et nomen, officium, suamque dioecesim in peculiari libro signet.

Peculiares normae, salvis huius canonis praescriptis, ab Ordinario loci datae, etiam a religiosis exemptis servandae sunt, « nisi agatur de admittendis ad celebrandum religiosis in ecclesia suae religionis ». (c. 804)

Tandem constat, litteras « celebret » ab episcopo datas, religiosis non esse necessarias, ipsos vero cum solis litteris sui Superioris admittendos esse. Episcopus quidem alias normas addere potest, sed salvis huius canonis praescriptis. Quare ius saltem admissionis ex § 1 esse sinere debet sicut isto canone defini-

tur, sed, v. g., praescribere poterit ut omnes extranei sua nomina signent, ut de extraneis qui celebrarunt certior fiat, et alia huiusmodi.

II. *De missae ritibus et caerimoniis*

De materia, ritu, lingua.

316. - Canones 814-819 de materia, ritu et lingua ea tradunt quae omnibus nota sunt. Exigunt panem mere triticeum et recenter confectum, quem sacerdos, secundum proprium ritum, ubicumque celebret, adhibere debet azymum vel fermentatum, et vinum naturale de genimine vitis ; nefas esse dicunt, urgente etiam extrema necessitate, alteram materiam sine altera, aut etiam utramque, extra missae celebrationem, consecrare ; demum, reprobata quavis contraria consuetudine, urgent accuratam custodiam rubricarum, et prohibent sacerdotem « ne alias caerimonias aut preces proprio arbitrio adiungat ». — Lingua liturgica proprii ritus probati adhibenda est.

III. *De tempore et loco missae celebrandae*

Quo tempore celebrandum sit.

317. - 1. Omni die quem ritus non excludat, celebrare licet ; « missae autem celebrandae initium ne fiat citius quam *una hora ante* auroram, vel serius quam *una hora post* meridiem ». (c. 821, 1)

Ampliatur sic tempus normale, cum rubricae missalis, c. XV, tempus ab aurora ad meridiem definiant. Advertas tamen tempus nunc indicari quo missae *initium* fieri potest, ita ut tempus normale iam non liceat a consecratione computare.

Quid, in nocte nativitatis Domini.

2. In nocte nativitatis Domini, salvo indulto apostolico, sola missa *conventualis* vel *paroecialis* inchoari media nocte potest. (c. 821, 2)

Canone isto iam clare constat quid in nocte natali Domini permittatur. In ecclesiis quae publico usui inserviunt, non alia missa permittitur nisi conventualis vel paroecialis. Nisi ergo centenaria vel immemorabilis consuetudo aut indultum plus permittat, nihil media nocte in aliis ecclesiis permittitur ; in conventuali autem vel paroeciali ecclesia unica missa (non necessario sollemnis) permittitur, et quidem sine communione populi, ut a *S. R. C.* pluries declaratum est. (Cf. Gasparri, *De Euchar.* II, n. 1901.)

Quid, apud religiosos.

Confirmatur tamen privilegium religiosis seu piis domibus Motu proprio 1 aug. 1907 concessum, de quo *S. Officium*, 26 nov. 1908, authenticam declarationem edidit. (Cf. Periodica, t. 4, n. 303, p. 311-312.)

Missae locus

318. - 1. *Excluditur* templum haereticorum vel schismaticorum, etsi olim rite consecratum aut benedictum.

2. Deficiente altari proprii ritus, *admittitur* altare consecratum alterius ritus catholici, non tamen Graecorum *antimension*.

3. *Requiritur* altare consecratum, et consecratio vel benedictio ecclesiae aut oratorii publici, in quo celebretur.

4. Concessione altaris portatilis, iure vel indulto pontificio facta, in quovis loco honesto ac decenti super petram sacram, non tamen in mari celebrari potest.

Ordinarii potestas.

5. In aliquo extraordinario casu et per modum actus, loci Ordinarius, et, si agatur de domo religionis exemptae, Superior maior, ob iustam tantum ac rationabilem causam, licentiam dare potest celebrandi extra ecclesiam et oratorium, numquam autem in cubiculo. (cc. 822-823)

Antimensium Graecorum est genus quoddam corporalis, sacras reliquias continentis, quod pro ipso lapide sacro habetur, ita ut in quavis mensa, eo adhibito celebrare possint.

Porro canone 822, ad Superiorem maiorem religionis exemptae facultas quae Ordinarii loci propria erat traducitur. Cubiculum quod excluditur est cubiculum ipsius infirmi. Verum duo concurrant oportet : casus extraordinarius et concessio satis transiens ut per modum actus facta dicatur. Ratio ergo infirmitatis non sufficit, nisi accedat specialis dies, vel aliquid huiusmodi. Ceterum, iudicium Ordinario relinquitur.

IV. *De missarum eleemosynis seu stipendiis*

Varia vetita de stipendio:

319. - Honesti stipendii ratio, quae c. 824 per se cuivis sacerdoti celebranti et applicanti licita dicitur, variis tamen, ad abusus coercendos vel impediendos, subicitur normis et vetitis quae, non paucis decretis lata, paucis huius Codicis canonibus clare proponuntur, vel apte temperantur.

Age porro, *numquam* licet :

stipendium pro duabus missis,

1. Excepta nativitate Domini, eadem die qua una missa ex titulo *iustitiae* (beneficii aut stipendii) applicatur, pro altera stipendium recipere, sed sola aliqua retributio ex titulo extrinseco (v. g. cantus) permittitur. (c. 824, 2)

Observes sacerdoti binanti hanc optionem permitti ut priorem vel posteriorem pro stipendio applicet.

stipendium pro missa nondum petita,

2. Eleemosynam retinere pro missa quae ante applicata fuit quam erat petita. (c. 825, 1)

Absoluta prohibitionis verba etiam exceptionem excludere videntur, admissam a S. Alphonso (1), sacerdotis, v. g. parochi, qui, praevidens missas postulatum iri pro persona iam defuncta, eas iam offerat, et dein stipendia percipiat. Exceptio tamen ista ipsi defuncto, pro quo statim celebratur, utilis est. Quare sacerdos offerentem stipendia de sic celebratis missis monere possit. Accedente assensu offerentis, eleemosynae pro missis celebratis valere sane poterunt.

varia ratio duplicandi stipendium,

3. Eleemosynam recipere pro missa quae alio titulo debetur et applicatur (in prima intentione) ; vel duplicem eleemosynam pro eiusdem missae applicatione recipere. (c. 825, 2. 3)

4. Alteram recipere eleemosynam pro sola celebratione, alteram

(1) *Theol. mor.* l. 6, c. 3, n. 337.

pro applicatione eiusdem missae, « nisi certo constet unam stipem oblatam esse pro celebratione sine applicatione ». (c. 825, 4)

5. Ope stipendiorum re vera vel specie tenus negotiari vel mercaturam agere. *negotiatio,*

Canone isto, sub generica sua ratione, melius et, pro honestis viris, efficacius attinguntur seu prohibentur variae artes quas numerando vix assequaris. Quid, quod particulares definitiones callide eludi consueverint ? Ceterum decreta quibus improbabantur vim suam declarativam servant. Cf. potissimum, decretum *Ut debita*, 11 maii 1904, et explicationes (1). Sed aliunde variae dispositiones positivae quae addebantur, v. g. decreto 22 maii 1907 (2), iam ipso Codicis silentio sublatae sunt.

6. Tot missarum onera *per se* (i. e. personaliter) celebrandarum recipere quibus intra annum satisfacere nequeas. (c. 835) *nimia missarum copia.*

Sanctione ista quae D. *Ut debita* minus absolute continebatur, legislator cavere vult ne obligationes missarum nimia copia apud privatos sacerdotes coacerventur. Itaque qui, v. g. in anno, tercentum missas pro stipendio regulariter exonerare potest, iam non permittitur se ad ultra ter centum missas personaliter obligare. Nihil tamen prohibet quin, assentiente oblatore, sacerdos missas acceptet intra tres annos celebrandas, dummodo personale a se susceptum onus ter centum missas ne superet. Aliud enim est spatium temporis acceptis moderata copia missis relictum, aliud est immoderata missarum copia.

320. - Canone 826, *manualia* vocantur stipendia quae fideles pro missis offerunt : sive ultra et sponte, sive tamquam heredes etiam in perpetuum testamento obligati. (c. 826, 1) *Stipendiorum distinctio.*

Ad instar manualium sunt stipendia missarum fundatarum quae de iure aut S. Sedis indulto aliis sacerdotibus tradendae sunt, quia vel in proprio loco vel ab iis qui deberent applicari non possunt. (c. 826, 2)

Fundata, seu *missae fundatae* appellantur alia stipendia quae ex fundationum reditibus percipiuntur. (c. 826, 3)

Decretum *Ut debita* satis simili distinctione utebatur ; notio tamen missae fundatae aliqua confusione laborabat.

321. - 1. Tot celebrandae et applicandae sunt missae quot stipendia, etiam exigua, data et accepta fuerint. (c. 828) *Obligatio principalis ex stipendio.*

2. « Licet sine culpa illius qui onere celebrandi gravatur missarum eleemosynae iam perceptae perierint, obligatio non cessat. » (c. 829) *Quid si perierit.*

His verbis Codex ad pactionem de missis communem pactis bilateralibus regulam traducit : cum altera pars debitum suum solvit, ad praestationem sibi promissam ius absolutum acquirit, quod amissione pecuniae (quae domino, i. e. accipienti, perit) non labefactatur. Plures de missis benignius respondebant ; sed eorum sententia, antea probabilis, saltem extrinsece, iam deserenda est.

3. « Si quis pecuniae summam tradat pro missis quarum numerum *Interpretatio intentionis oblatoris.*

(1) Per. t. 1. n. 19, p. 44 ss. ; n. 48, p.128 ss. ; n. 73, p. 178. — (2) Per. t. 3, n. 215, p. 323 vel (139).

non definiat, numerus supputandus est secundum taxam loci in quo oblator morabatur (seu stipendia dedit) « nisi aliam fuisse eius intentionem legitime praesumi debeat ». (c. 830)

Canon rationabilem intentionis interpretationem imponit, variis argutiis viam praecludens.

4. Oblator solam missae applicationem petiisse praesumitur ; « si tamen oblator expresse aliquas circumstantias in missae celebratione servandas determinaverit, sacerdos, eleemosynam acceptans, eius voluntati stare debet ». (c. 833)

Per se, itaque, sacerdos missae qualitatem pro devotione sua seligere permittitur ; sed quas circumstantias tacite, acceptando eleemosynam, acceptaverit, observare debebit. Ac notes plures circumstantias, v. g. altaris privilegiati, apparatus nigri, missae votivae, tales esse quae, cum onerosae non sint, maiore stipendio compensari non debent.

De taxa servanda.

322. - Quantitas stipendii ex Ordinarii definitione, vel ex dioecesis consuetudine etiam pro exemptis religiosis eruenda est. Maiorem *exigere* non licet ; minore contentum esse licet, nisi loci Ordinarius id prohibuerit. (cc. 831. 832)

Spatium temporis.

323. - 1. Missae omnino dicendae sunt tempore quod oblator praescripserit ; hoc silente, si causa urgeat, quam primum tempore utili [i. e. ex c. 35, quam primum, salvo impedimento] ; secus « intra modicum tempus, pro maiore vel minore missarum numero », nisi tempus arbitrio sacerdotis expresse relictum sit (c. 834). Etiam tunc tamen Codex firmum vult praescriptum c. 835 ; i. e. etiam tunc vetat ne missae personaliter celebrandae tanta copia acceptentur quibus ipse acceptans intra annum satisfacere nequeat. (Cf. supra, n. 319, 6)

2. Ecclesiis quae (sicut Aspricollensis) nimia copia missas recipiant quam ut ibi tempestive celebrari possint, can. 836 hanc regulam praestituit : « Moneantur fideles per tabellam in loco patenti et obvio positam, missas oblatas celebratum iri vel ibidem, cum commode poterit, vel alibi. »

3. Qui, non quidem celebrandi, sed distribuendi missas obligatione tenetur, missas quam primum distribuat ; sed, nisi aliud constet, tempus legitimae celebrationis a die qua sacerdos eas celebraturus acceperit, initium habet. (c. 837)

Agitur ibi de administratore causae piae vel herede aut exsecutore testamenti qui, ut primus oblator, missas distribuendas habet, non autem de illo, v. g. Superiore, qui onus celebrandi per se vel per alios in se iam suscepit. In huius enim arbitrio esse nequit ut, differendo distributionem, tempus legitimum augeat.

4. Ordinarii locorum et Superiores religiosi qui propriis subditis aliisve missas celebrandas committunt, curare pro viribus debent ut quam primum celebrentur. (c. 844)

Haec vis canoni isti, parumper obscuro, inesse videtur. Quia Ordinarii isti vel Superiores multos habent subditos quibus missas committunt, fideles non raro ea intentione magnam copiam missarum iis tradunt, ut citius quam a singulis sacerdotibus celebrentur. Cui intentioni ut fiat satis, ponitur regula : « Curent, ut quam primum celebrentur ». (Cf. quae scripsimus PERIODICA, t. 2, p. 100, VI, Quaer. 2.)

Nihil tamen indicat legitimum tempus aliter per se definiendum esse.

Iidem praeterea, in fine anni, onera recipere solent quibus spatium temporis iam elapsum est. Qui cum missarum istarum onus in alios reicere non debeant, mere monentur, ut « curent pro viribus ». Fieri enim potest, ut, ob nimiam copiam, missae ita cito exonerari nequeant.

Temporis sanctio.

324. - Sub exitum cuiuslibet anni, quicumque aliquo titulo ad missarum onera obligati sunt, missarum onera quibus nondum fuerit satisfactum suis Ordinariis tradant secundum modum ab his definiendum. (c. 841, 1)

In missis *ad instar manualium*, obligatio decurrit a fine anni intra quem onera impleri debuissent ; *in manualibus*, post annum a die suscepti oneris, salva diversa offerentium voluntate. (c. 841, 2)

Diversa offerentium voluntas, sicut diximus, tempus anno maius concedere potuit: quo casu onera tradenda non erunt.

Quid autem de missis *fundatis ?* Canon 841 nullam expressam de his mentionem facit et sic desiderari videtur regula quam D. *Ut debita* continebat. Verum, sic rem interpretamur, eo quod, ex nostro canone § 1, Ordinario tradendae sunt, et ab iis ad quos pertinebant iam ita celebrari nequeunt ut fundationi satisfaciant, missae fiunt *ad instar manualium*, de quibus regula posita est. Ac re quidem vera, sicut D. *Ut debita* non distinguebat nisi missas fundatas et manuales, sic, pro suo modo dicendi, Codex solas missas ad instar manualium et missas manuales distinguere debuit.

De missae transmissione.

325. - 1. Temperata severitate decretorum recentium, praecipue decreti *Recenti decreto*, 22 maii 1907 (1), Codex missas tribuere sinit sacerdotibus sibi benevisis, quos vel ipse transmittens « omni exceptione maiores », id est omnino dignos fiducia noverit, vel testimonium proprii Ordinarii commendaverit. (c. 838)

Omni exceptione maiorês sunt iidem qui optimi, seu in quos suspicio cadere nequit. Hoc proprie dicitur de teste qui egregie idoneus est. Cf. REIFFENSTUEL, l. 2, t. 20. n. 10. 11.

2. Qui missas suae fidei commissas aliis celebrandas tradiderit, obligatus manet, « usque dum acceptatae ab iisdem obligationis et recepti stipendii testimonium obtinuerint ». (c. 839)

Itaque de ipsa exsecutione legitime translatae obligationis (contra ac decreto *Ut Debita* cavebatur), nulla iam sollicitudo gerenda est.

3. Stipes *manuales* integre transmittendae sunt, « nisi aut oblator expresse permittat aliquid retinere, aut certo constet excessum supra taxam dioecesanam oblatum fuisse intuitu personae ». (c. 840, 1)

(1) PER. t. 3, p. 138 vel 2-3, p. 322 ss.

« In missis *ad instar manualium*, nisi obstet mens fundatoris, legitime retinetur excessus, et satis est remittere solam eleemosynam manualem dioecesis in qua missa celebratur, si pinguis eleemosyna locum pro parte teneat dotis beneficii aut causae piae. » (c. 840, 2)

Fundator enim non tantum missas praescripsit, sed etiam servitio ecclesiae cuiuspiam ac proin eius beneficiariis prodesse voluisse censetur.

Observes, ex c. 840, 2, solvendam tunc eleemosynam aestimandam esse ex taxa dioecesis ubi missae celebrabuntur.

Cautiones de executione : notationes faciendae.

326. - 1. Rector cuiuslibet ecclesiae vel loci pii in quibus eleemosynae missarum recipi consueverunt, in peculiari libro missarum receptarum numerum, intentionem, eleemosynam, celebrationem, accurate notare debet. Atque Ordinarii (sive locorum sive Superiores maiores religiosorum exemptorum) huiusmodi libros *singulis annis* per se vel per alios recognoscere debent. (c. 843)

2. Ipsi ceterum Ordinarii locorum et Superiores religiosi qui propriis subditis aliisve missas celebrandas committunt, quas acceperint missas cum suis eleemosynis in librum per ordinem referre debent. « Immo omnes sacerdotes, sive sacculares sive religiosi, debent accurate annotare quas quisque missarum intentiones receperit, quibusve satisfecerit. » (c. 844)

Id onus conscientiae esse per se patet, ne vel ipsi graves obligationes propter incuriam nostram violemus, vel, casu quodam oppressi, inextricabiles difficultates successoribus paremus.

Caput II. - De sanctissimo Eucharistiae sacramento

I. *De ministro sacrae communionis*

S. communionis minister.

327. - S. communionem *ordinarie* ministrat solus sacerdos; extraordinarie *diaconus*, cum debita licentia, quae in casu necessitatis legitime praesumi potest, sed exigit gravem causam. Concessio istius licentiae non cuilibet presbytero committitur, sed Ordinario loci vel parocho reservatur. (c. 845)

Facultas dandi s. communionem.

328. - 1. Supremus pastor omni sacerdoti facultatem facit ministrandi s. communionem tum intra missam tum, si privatim celebrat, etiam immediate ante vel post missam, nisi Ordinarius loci, ob iustas causas, in casu particulari, dispensationem in aliquo oratorio vetuerit. (cc. 846, 869)

Dispensatio igitur quae missae coniungitur, non iam ex licentia, tacita seu praesumpta, rectoris, sed ex iure permissa est ; nec causa iam requiritur cur etiam ante missam dispenses eucharistiam.

2. Extra missam extraneus licentia saltem praesumpta rectoris ecclesiae opus habet. (c. 846, 2)

329. - 1. « Ad infirmos publice sacra communio deferatur, nisi iusta et rationabilis causa aliud suadeat. » (c. 847)

Delatio ad infirmos. Modus et facultas sacerdotibus facta.

Antea, resp. 22-23 dec. 1912, S. Congr. *de disciplina sacramentorum*, ad quaestionem : « An *Ordinarii* permittere possint ut mala affectis valetudine s. eucharistia privatim... ab ecclesia domum deferatur », responderat : « Affirmative, ex iusta et rationabili causa, servato saltem ritu proposito a Benedicto XIV in D. *Inter omnigenas* (1). »

Canon autem 847 iustae ac rationabilis causae quam postulat aestimationem nemini reservat. Ergo illam cuilibet sacerdoti idoneo ad deferendam eucharistiam permittere videtur. Talis erit parochus, talis confessarius, cui secretae causae cognitae esse possunt. Prudenter tamen agendum erit ; et *per se* regulae publicae delationis, ubi Ordinarius generalem usum contrarium non admiserit, insistendum erit.

2. Privata porro delatio *cuilibet sacerdoti* permittitur, de venia saltem praesumpta sacerdotis cui custodia ss. sacramenti commissa est. Pro modo deferendi, sequendae sunt praescriptae S. Sedis normae. (c. 849)

Facultatem ipso iure factam Ordinarius auferre vel restringere nequit. Quare statuta non iam interroganda sunt, sicut quidam opinabantur, ad videndum num sacerdotes non-parochi facultate facta uti possint.

Praescriptae porro normae sunt ritus a Benedicto XIV propositus : « Sacerdos stolam semper habeat propriis coopertam vestibus ; in sacculo seu bursa pyxidem recondat, quam per funiculos collo appensam in sinu reponat ; et numquam solus procedat, sed uno saltem fideli, in defectu clerici, associetur. »

3. Publica delatio et administratio viatici parochis intra suum territorium reservantur. Episcopo tamen dignitates et canonici sacramenta ministrant ; et pro religiosis vel assimulatis contubernalibus, Superior clericalis competens est ad normam can. 514 (c. 850. Cf. n. 181).

Iura parochi.

330. - Sub sola specie panis, azymi vel fermentati, secundum sacerdotis ritum, ss. eucharistia ministranda est. In urgenti necessitate, deficiente sacerdote diversi ritus, potest latinus vel orientalis qui azymo utitur in fermentato, et alius orientalis in azymo ministrare, ita tamen ut suum quisque ritum ministrandi servet. (cc. 851. 852)

Communionis ritus

II. *De subiecto s. communionis*

331. - « Quilibet baptizatus qui iure non prohibetur, admitti *potest* et *debet* ad sacram communionem. » (c. 853)

Ius recipiendi.

332. - Can. 854 haec varia de *pueris* statuit :

Quid de pueris ?

1 Non admittendi sunt qui propter aetatis imbecillitatem nondum huius sacramenti *cognitionem* et *gustum* habent. (c. 854, 1)

2. In periculo mortis satis est ut sciant corpus Christi a communi cibo discernere, illudque reverenter adorare ;

3. Extra periculum mortis haec plenior cognitio et accuratior prae-

(1) A. A. S. t. 4 (1912), p. 725. Per. t. 7, n. 644, p. 65.

paratio exigi dicitur, qua saltem mysteria necessitate medii credenda noverint et devote pro suae aetatis modulo ad ss. eucharistiam accedant.

4. Confessarii puerorum eorumque parentes vel qui loco parentum sunt, de sufficienti puerorum dispositione iudicant.

5. Parocho duplex officium assignatur : a) Advigilandi ne pueri ante usum rationis vel sine sufficienti dispositione ad s. synaxim accedant : quam vigilantiam etiam per examen, si opportunum prudenter iudicaverit, exercere potest ; — b) Curandi ut usum rationis assecuti et sufficienter dispositi quam primum hoc divino cibo reficiantur.

Canonis expositio. Ut canonem istum, pro momento suo, non nihil exponamus, primo id probe tenendum est, per eum varias normas decreti S. C. *de Sacramentis*, *Quam singulari*, 8 aug. 1910, prorsus confirmari. Immo fere iisdem verbis eas Codex exhibet. Sic enim sonat art. 3 dicti decreti : « Cognitio religionis quae in puero requiritur ut ipse ad primam communionem convenienter se praeparet, ea est qua ipse fidei mysteria necessaria' necessitate medii pro suo captu percipiat, atque eucharisticum panem a communi et corporali distinguat, ut ea devotione quam ipsius fert aetas, ad ss. eucharistiam accedat. » Hac tantum ratione Codicis normae a normis decreti differunt, quod decretum ferebatur ad convellendum errorem eorum qui communionem puerorum nimis procrastinabant ; ac proin in facilitate qua pueri admittendi erant insistere debuit ; dum Codex etiam, ut est humana natura in nimietates proclivis, excessus contrarios compescere vel impedire debuit eorum qui, appositis decreto condicionibus minime attendentes, pueros promiscue ad s. mensam quasi compellunt. Quare, huic indiscreto zelo occurrere volens, necessitatem plenioris cognitionis et accuratioris praeparationis in sano puero, magis in recto ponit et vindicat.

Porro tria in hunc finem praestat : § 1, negative procedens, cum *Rituali Romano*, unde ista paragraphus desumpta est, pueros arcet quibus ss. eucharistiae cognitio et gustus desint. *Gustus* idem dici potest, vel quod *fames* seu sincera voluntas qua Christum recipere cupiant et non tantum placere parentibus et adultos imitari ; vel quod *devotio*, aetati proportionata. Condicio enim accessus sub forma famis a D. de Ségur « *Il aime Jésus-Christ et Le désire* » ; sub forma devotionis a S. Thoma reddebatur : « Quando pueri incipiunt aliqualem usum rationis habere, ut possint devotionem concipere huius sacramenti ». Iam vero uterque locus in decretis S. Sedis laudatus est (1).

Dein § 3, positive admittendos dicit eos qui mysteria necessitate medii necessaria pro suo captu percipiant, et devote pro suo modulo accedant.

§ 5, denique regulare tempus indicat : adeptum usum rationis. Ante enim repellendi sunt ; postea autem adducendi vel quam primum disponendi sunt pueri. Ex can. autem 88, septennium completum praesumitur esse illud tempus. Ut patet, pro puerorum cultu, pro ipso caelo sub quo vivunt, exceptiones frequentiores vel minus frequentes esse possunt.

Quare, non minus quam post decreta Pii X, post promulgatum Codicem, pueri, nondum septennium assecuti, admitti poterunt si condicionibus satisfaciant ; sed, ante septennium completum, contrariam praesumptionem diluere debent, dum post septennium, praesumptio capacitatis ipsis favet.

De *generali* puerorum *communione* nihil insinuatur : usus itaque regionis respiciendus erit.

---

(1) Cf. Per., t. 3, p. 162 ; t. 5, p. 168.

Quaeri demum potest, quomodo, de dispositione puerorum, iudicium quod confessario et parentibus permittitur cum officio vigilantiae parochorum componatur ?

Hac, ni fallimur, ratione. De singulis pueris, parentes et confessarii iudicare possunt, nec parochum monere vel consultum adire debent. Simul generalis quaedam inspectio, quasi fori exterioris, parocho committitur observandi quinam pueri accedant vel communicare omittant. Tunc, si ex accedentibus quosdam imperitiae suspectos habeat, illos etiam per examen probare potest ; posteriores vero quos aptos vel disponendos existimet, ad sacram communionem perducere conabitur. In utroque casu, oportet ut auctoritate valeat apud parentes ; stricta tamen obligatio ipsi parendi iure non imponitur. Sed non possit parochus, hoc canone 854 fretus, primam puerorum communionem in sua paroecia condicioni praevii examinis generaliter subordinare.

De peccatoribus.

333. - Can. 855 de publice indignis, « quales sunt excommunicati, interdicti manifestoque infames », et de occultis peccatoribus receptas regulas inculcat. Ut publice indigni admittantur, postulat ut « de eorum paenitentia et emendatione constet et publico scandalo prius satisfecerint ».

Dispositio animae et corporis.

334. - 1. Post peccatum mortale, excepta urgente necessitate et defectu confessarii, sacramentalis confessio ante s. communionem requiritur. (c. 856)

Quid liceat in mortis periculo ?

2. Semel tantum in die communicare licet, excepto periculo mortis, in quod quis post receptam communionem inciderit. (cc. 857. 864)

3. Ieiunium naturale est a media nocte servandum, « nisi mortis urgeat periculum aut necessitas impediendi irreverentiam in sacramentum ». (c. 858)

Notum est urgens mortis periculum, practice de omni vero mortis periculo benigne accipi. Dum vero durat periculum, durat etiam ista exceptio a lege ieiunii ; nec difficultas servandi ieiunium Codice exigitur. Recedente tamen periculo, ita ut locus iteratae extremae unctioni esse possit, etsi morbus non cessaverit, v. g. lenta phtisis, aegrotus non iam videtur communicare posse nisi ieiunus. Can. enim 864, § 3, diserte postulat ut mortis periculum perduret. Non repugnat autem ut quis ecclesiam adire possit et tamen in periculo mortis versetur.

Quid aliis infirmis liceat ?

4. Infirmis tamen qui iam a mense decumbunt sine certa spe ut cito convalescant, conceditur ut, de prudenti confessarii consilio, semel aut bis in hebdomada communicent, postquam aliquam medicinam vel aliquid per modum potus sumpserint. (c. 858)

Facultas ista, qua aegrotis etiam non periculose decumbentibus sed diuturna infirmitate domi retentis consulitur, privilegium confirmat a Pio X concessum per decretum *Post editum*, S. C. *Concilii*, 7 dec. 1906, de quo prodiit etiam declaratio 6-25 martii 1907 (1), paucis tamen mutatis, quae notatu digna sunt : a) Nulla iam condicio oratorii exigitur, sed, sine distinctione habitationis, omnibus aegrotis bis in hebdomada concessio fieri potest ; — b) Moralis impotentia ieiunii servandi non iam supponitur, sed casus prudenti confessarii consilio permittitur, ita ut rationabilis causa sufficere videatur ; — c) Simpliciter permittitur sumptio medicinae : haec ergo etiam solida sumi poterit.

(1) Per. t. 2-3, p. 178 et 311.

Privilegium tamen extendere nobis non licet. Quare confessarius nihil aegroto qui moraliter dici nequeat decumbens concedere poterit, neque ultra duas communiones, nisi ieiunio servato, permittere ipsi fas est. Probabilis tamen sententia usum privilegii bis in hebdomada esse sinit ei qui ceteris diebus ieiunus sacramentum recipiat.

Ut non decumbens possit non ieiunus communicare, indultum requiritur, quod facile a S. C. *de Sacramentis* obtineri potest.

Communionis praeceptum. In Paschate

335. - 1. *De communione paschali.* « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis, id est ad rationis usum, pervenerit, debet semel in anno, saltem in Paschate, eucharistiae sacramentum recipere, nisi forte de consilio proprii sacerdotis, ob aliquam rationabilem causam, ad tempus ab eius perceptione duxerit abstinendum. » (c. 859, 1)

Sic iam, exceptis verbis « i. e. ad rationis usum, » quae nunc adduntur, sonabat canon Lateranensis exscriptus c. 12 *De paenitentiis et remissionibus* (V, 38).

Quando-nam.

Tempus solitis finibus (a die Palmarum ad Dominicam in albis) per se circumscribitur. Ordinariis tamen locorum facultas fit, si ita personarum ac locorum adiuncta *exigant*, hoc tempus etiam *pro omnibus suis fidelibus* anticipandi, non tamen ante quartam diem dominicam Quadragesimae (*Laetare*), vel prorogandi, non tamen ultra festum SS. Trinitatis. Qua facultate iam hoc anno episcopi nostri uti poterunt.

Locus.

Iam, quod notabile est, praecepto communionis paschalis in omni loco satisfieri potest. Fidelibus tamen suadendum est, ut « satisfaciant in sua quisque paroecia ; et qui in aliena paroecia satisfecerint, curent proprium parochum de adimpleto praecepto certiorem facere ». (c. 859, 3)

Estne nuntius iste sub praecepto dandus ? Res ambigua videtur. Si verbum *curent* regitur particula *ut* quae vocem « suadendum » immediate sequitur, legislator mere hortandos fideles dicit ; si absolute ponitur, iussionem significat, quam tamen levem esse contexta oratio satis demonstrat. Verborum interpunctio posteriori interpretationi suffragatur.

Verba *in paroecia* per se etiam ampliorem vim habent quam, *in ecclesia paroeciali*, praesertim cum opponantur satisfactioni *in aliena paroecia*, quae sane de quolibet alienae paroeciae oratorio intellegitur. Id ergo intendere videtur legislator, ut communione in proprio domicilio facta, ceteris incolis bonum exemplum detur ; qua aedificatione carebunt, si extra paroeciam sacramenta suscipiantur.

Praeceptivis.

a) Quod ad *tempus*, omnino iam constat praeceptum tempore praescripto non finiri, ita ut qui illud legitime omiserit vel male neglexerit, praecepto communionis adhuc astringatur. (c. 859, 4)

Quam diu ? Non infinite ; sin minus deberet qui per plures annos abstinuerit, totiens communicare quotiens officium praetermiserit. Sed cum praeceptum sit communicandi *semel in anno*, elapso anno finitur. Annum autem cum alii computent a paschate ad pascha (1), alii vero a 1 ianuarii ad 31 decembris (2), finito anno civili praeceptum iam urgeri nequit.

b) Quod ad *obiectum*, « praecepto communionis recipiendae per sacrilegam communionem non satisfit ». (c. 861)

c) Quod ad *personas*, obligatio impuberum « in eos quoque ac prae-

(1) D'Annibale t. 3, n. 397. — (2) Lugo, *De Euch.* d. 16, n. 69.

cipue recidit qui ipsorum curam habere debent ; id est, in parentes, tutores, confessarium et parochum ». (c. 860)

In periculo mortis.

2. « In periculo mortis, quavis ex causa procedat, fideles sacrae communionis recipiendae praecepto tenèntur. » (c. 864)

Canone isto, secundum communem sententiam, ipsum praeceptum divinum declaratur et urgetur. Ut illud autem secundum superius ius interpretemur, id sub gravi cavendum est, ne sine viatico e vita decedatur. Nulla autem obligatio est ut, exoriente periculo, viaticum statim recipiatur. Hoc tamen salutare monitum additur :

Variae commendationes. Communio in Cena Domini, communio frequens. De viatico.

« Sanctum viaticum infirmis ne nimium differatur ; et qui animarum curam gerunt sedulo advigilent ut eo infirmi plene sui compotes reficiantur. » (c. 865)

336. - 1. Omnibus clericis, etiam sacerdotibus qui in feria V. in Cena Domini sacrum non celebrant, expedire dicitur ut in missa sollemni seu conventuali sanctissimo Christi corpore reficiantur. (c. 862)

2. Excitentur fideles ut frequenter, etiam cotidie, communicent secundum normas in decretis Apostolicae Sedis traditas (quae sic confirmantur) ; utque missae astantes, rite dispositi, non solum spirituali affectu, sed etiam sacramentaliter communicent. (c. 863)

3. « Etiamsi eadem die sacra communione fuerint refecti, valde tamen suadendum ut, in vitae discrimen adducti, denuo communicent. » (c. 864, 2)

Hortatione ista diutina solvitur controversia de viatico dando, negando, vel permittendo illi qui sanus vel extra periculum mane communicaverit et subinde, eadem die, in mortis periculum (quavis ratione) adducatur.

4. « Perdurante mortis periculo, sanctum viaticum, secundum prudens confessarii consilium, pluries, distinctis diebus, administrari et licet et decet. » (c. 864, 3)

Constat itaque omnino licere, immo decere, ut viaticum pluries detur, perdurante periculo. Canon verbo *viaticum* utitur ut communionem designet quae non ieiuno dari potest ; non autem ut dispensationem istam parocho reservet. Sic enim res ante intellegebantur ; et contra mentem Codicis diceret qui pium istum usum redderet difficiliorem.

Communionis ritus.

337. - Suadendum fidelibus ut suo quisque ritu communionem in paschate praeceptam suscipiant. (c. 866, 2)

Pietatis causa possunt fideles sacramentum eucharistiae quolibet ritu confectum, etiam ad praeceptum implendum suscipere. Viaticum excipitur, nisi urgeat necessitas. (c. 866)

III. *Dispensandi eucharistiam tempus et locus*

Tempus. Quibusnam diebus.

338. - Dispensatio omni *die* permittitur. Excipitur tamen feria VI in Parasceve, ubi solum licet sacrum viaticum ad infirmos deferre. In sabbato sancto, s. communio dispensari nequit « nisi inter missarum sollemnia vel continuo ac statim ab iis expletis ». (c. 867)

Communio quae, immediate post sacrum, *ex ipso altari* ubi celebratum est ad infirmos *eodem tecto* conclusos deferatur, satis coniunctam sollemniis arbitramur ut eam canone 867 admissam existimemus. Cum causa aegrotorum favorabilis sit, id eo facilius concedendum videtur.

Viaticum quod in feria VI in Parasceve permittitur, illud est cuius praeceptum habetur, non illud quod, durante periculo, laudabiliter iteratur.

De sabbato sancto recedendum ergo est a benigniore sententia qua (1) communionem simpliciter illa die licitam declaravimus. Attamen, levis nobis videtur alius horae prohibitio, et talis a qua excuset causa qualem *S. Rituum* Congregatio recens probavit. Licere si quidem declaravit ut viris qui spiritualia exercitia compleverant, nec missarum sollemnia exspectare poterant, communio sabbato sancto plane mane dispensaretur. (Ferreres, *La communion frecuente y diaria*, n. 176-177.)

Quibusnam horis.

339. - Iis tantum horis eucharistia distribuatur quibus missae sacrificium offerri potest, nisi aliud rationabilis causa suadeat ; viaticum autem quavis hora diei aut noctis administrari potest. (c. 867, 4. 5)

Agiturne in can. 867 de iis horis quibus ex iure et de more sacrificium offerri potest, an privilegium anticipandi missam ad communionem extenditur ? Verba ambigua sunt ; favorabilis tamen eucharistiae causa suadet ut benignas partes amplectamur. Ceterum rationabilis causa exceptionem permittit. — Paragrapho autem 5 aufertur vetitum *Ritualis* t. 4, c. 10, quo, excepta necessitate, nocturna eucharistiae delatio prohibebatur. Cum occulta delatio iam satis facile permittatur, ratio ipsa prohibitionis subsistere non videtur.

Quonam loco.

340. - 1. « Sacerdoti celebranti non licet eucharistiam intra missam distribuere fidelibus adeo distantibus ut ipse altare e conspectu amittat. » (c. 868)

2. Ubicumque missam celebrare licet, etiam in oratorio privato, sacra communio distribui potest, « nisi loci Ordinarius, iustis de causis, in casibus particularibus id prohibuerit ». (c. 869)

Isto canone innixus, non possit episcopus generali statuto communionem in privatis oratoriis prohibere ; sed oportet ut peculiares causae id in casu particulari faciendum suadeant. Atque haec prohibendi facultas ad sola oratoria privata pertinet.

TITULUS IV. - DE PAENITENTIA

(cc. 870-936)

Caput I. - De ministro sacramenti paenitentiae

Requisita ad validam absolutionem.

341. - Postquam, can. 870, describendo sacramentum paenitentiae argumentum introduxit, Codex ad validam absolutionem tum *ordinem sacerdotalem*, tum *iurisdictionem* in paenitentem, necessaria esse pronuntiat.

---

(1) Per. t. 7, p. (53). (54).

Silet autem de *approbatione* tamquam de facultate qua, praeter iurisdictionem, multi saltem confessarii instructi esse debeant.

342. - *Ordinariam* potestatem audiendi confessiones habent : *Quinam iurisdictionem habeant ordinariam.*

1. *Pro universa Ecclesia,* Romanus Pontifex, S. R. E. Cardinales : horum iurisdictio ad omnes personas, etiam moniales, et ad omnes casus pertingit, « exceptis tantum censuris Sanctae Sedi specialissime reservatis, iisque quae revelationi secreti *S. Officii* annexae sunt ». (cc. 873. 239, 1)

2. *Pro suo quisque territorio,* Ordinarius loci, parochus, et qui loco parochi sunt. — Pro eodem Ordinarii territorio, paenitentiarius canonicus, ecclesiae sive cathedralis sive collegiatae, cum potestate « absolvendi etiam a peccatis et a censuris episcopo reservatis, in dioecesi extraneos quoque ; et dioecesanos extra territorium quoque dioecesis ». (cc. 873. 401, 1)

Potestas in reservata episcopo, cum sine distinctione conferatur, tum casus quos ius reservat tum casus quos episcopus sibi reservat complectitur.

3. *Pro suis subditis,* Superiores religiosi exempti, ad normam constitutionum. (c. 873)

343. - Iurisdictio ista ordinaria omnibus cessat amissione officii ; *Quo modo cesset.* et excommunicatione, suspensione ab officio, interdicto, sed tantum post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam [si tamen his poenis obnoxii sint]. (c. 873, 3)

344. - *Delegant,* si verba Codicis attendamus : *Delegare iurisdictionem quinam possint.*

1. Ad audiendas confessiones quorumlibet, sive saecularium sive religiosorum, sacerdotes tum saeculares tum religiosos etiam exemptos, *Ordinarius loci* in quo confessiones excipiuntur. (c. 874, 1)

Constat itaque nunc, quod iam scribebamus (1), *religiosos* etiam exemptos, cum confitentur apud saecularem, *dioecesana* iurisdictione absolvi, quae proin dioecesanis reservationibus afficitur, nisi simul a Superiore exempto regularem iurisdictionem confessarius obtinuerit. Constat etiam *peregrinos* absolvi iurisdictione Ordinarii loci ubi confessiones excipiuntur, ita ut iurisdictio absolventis casibus in loco confessionis reservatis obnoxia sit.

2. Ad audiendas confessiones professorum, noviciorum, et eorum qui in religiosa domo diu noctuque degunt causa famulatus, educationis, hospitii aut infirmae valetudinis, *Superior proprius Ordinis,* ad normam constitutionum, sacerdotes subditos atque etiam sacerdotes e clero saeculari aut alius religionis. (cc. 875. 514, 1)

Extra dubium itaque posita est potestas Superioris exempti tribuendi valide iurisdictionem, ad suos audiendos, sacerdoti cuilibet sive saeculari sive religioso, etiam quos proprius Ordinarius non approbaverit.

3. Ad audiendas quaslibet religiosas (etiam dioecesanas) ac novi-

(1) PER. t. 7, p. (27). (28).

cias, iurisdictionem peculiarem confert *Ordinarius loci* ubi religiosarum domus sita est. Salva gravi aegritudine, vel accidentali aditu confessarii pro mulieribus approbati : de quibus casibus cf. cc. 522-523 (n. 188), peculiaris ista iurisdictio omnibus, si Cardinales excipias, necessaria est ad valorem.

Habemus hic primam legem universalem qua iurisdictio peculiaris ad valide audiendas omnes religiosas etiam dioecesanas requiritur.

N. B. Si domus Superiori regulari subiecta est, is confessarios praesentat loci Ordinario, qui etiam eius neglegentiam supplere potest. (c. 525)

« In religione *laicali exempta,* Superior proponit confessarium, qui tamen iurisdictionem obtinere debet ab Ordinario loci in quo religiosa domus reperitur. » (c. 875, 2)

In quosnam valeat iurisdictio.

345. - Iurisdictio tam ordinaria quam delegata ab Ordinario loci valet ad audiendos vagos, peregrinos ex aliena dioecesi, et catholicos ritus orientalis. (c. 881)

Num delegare possint canonicus paenitentiarius, parochus.

346. - 1. Facultas delegandi iurisdictionem *canonico paenitentiario* expresse negatur. (c. 401, 1)

2. De delegatione quam *parochus* dederit silet Codex ; sed cum solum Ordinarium loci *positive* designet tamquam eum a quo delegatio accipienda sit, ipse suo silentio parochum excludere videtur.

Id ceterum cohaeret cum nova Codicis ordinatione qua approbationis necessitatem sustulit. Sin minus, posset iam parochus cuivis sacerdoti plenam audiendi suos facultatem facere : quod nemo admittet ; possent regulares, ex pontificia iurisdictione, quam probabilis sententia ipsis tribuit, iam, sine ullo interventu Ordinarii, excipere saecularium confessiones ; possent Cardinales omnibus sacerdotibus per orbem terrarum expeditam facultatem conferre audiendi etiam moniales ; posset Ordinarius loci delegare ad audiendos suos etiam extra dioecesim (nam sola obstabat sublata approbationis necessitas). Quare, dicendum est, ex voluntate Pontificis, Ordinarium loci esse, pro saecularibus audiendis extra periculum mortis, unicum fontem expeditae iurisdictionis, ita ut alia iurisdictio inefficaciter sine priore detur. Egregie confirmamur silentio quo can. 874 ipsum S. Pontificem numerare omittit inter illos qui iurisdictionem pro saecularibus delegant ; quae mentio non est omissa tamquam superflua : sin minus canon immediate praecedens multo magis debuisset S. Pontificem omittere inter eos qui ordinariam iurisdictionem habent ; sed ut voluntas Pontificis significetur constituendi Ordinarium loci tamquam unicum fontem delegatae iurisdictionis. Confirmamur etiam can. 875, quo pro religiosis admittitur ut Superior det *quoque* iurisdictionem. Ergo pro aliis sola delegatio ab Ordinario loci data consideranda est. Ceterum, iam ante, ista facultas parochi incerta et vix probabilis erat (1), et a pluribus aperte negabatur. Iurisdictio ordinaria, sic D'ANNIBALE, mandari alteri potest, « nisi lex vetet, uti hodie parochis vetat iurisdictionem delegare ad confessiones sacramentales excipiendas » (2).

Quid de Cardinalibus.

3. Etiam amplo Cardinalium privilegio facta est ordinaria quidem

(1) Cf. LEHMKUHL, II, 488, nota. — (2) Cf. D'ANNIBALE, I, 72 et III, 310, nota 5.

potestas, sed ad *audiendas confessiones*, quam, in hac speciali materia, ad conferendam iurisdictionem extendere non possumus. Aperta legislatoris mens huic extensioni refragatur.

347. - 1. « Pro concessione iurisdictionis nihil exigi potest. » (879, 2) *Gratuitas praescripta.*

2. « Ad confessiones valide audiendas, opus est iurisdictione scripto vel verbis expresse concessa. » (c. 879, 1) *Delegandi ratio.*

Verbis istis Codex excludere videtur concessionem quae dicitur praesumpta, etiam de praesenti, seu quae ex facto colligitur nec datur signo intentionali, seu ad eam dandam directo. Etenim ipse nutus pro verbis haberi potest.

3. Cum delegatio tum ipsa licentia audiendi confessiones circumscribi potest certis finibus, qui tamen sine rationabili causa nimis coartandi non sunt. (c. 878) *Limitari potest.*

4. Cum locorum Ordinarii tum Superiores religiosi ab iis quos admittunt ad confessiones audiendas, *examen* regulariter exigere debent, nisi aliunde theologicam sacerdotis doctrinam compertam habeant. *Probatio examinis.*

Et quotiens de permanente idoneitate prudenter dubitent, sacerdotem, etiam parochum vel canonicum paenitentiarium, ad novum doctrinae periculum adigant. (c. 877)

5. Ordinarii locorum iurisdictionem habitualiter ne concedant religiosis quos proprius Superior non praesentaverit ; praesentatis vero, salva examinis probatione, eandem sine gravi causa ne denegent. (c. 874) *Praesentatio a Superiore.*

348. - 1. Loci Ordinarius vel Superior religiosus iurisdictionem vel licentiam audiendi confessiones ne revocent aut suspendant nisi ob gravem causam. (c. 880, 1) *Iurisdictionis vel licentiae revocatio aut suspensio.*

2. Ob huiusmodi causam potest Ordinarius etiam parocho et canonico paenitentiario confessarii munus interdicere, salvo recursu in devolutivo ad Sedem Apostolicam. (c. 880, 2)

3. Episcopo non *licet*, inconsulta S. Sede, omnibus confessariis domus religiosae quae *formata* sit (sex constans religiosis non noviciis, quorum quattuor sint sacerdotes) una simul iurisdictionem adimere. (c. 880, 3)

4. Ipso iure invalida est absolutio complicis in peccato turpi, praeterquam in mortis periculo. (c. 884) *Absolutio complicis.*

349. - Quilibet sacerdotes quosvis paenitentes in periculo mortis a quibusvis peccatis aut censuris valide et licite absolvunt, etiam si praesens sit sacerdos approbatus. Absolutio tamen complicis extra casum necessitatis manet, ex parte confessarii, illicita. Onus recurrendi, quod absoluto a quibusdam censuris paenitenti convalescenti imponitur, explicatur in titulis de censuris. (Cf. n. 657, ss.) *Iurisdictio in mortis periculo.*

350. - Quicumque sacerdotes maritimum iter arripiunt, delegati vel a proprio Ordinario vel ab Ordinario portus in quo navim con- *Iurisdictio in itinere maritimo.*

scendunt, vel ab Ordinario portus intermedii per quem in itinere transeunt, possunt toto itinere, quorumlibet fidelium secum navigantium confessiones in navi excipere. (c. 883, 1)

Quotiens vero navis in itinere consistat, possunt confessiones excipere cum fidelium qui quavis de causa ad navim accedant, tum eorum qui ipsis ad terram obiter appellentibus confiteri petant, eosque valide ac licite absolvere etiam a casibus Ordinario loci reservatis. (c. 883, 2)

Canone isto, fere iisdem verbis quibus in decretis *S. Officii* 23-24 aug. 1905, 12-13 dec. 1905, facultas superioris iuris confirmatur et extenditur, dissipata tamen ambiguitate quorundam verborum. Etenim, in decreto *S. Officii* 23-24 aug. (1) approbatio obtinenda dicebatur « a proprio Ordinario e cuius dioecesi discedunt ». Ista discessus condicio, quae obscuritate laborabat et difficultatem faciebat, feliciter iam omissa est. Praeterea suppressa est limitatio quae in decr. 1906 his verbis reddebatur : « Dummodo nullus in loco vel unicus tantum sit sacerdos approbatus et facile loci Ordinarius adiri nequeat ».

Iurisdictionis usus a religiosis.

351. - 1. Monentur *religiosi* ut iurisdictione sua ne utantur sine licentia saltem praesumpta sui Superioris ; quod tamen alium religiosum impedire nequit ne, ad conscientiae suae quietem, ipsum approbatum adeat. (cc. 874, 519)

Usus prohibitus magistro novicio-rum et Superio-ribus.

2. Quamvis iurisdictione non priventur, vetantur tamen Magister noviciorum eiusque socius, Superior seminarii collegiive ne ea utantur erga alumnos secum in eadem domo commorantes, « nisi alumni ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus sponte id petant ». (c. 891)

Collegium hic designat in primis institutum clericalis institutionis, satis simile seminariorum, qualia in Urbe sunt collegium Anglorum, Germanicum-Hungaricum ; quales sunt etiam scholae apostolicae. Videtur tamen regula traducenda etiam, saltem quod ad convictores, ad collegia latius dicta, in quibus adulescentes ad humanitatem informantur : vulgo dicuntur collegia, et similis ratio in ipsa cadit.

Age porro, ut Magister, socius vel Superior confessionem alumni convictoris excipiat *licite*, tria haec concurrere debent : a) Spontanea alumni petitio ; — b) Gravis et urgens causa ; — c) Casus particularis. Nefas ergo est ut, etiam propter gravem causam, ordinarii evadant confessarii quorundam alumnorum.

Obligatio utendi.

3. Parochi et qui curam animarum vi muneris gerunt, gravi iustitiae obligatione tenentur efficiendi ut fideles sibi commissi, quotiens audiri rationabiliter petant, copiam confessarii habeant : Codex enim admittit ut sive per se sive per alium fideles audiant. Eadem est obligatio caritatis pro omnibus confessariis, urgente necessitate ; et omnium sacerdotum in mortis periculo : tunc omnes fiunt confessarii. (c. 892)

Caveant itaque parochi, ne horas fidelibus commodas a confessionibus excipiendis excludant.

---

(1) PER. t. 3, p. 40.

352. - Preces quas Ecclesia ad formulam absolutoriam addidit, « nisi iusta de causa ne omittantur ». (c. 885)

Preces cum formula coniunctae.

Preces istae sunt : « Misereatur... Indulgentiam... » quae praecedunt absolutionem a censuris ; et oratio « Passio », quae absolutionem a peccatis consequitur.

Ob Codicis praeceptum, nolimus iam dicere easdem semper absque peccato omitti posse. Ex C. *Tridentino*, s. XIV, c. 3 preces istae *laudabiliter adiungebantur* (1). Verum iusta causa aderit in adiunctis, v. g. in confessionibus frequentioribus et brevioribus, in quibus *Rituale* ipsum dicit eas omitti posse.

353. - Paenitenti certo disposito et absolutionem petenti haec « nec deneganda nec differenda est ». (c. 886)

Absolutio paenitentis dispositi.

Canone isto ius agnoscitur quod paenitens certo dispositus habet ad absolutionem obtinendam, et quidem *immediate*. Haec ergo, contra atque asserebant (2), ne quidem propter utilitatem spiritualem, paenitenti invito differri potest. Hac tamen prohibitione confessarius non vetatur urgere, ante absolutionem, reparationem quandam quae in praesens fieri possit. Sic enim ipse dispositionem magis explorat ; et qui exsecutioni isti obstiterit re ipsa suspectam dispositionem afferre convincitur.

Petitio absolutionis etiam rationabilis supponitur, qualis non fuerit eius qui de vita praesenti non accusaverit nisi peccatum veniale de quo dolere nolit.

354. - « Pro qualitate et numero peccatorum et condicione paenitentis, salutares et convenientes satisfactiones confessarius iniungat ; quas paenitens volenti animo excipere atque ipse per se debet implere. » (c. 887)

Satisfactio.

Canone isto iteratur de satisfactione pulcherrima regula C. *Tridentini* s. XIV *De Paenitentia*, c. 8. ; sed omittitur paraphrasis qua concilium magis insistit ut iniuncta satisfactio etiam sit in vindictam, et sacerdotes monet ne peccatis conniveant, dum levissima opera pro gravissimis delictis iniungant.

355. - « Meminerit sacerdos in audiendis confessionibus se iudicis pariter et medici personam sustinere, ac divinae iustitiae simul et misericordiae ministrum a Deo constitutum esse ut honori divino et animarum saluti consulat. » (c. 888, 1)

Duplex confessarii persona.

Duplicem itaque personam, pariter sustinendam, Codex in officio confessarii agnoscit ; sapienter autem duplicem finem administrationis sub oculis confessarii ponit, ut honori divino simul et animarum saluti consulat.

356. - 1. « Caveat omnino ne complicis nomen inquirat ; ne curiosis aut inutilibus quaestionibus, maxime circa sextum decalogi praeceptum, quemquam detineat, et praesertim ne iuniores de iis quae ignorant imprudenter interroget. » (c. 888, 2)

Monita prudentiae.

2. In canonibus 889 et 890, Codex eleganter distinguit propriam *sigilli* sacramentalis obligationem, quae huc spectat ne confessarius « verbo aut signo aut alio quovis modo et quavis de causa prodat aliquatenus peccatorem » ; qua obligatione teneri quoque addit interpretem et « omnes ad quos notitia confessionis quoquo modo

Obligatio sigilli. Prohibitus usus scientiae.

(1) Cf. S. Alphonsum, l. 6, n. 430. — (2) Cf. Génicot-Salsmans (II, 366).

pervenerit (c. 889) »; et prohibitionem etiam omnimodam *usus scientiae* ex confessione acquisitae cum gravamine paenitentis, excluso etiam quovis revelationis periculo. Nominatim monet Superiores se nullo modo ad exteriorem gubernationem notitia quam de peccatis in confessione vel tunc vel antea facta habuerint uti posse. (cc. 889-890)

Caput II. - De reservatione peccatorum

Reservationis notio.

357. - Ex can. 893, haec genuina notio reservationis traditur, ut sit avocatio casus ad iudicium Superioris ordinarii, quo simul potestas inferiorum limitatur.

Quinam reservare possint.

358. - Potestas reservandi iis omnibus competit qui ordinario iure facultatem audiendi confessiones facere vel censuras ferre possunt. Vicario tamen *capitulari* potestas negatur; dum Vicarius generalis speciali mandato opus habet. (c. 893)

Genuina ista ratione et notionibus quae postea traduntur poenarum, inter quas reservationi nullus locus datur, tacite videtur solvi quaestio num ignoratio a reservatione excuset. Id, cum doctrina generalis traditur, negandum est. Quare, ut aliud de episcopali reservatione teneamus, oportet ut episcopus voluntatem benigniorem, quam sane habere potest, expresse vel tacite significaverit; expresse, v. g. declaratione ad reservationem addita; tacite v. g. cum excusatio propter ignorantiam in eius seminario docetur. Neque tunc dicemus proprie « ignorationem a reservatione excusare », sed potius cognitionem reservationis inter condiciones casus reservati computandam esse.

N. B. Reservatio tum peccatum tum censuram directe afficere potest. Sed cum de reservatione censurae in proprio tractatu agatur, hoc loco argumentum istud omittere nobis licet.

Peccatum S. Sedi reservatum.

359. - Unicum peccatum ratione sui S. Sedi reservatum est falsa delatio, qua sacerdos innocens accusatur de crimine sollicitationis apud iudices ecclesiasticos. (c. 894)

Attamen, c. 2363 falsa denuntiatio huius criminis, Superioribus facta, censura specialiter S. Sedi reservata plectitur. Quomodo haec componantur, cf. n. 674, 3°.

Reservandi modus praescriptus Ordinario loci, Superiori religioso.

360. - 1. *Ordinarius locorum* monetur ne peccata reservet nisi vel ex discussione in synodo facta, vel ex audito capitulo cathedrali et aliquot selectis curatis, vera reservationis necessitas aut utilitas comprobata fuerit. (c. 895)

2. Solus Superior generalis religionis exemptae, vel abbas monasterii sui iuris, cum proprio cuiusque Consilio, peccata, ut supra, reservare possunt. Qua tamen reservatione vetantur restringere potestatem confessariorum ordinariorum domus religiosae; nec facultatem coartare valide possunt confessarii ab Ordinario loci approbati, quem religiosus adiverit. (Cf. cc. 896. 518-519)

Cum proprio Consilio, id est, *audito* isto Consilio: sic enim clausulam istam interpretandam ducimus. Quae interpretatio ex loco parallelo immediate praecedente confirmatur. Ordinario enim loci mere praecipitur ut capitulum suum audiat.

Quinam casus reservandi vel non.

361. - 1. Pauci casus, tres ad summum vel quattuor, ex gravioribus tantum et atrocioribus criminibus externis, specifice determinati reservandi sunt. (c. 897)

2. Reservatio ne ultra in vigore maneat quam extirpatio inoliti cuiuspiam vitii vel instauratio collapsae disciplinae postulet. (c. 897)

3. Prorsus abstineant a peccatis sibi reservandis « quae iam sint Apostolicae Sedi, etiam ratione censurae, reservata ; et regulariter ab iis quoque quibus censura, etsi nemini reservata, a iure imposita sit ». (c. 898) Cf. n. 660.

Prima condicio, dum specificam determinationem requirit, postulat ne genus, v. g. concubinatus, reservetur ad speciem attingendam, sed vult ut casus circumscribatur iis notis vel adiunctis quae reservationem postulent : reservetur v. g. concubinatus adulterinus, si propter istam circumstantiam reservandus sit.

Hodie, sane, non in omni regione sperari potest ut vitium reservatione extirpari possit. Sed si propagationem vitii impediat, id iam satis esse arbitramur ut reservatio utilitatem habeat quae votis S. Sedis postulatur.

Reservati casus disciplina, pro aegrotis, sponsis.

362. - Reservatio *quaevis* vi caret, ex c. 900 :

1°. Cum confitentur *aegroti* qui domo egredi nequeunt, vel *sponsi* matrimonii ineundi causa :

Cum facultas negatur vel peti nequit sine gravi paenitentis incommodo.

2°. Quotiens vel legitimus Superior *petitam* pro aliquo determinato casu absolvendi facultatem *denegaverit*, vel, prudenti confessarii iudicio, facultas a legitimo Superiore peti nequeat sine gravi paenitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis.

Extra territorium.

3°. *Extra territorium* reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam paenitens ex eo discesserit.

Regulae istae propriae sunt peccatorum quae *sine censura* reservantur. De reservatis enim censuris sermo fiet in libro quinto.

Ita autem latae sunt ut statutum sive episcopi sive Superioris religiosi quod iis contrarium fuerit, valore destitueretur.

Ob benignam legislatoris mentem, arbitramur *aegrotos* intellegi posse quotquot corporis infirmitate, v. g. fracto pede, domi retinentur. Atque exceptio prodest etiam iis, v. g. religiosis, qui in domo sunt ubi confessarii habitant.

Sponsi vero sunt quicumque in ordine ad proximum matrimonium confitentur ; id est, sunt omnes nupturientes, quamvis nulla sponsalia formaliter fecerint.

Grave paenitentis incommodum est, v. g. gravis difficultas redeundi ad confessarium, necessitas celebrandi, difficultas abstinendi communione sine aliqua nota vel suspicione ; immo, ni fallimur, ipsum notabile animae detrimentum quod ob minus bonam voluntatem pateretur, si timendum sit ne recedat indispositus.

Periculum violandi sigilli aderit si, ob adiuncta, timendum sit ne Superior in suspicionem veniat personae pro qua facultas petitur. Hoc autem nomine non venit periculum ne ipse paenitens, adeundo privilegiatum confessarium, se isti suspicioni exponat : nequit enim paenitens facto suo sigillum violare. Sed tale periculum inter gravia incommoda numerandum erit.

Cum autem negata a Superiore facultas, in casu determinato petita, ipso iure concedatur, vis reservationis huc demum recidit ut paenitens qui reservatum commisit simplicem confessarium bis adire cogatur ; et sic maturiores confessarios quaerere suadeatur quos facultatibus instructos merito praesumere possit.

Casuum reservatorum notitia.

363. - 1. Ordinarii locorum curare debent ut reservationes suas ad subditorum notitiam deducant ; nec facultatem a reservatis absolvendi cuivis et passim impertiant. (c. 899, 1)

Communicatio facultatis absolvendi.

2. Facultatem tamen ipsum ius tribuit canonico paenitentiario ; vultque ut saltem Vicariis foraneis seu decanis habitualiter impertiatur ; addita, praesertim in locis a sede episcopali remotioribus, facultate subdelegandi totiens quotiens confessariis sui districtus, si et quando, pro urgentiore aliquo casu, ad eos recurrant. (c. 899, 2)

3. Praeterea, ipso iure a casibus quos quoquo modo sibi Ordinarii reservarint absolvere possunt parochi, aliive qui parochorum nomine in iure veniunt, toto tempore ad praeceptum paschale utili ; tum singuli missionarii, dum missiones ad populum habentur. (c. 899, 3)

Canone isto, dum divulgationem reservationum praecipit, et monet ne casus reservati *cuivis et passim* communicentur, legislator efficaciae reservationis prospicere intendit. Ne inde tamen putemus ipsius menti consentaneum esse ut facultas in reservata nemini vel tantum paucis delegetur. Diserte vult ut pauci sint casus ; nusquam autem dicit : « Pauci ab iis absolvere possint ». Immo plures ipse indicat quibus facultatem habitualem, cum potestate subdelegandi, habitualiter competere vult. Sed cum cavet « ne cuivis et passim detur », id unum intendit, ut selectis confessariis, tum saecularibus tum religiosis, committatur facultas quae, secundum ipsius legislatoris mentem, potius tribuenda quam neganda videtur.

Quinam sint parochi.

Ex can. 451, nomine *parochorum* veniunt quasi-parochi qui quasi-parochias regunt in quas Vicariatus vel Praefectura apostolica divisa fuerint (c. 216, 2. 3) et Vicarii paroeciales, si plena potestate paroeciali sint praediti.

Quid tempus paschali praecepto concessum.

Porro *tempus* ad *praeceptum paschale implendum* utile illud est quod sive iure communi sive statuto Ordinariorum, potestate sibi facta utentium, statuitur ; illud denique etiam, ni fallimur, quod cuipiam legitime prorogatum est. Neque exigitur ut confessio ad paschale praeceptum implendum fiat. Sed tempus ipsum est privilegiatum, in quo etiam ii qui paschali praecepto iam satisfecerint absolutionem casuum quos Ordinarius sibi reservaverit a parochis obtinere possunt.

Quid missiones.

Quia lex favorabilis est, *missiones* intellegi possunt etiam *exercitia spiritualia*, dummodo ad aliquem populum, id est collectiva ratione, tradantur. Lex enim missiones *in ecclesia* factas non postulat. Ac propter eundem finem conversionis et renovationis spiritualis, tum missiones tum exercitia spiritualia dantur, nisi quod in his magis activa populi seu recipientium cooperatio supponitur.

Caput III. - De subiecto sacramenti paenitentiae

Sacramenti materia.

364. - Canonibus 901. 902, materia tum necessaria tum sufficiens sacramenti paenitentiae secundum sententiam quae post Tridentinum concilium communis facta est proponitur.

Confessio per interpretem.

365. - Confessio per interpretem nemini imponitur, sed mere non prohibetur ei qui aliter confiteri non possit. (c. 903)

Sollicitans deferendus.

366. - Ad normam Constitutionum apostolicarum et nominatim C. Benedicti XIV, *Sacramentum paenitentiae*, 1 iunii 1741, debet paenitens sacerdotem reum delicti sollicitationis in confessione, intra mensem denuntiare loci Ordinario vel S. C. *S. Officii ;* et confes-

sarius debet, graviter onerata eius conscientia, de hoc onere paenitentem monere. (c. 904)

Quia ad Constitutiones anteriores reicimur, obligatio denuntiandi sicut antea intellegenda est et scienter recusantes excommunicatione (c. 2368) plectuntur.

Confessionis praeceptum.

367. - Praeceptum annuae confessionis omnibus qui ad usum rationis pervenerunt canone 906 inculcatur ; praecepto autem per confessionem sacrilegam aut voluntarie nullam satisfieri negatur. (cc. 906. 907.)

Confessio extra ritum valet.

Confessio demum confessario alterius ritus legitime approbato fieri permittitur. (c. 905)

Caput IV. - De loco ad confessiones excipiendas

Locus proprius ; locus permissus.

368. - Proprius confessionis locus est ecclesia vel oratorium publicum aut semi-publicum ; confessiones tamen *virorum* etiam in aedibus privatis excipere licet. (cc. 908. 910, 2)

Facultas audiendi ubique viros nunc primum expresso iure sancita est.

369. - *Feminarum* confessiones extra sedem confessionalem audiri non possunt, nisi ex causa infirmitatis aliave verae necessitatis, « et adhibitis cautelis quas Ordinarius loci opportunas iudicaverit ». (c. 910, 1)

Sedes ista semper « in loco *patenti* et *conspicuo* et generatim in ecclesia vel oratorio publico aut semi-publico mulieribus destinato » ponenda est ; demum crate fixa et tenuiter perforata inter paenitentem et confessarium instructa esse debet. (c. 909)

Verba « mulieribus destinato » ad oratorium semi-publicum solummodo referri patet. Plura hic permittuntur magis definitis Ordinariorum locorum statutis quae, cum de paenitentibus saecularibus agunt, etiam religiosis exemptis observanda sunt.

Caput V. - De indulgentiis

I. *De indulgentiarum concessione*

Indulgentiarum aestimatio.

370. - Praemissa communi indulgentiae notione, can. 911 magnam indulgentiarum aestimationem inculcat.

Facultas concedendi.

371. - 1. Plena potestas largiendi indulgentias est penes Romanum Pontificem ; alii indulgentias potestate ordinaria concedere non possunt, nisi *expresse* ipsis tribuatur. (c. 912)

2. Qua potestate *non possunt*, vi can. 913 :

a) Facultatem aliis committere, nisi id a Sede Apostolica expresse indultum fuerit ;

b) « Indulgentias concedere defunctis applicabiles ;

c) « Eidem rei seu actui pietatis vel sodalicio, cui iam a Sede

Apostolica vel ab alio indulgentiae concessae sint, alias adiungere, nisi novae condiciones adimplendae praescribantur. » (c. 913)

Iam S. Thomas (1) id habet : « Papa potest principaliter, alii vero in quantum potestatem ab eo accipiunt vel ordinariam vel commissam seu delegatam. »

Tertia autem sanctione cavetur ne idem opus vel eadem res indulgentiis cumulatis a variis Praelatis ditetur.

Obtentae indulgentiae nuntiatio.

372. - 1. « Qui a S. Pontifice impetraverint indulgentiarum concessiones pro omnibus fidelibus, obligatione tenentur, sub poena nullitatis gratiae obtentae, authentica exemplaria earundem concessionum ad S. Paenitentiariam deferendi. » (c. 920)

Agitur ibi de concessionibus quae vel in audientia Sanctissimi vel simplici rescripto fiunt ; non autem de indulgentiis quae continentur in brevi quo S. Pontifex confraternitatem approbat variisque privilegiis ac proin indulgentiis exornat.

Ceterum obligatio non afficit nisi concessiones generales, id est eas indulgentias quae omnibus fidelibus, sine usu rosarii vel rei benedictae aut inscriptione in associationem, lucrandae offeruntur. Exemplum sunt indulgentiae quas, instante pia persona, S. Pontifex recitantibus certam orationem, concedere consuevit. (Cf. Beringer-Hilgers, *Die Ablässe*, I, 146.)

divulgatio,

2. « Novae indulgentiae, ecclesiis etiam regularium concessae, quae Romae promulgatae non sint, ne pervulgentur, inconsulto Ordinario loci. » (c. 919, 1)

editio.

3. Libri, libelli et folia indulgentiarum edi nequeunt sine approbatione ecclesiastica, sicut explicatur c. 1388. (c. 919, 2)

Benedictio papalis episcopis et Ordinariis locorum concessa.

373. - 1. « Benedictionem papalem cum indulgentia plenaria, secundum praescriptam formulam impertiri possunt episcopi in sua quisque dioecesi bis in anno ; hoc est, die sollemni Paschatis Resurrectionis et alio die festo sollemni, ab ipsis designando, etiamsi iidem missae sollemni astiterint tantum ; abbates autem vel Praelati nullius, Vicarii et Praefecti Apostolici, etsi episcopali dignitate careant, id possunt in suis territoriis uno tantum ex sollemnioribus per annum diebus. » (c. 914)

Usus similis privilegii a regularibus.

2. Simili privilegio regulares uti nequeunt nisi in suis ecclesiis et in ecclesiis monialium vel tertiariorum suo Ordini legitime aggregatorum ; non autem eodem die et loco quo episcopus eam impertiat. (c. 915)

Ex can. 914, ipso iure conceditur facultas fere iisdem terminis quibus antea, ex C. *Inexhaustum*, 3 sept. 1762, impetranda erat. Can. autem 915 non agitur de benedictione papali quam in fine missionum vel similibus adiunctis religiosi missionarii impertire permittuntur ; sed de privilegio quo, sine alia functionis condicione, regulares benedictionem istam dare permittuntur. His ergo circumscribitur usus ad certas ecclesias, et excluduntur dies et locus quibus episcopus eam impertiat. Id est, die quo episcopus illam impertit, ipsi eam non possunt in eodem loco (civitate, oppido) impertire. Exclusio ista iam antea praecipiebatur ; praecipue brevi Leonis XIII, 7 iul. 1882. Permittuntur tamen illam impertire in ecclesiis « monialium suo Ordini legitime aggregatarum », dum antea S. C. *Indulgentiarum*, 4 feb. 1754, ad quaestionem num privilegio uti possent duntaxat in ecclesiis suorum

(1) *Quodlib.* 2, q. 8, art. 16

conventuum, vel potius esset iis potestas illam impertiendi in ecclesiis monialium tam Ordini quam Ordinario loci subiectis, respondit : *Affirmative* quod ad primum ; *negative* quod ad secundum (1).

Nec iam requiritur, contra atque exigebat C. *Decet Romanos Pontifices*, 3 aug. 1763, ut scriptam prius licentiam episcopi dioecesani consecuti sint. (Cf. Beringer-Hilgers, I, 403. 404.)

Privilegium altaris.

374. - 1. Ordinarii locorum et « Superiores maiores religionis clericalis exemptae possunt designare et declarare unum altare privilegiatum cotidianum perpetuum, dummodo aliud non habeatur, in suis ecclesiis cathedralibus, abbatialibus, collegiatis, conventualibus, paroecialibus, quasi-paroecialibus, non autem in oratoriis publicis vel semi-publicis, nisi sint ecclesiae paroeciali unita seu eiusdem subsidiaria ». (c. 916)

Benedictus XIII, brevi 20 aug. 1724, omnibus cathedralibus ecclesiis privilegiatum altare concesserat ; Clemens XIII, 19 maii 1759, idem concesserat ecclesiis collegiatis, abbatialibus *nullius*, parochialibus, sed ea lege ut episcopi vel abbates supplicationem, septimo quoque anno iterandam, de re ad S. Sedem facerent. Recens idem ipsis « durante munere » concedi consuevit. Praesenti ergo canone necessitas impetrationis formalis aufertur ; et beneficium extenditur ad ecclesias conventuales religiosorum clericorum exemptorum et ad oratoria ecclesiae paroeciali unita vel eius subsidiaria. (Cf. Beringer-Hilgers, t. 1, p. 554-555.)

Cautio de altaris designatione.

2. Ad vitandas imprudentes inscriptiones, quibus, v. g. liberatio animae promittitur, praecipit c. 918 ut nihil aliud designato altari inscribatur nisi : « Altare privilegiatum, perpetuum vel ad tempus, cotidianum vel non », prout concessio sonat.

Nec pro missa ibi dicenda, sub obtentu privilegii, maior missae eleemosyna exigi potest. (c. 918)

Privilegiati dies.

375. - Die commemorationis omnium fidelium defunctorum, omnes *missae* privilegio gaudent ; per dies autem quibus supplicatio XL horarum peragitur, omnia *altaria* ecclesiae sunt privilegiata.

Normae interpretandi indulgentias festorum,

376. - 1. Pro solis festis calendarii *universalis* concessa intellegitur indulgentia *plenaria* pro festis Domini vel B. Virginis. (c. 921, 1)

Antea, solae indulgentiae partiales communes erant omnibus festis calendarii universalis ; plenaria potioribus festis reservabatur.

2. Indulgentia *plenaria* vel *partialis* festis *apostolorum* tributa, pro festo eorum *natali* concessa intellegitur. (c. 921, 2).

Confirmatur regula superioris iuris. (*Decr. authent.* n. 392.)

plenariam cotidianam,

3. *Plenaria cotidiana*, quae vel ad *tempus* vel ut *perpetua* visitantibus aliquam ecclesiam seu oratorium publicum prostat, a singulis fidelibus semel tantum in anno, sed qualibet die, acquiri potest. (c. 921, 3)

Consonat declaratio Pii IX, 15 mart. 1852. (*Decr. authent.* n. 356.)

---

(1) *Decr. authent.*, n. 199, vel Prinzivalli, n. 212.

visitationem requisitam.

4. Requisita visitatio institui potest a meridie diei praecedentis usque ad mediam noctem quae diem cui indulgentia affixa est claudit. (c. 923)

Id a 26 ian. 1911 concessum est. (Cf. Per. t. 6, p. 8.)

Indulgentiae translatio.

377. - Legitime translato festo, transferuntur conexae indulgentiae, si *perpetua* fiat translatio officii cum missa, vel si transferantur, etiam ad tempus solum, sollemnitas et externa celebratio. *Conexae* autem indulgentiae eae sunt quae festis coniunctae sunt vel supplicationibus quae ante festum, post festum, et eius octava durante, peraguntur. (c. 922)

Indulgentiae localis et realis cessatio.

378. - 1. Si ecclesia funditus eversa rursus intra quinquaginta annos aedificetur, in eodem vel fere eodem loco et sub eodem titulo, indulgentiae ei annexae non cessant. (c. 924, 1)

Ista reviviscentia indulgentiarum olim sine limitatione admittebatur. (*Decr. auth.* n. 396.)

Quia causa ecclesiae favorabilis est et canon non postulat ut aedificata sit, sed ut *aedificetur*, satis esse arbitramur ut aedificatio non mere proposita sit sed fieri coepta sit. Cf. can. 75.

2. Quae coronis vel rebus annectuntur indulgentiae, tunc tantum cessant, si coronae vel res prorsus esse desinant vel vendantur. (c. 926, 2)

Ad omnem speciem simoniae avertendam, saepius iam declaratum erat *venditione* huiusmodi rerum indulgentias interire. Cf. v. g. resp. 16 iul. 1887.

II. *De indulgentiis acquirendis*

Generales condiciones.

379. - 1. « Ut quis *capax* sit *sibi* lucrandi indulgentias, debet esse baptizatus, non excommunicatus, in statu gratiae saltem in fine operum praescriptorum, subditus concedentis. » (c. 925, 1)

Attamen, nisi aliud ex concessionis tenore appareat, peregrini, vagi, omnes exempti in territorio degentes, episcopi indulgentias lucrari possunt ; subditi vero etiam extra territorium. (c. 927)

2. Ad lucrandas indulgentias, intentio eas acquirendi saltem generalis requiritur, et debita operum iniunctorum exsecutio. (c. 925, 2)

Utrum capacitas acquirendi *aliis*, id est defunctis, indulgentias, ampliores fines habeat necne quam qui § 1 statuuntur, id Codice reticetur.

Dum autem *generali* intentione contentus est, Codex non definit utrum habitualis requiratur an interpretativa sufficiat.

Acquisitio aliis.

380. - Indulgentiae aliis *viventibus* applicari nequeunt, *defunctis* vero applicabiles sunt omnes indulgentiae a Romano Pontifice concessae, nisi aliud constet. (c. 930)

Illa aliorum viventium exclusio non ex natura rei sed ex positiva Pontificis voluntate repetenda est (1). Pontifices autem indulgentias magis ac magis defunc-

(1) Cf. Lugo, *De Paenitentia*, s. 27, n. 77.

tis applicabiles reddere solebant ; quod nunc lege generali sancitum est, ita ut gratia ista iam exprimenda non sit.

Hoc etiam de indulgentiis hactenus concessis valere arbitramur.

Quotiens indulgentia acquiri possit. Plenaria valet pro partiali. Quonam opere et quotiens acquirantur.

381. - Nisi aliud expresse notetur, *plenaria* indulgentia *semel* tantum in die ; *partialis* vero *pluries* lucrifieri potest. (c. 928)

382. - Plenaria ita conceditur ut eam, pro sua dispositione, partialiter lucretur qui eam plenarie lucrari non possit. (c. 926)

383. - Nisi aliud statutum sit, illa operis exsecutione quae iam aliunde praecepta est, excepta tamen paenitentia sacramentali, indulgentiam consequi nequis ; neque uno eodemque opere plures indulgentias lucrari potes, nisi aliud expresse cautum sit ; vel opus requisitum sit confessio vel communio. (cc. 932-933)

Condicio visitationis.

384. - « Fideles qui perfectionis studio vel institutionis seu educationis aut etiam valetudinis causa, in domibus ecclesia vel publico sacello carentibus, de consensu Ordinariorum constitutis, vitam communem agunt ; itemque personae omnes ad illis ministrandum ibidem commorantes », condicioni visitandae ecclesiae *non determinatae* satisfaciunt visitando « propriae domus sacellum in quo obligationi audiendi sacrum iure satisfacere possunt ». (c. 929)

Perspicuis his clausulis constat id de indulgentia *Portiunculae* 2 aug. non valere, cum tunc definita ecclesia visitanda sit ; nec prodesse carcere detentis, cum diversa sit causa vitae communis ; et sufficere visitationem cuiuslibet oratorii semipublici in domo exstantis, quamvis aliud exstet principale.

Condicio confessionis et communionis.

385. - Requisita *confessio semper* utiliter peragitur intra octo dies qui diem cui affigitur indulgentia *immediate* praecedunt vel infra eius octavam ; *communio* vero in pervigilio eiusdem diei vel etiam intra subsequentem octavam. Et quae ad lucrandas indulgentias pro piis exercitiis in triduum, hebdomadam ductis praecipitur confessio et communio, utiliter etiam fit *intra octavam* quae exercitium expletum immediate sequitur.

Haec temporis octavae concessio novam benignae matris Ecclesiae gratiam exhibet.

Neque actualis confessio requiritur ab iis qui vel a) *solent* saltem bis in mense confiteri ; vel b) fere cotidie (idest quinquies in hebdomada) in gratia et cum pia mente communicare. Excipitur requisita confessio pro indulgentiis iubilaei ordinarii et extraordinarii, vel ad instar iubilaei. (c. 931)

Oratio ad mentem Pontificis.

386. - 1. Cum oratio in genere ad mentem Pontificis praescribitur, *mentalis* tantum oratio non sufficit ; quaelibet autem *vocalis* deligi potest, nisi peculiaris aliqua assignetur. (c. 934, 1)

Oratio praescripta.

2. Peculiaris autem praescripta quolibet idiomate recitari potest, « dummodo de fidelitate versionis constet ex declaratione vel *S. Paenitentiariae* vel unius ex Ordinariis loci ubi vulgaris est lingua in quam vertitur oratio » ; sed quaevis additio, detractio vel interpolatio tollit indulgentiam. (c. 934, 2)

Itaque typis edita versio huiusmodi testimonium ferre debebit. Quid autem si manuscriptam recites versionem ? Dummodo fidelis sit, id satis esse arbitramur, quia sola condicio fidelitatis sub antiquo iure requirebatur ut substantialis. (*Decr. auth.* n. 415.)

Recitatio cum socio.

387. - Ut indulgentias lucreris, satis est cum socio alternis partibus recitare praescriptam orationem aut eam mente prosequi, dum ab alio recitatur [v. g. actus consecrationis]. (c. 934, 3)

Facultas confessarii.

388. - Confessariis iam generalis facultas fit commutandi iniuncta opera in alia pro iis qui, legitimo detenti impedimento, eadem praestare nequeant. (c. 935)

Generalis ista facultas etiam ad indulgentias Portiunculae applicari posse videtur.

Privilegium mutorum et truncorum.

389. - 1. *Publicis* precibus indulgentias annexas muti lucrantur, si una cum ceteris fidelibus in eodem loco orantibus mentem ac pios sensus ad Deum attollant ; *privatas* vero orationes satis est ut mente recolant, signisve effundant vel oculis percurrant. (c. 936)

2. Recens etiam truncatis in bello provisum est ut « indulgentias pro quibus lucrandis recitatio precum una cum aliquo corporis actu iniungitur, quem mutilati peragere impares sunt, isti lucrari valeant, fusis dumtaxat precibus ». (Ex audientia SS. 22 oct. 1917.)

TITULUS V. - DE EXTREMA-UNCTIONE

(cc. 937-947)

N.-B. Clarissimae et utilissimae regulae quas Codex tribus capitibus : *De ministro* ; — *De subiecto;* — *De ritibus et caerimoniis Extremae-Unctionis* exponit, satis notae nobis videntur ut illas omittere hic possimus, et solum valde notabilem canonem 947 referre, quo haec habentur.

Unctiones et verba.

390. - Ordo Ritualis diligenter servandus est ; « in casu autem necessitatis sufficit unica unctio *in uno sensu* seu *rectius* in fronte cum praescripta forma breviori, salva obligatione singulas unctiones supplendi, cessante periculo ». (c. 947, 1)

Unctio renum semper omittatur ; unctio pedum ex qualibet rationabili causa omitti potest. (c. 947, 2. 3)

Extra casum *gravis necessitatis*, unctiones ipsa ministri manu, sine instrumento fiant. (c. 947, 4)

Ex notabili isto canone plura colligimus :

1. Certo valere unctionem forma breviori in uno sensu facta, quamvis rectius fiat in fronte ;

2. Iam ritu auferri unctionem renum quam, etiam 28 aug. 1889, *S. Officium* severe urgebat ; (*Collect.* ; *P. F.*, n. 1718.)

3. Pedum unctionem non iam esse sub gravi praeceptum. Haec pedum unctio non paucas apud Sinenses difficultates movit. De illa, stricta praeceperat synodus

Sutchuensis anni 1803, confirmata a Propaganda Fide, 29 iun. 1822 (*Collectanea* t. 2, p. 723.)

4. Ad valorem non requiri ut unctiones manu fiant.

Post unicam unctionem, sub forma breviori factam, notum est ceteras non condicionate sed absolute supplendas esse.

TITULUS VI. - DE ORDINE

(cc. 948-1011)

Introductio

Ordinis vis, divisio, significatio verborum.

391. - Ordo dicitur clericos a laicis distinguere ad fidelium regimen et cultus divini ministerium ; enumerantur solita ratione ordines maiores seu sacri et minores ; monemur denique verbis « *ordinare, ordo, ordinatio, sacra ordinatio* », tum episcopalem consecrationem tum ipsam primam tonsuram comprehendi, nisi aliud ex natura rei vel contexta oratione eruatur. (cc. 948-950)

Caput I. - De ministro sacrae ordinationis

Quis episcopos consecret

392. - 1. Episcopalis consecratio S. Pontifici reservatur, ita ut sine mandato pontificio nulli episcopum consecrare liceat ; consecrator autem duos alios episcopos adhibere debet, salva dispensatione apostolica. (cc. 953-954)

ordines conferat.

2. Vicarius ac Praefectus Apostolicus, abbas vel Praelatus *nullius* episcopo dioecesano aequiperantur, quod pertinet ad ordinationem, si charactere episcopali polleant. Si eo careant, possunt tamen in *proprio* territorio et *durante munere,* tonsuram et minores ordines conferre cum propriis subditis saecularibus, tum aliis qui litteras dimissorias iure requisitas exhibeant : extra hos fines peracta, ordinatio irrita fuerit. (c. 957)

Dum ergo abbas monasterii *invalide* non subditos ordinaverit, etiam litteris dimissorialibus instructos, Vicarius seu Praefectus Apostolicus et abbas *nullius* in territorio suo etiam alios debite dimissos ordinare possunt. Sed, extra territorium, omni facultate etiam subditos ordinandi destituuntur.

3. Abbas regularis de regimine [i. e. non titularis sed actu regens] primam tonsuram et ordines minores his qui ipsi saltem vi professionis simplicis subditi sunt conferre potest, si presbyter fuerit et benedictionem abbatialem legitime acceperit. Extra hos fines, ordinatio, revocato quolibet contrario privilegio, est irrita, nisi characterem episcopalem habeat. (c. 964, 1)

Quisnam proprius

393. - Proprius ordinationis minister, qui, nisi iusta causa impediatur, per se suos subditos, - non tamen orientalem, sine

ordinationis minister.

apostolico indulto, - ordinare debet, est episcopus dioecesis vel ei aequiperatus Praelatus quasi-dioecesis, in qua promovendus habeat domicilium una cum origine, vel domicilium simplex cum iurato animo manendi in perpetuum in dioecesi. Sufficit tamen simplex domicilium clerico qui per primam tonsuram dioecesi iam incardinatus est, vel alumno qui alius dioecesis servitio destinatur, vel religioso professo. (cc. 955. 956. 957)

De litteris dimissoriis pro saecularibus

394. - 1. Alienus subditus cum legitimis dimissoriis proprii Praelati licite ordinatur. (cc. 955-957. 962.)

2. Litteras dimissorias pro *saecularibus,* durante iurisdictione, dant, ex c. 958 :

a) Episcopus et Praelatus quasi-dioecesanus proprius, post adeptam possessionem, sed etiam ante consecrationem.

b) Vicarius generalis, ex speciali mandato episcopi ;

c) Vicarius capitularis de capituli consensu, post annum a sede vacante ; intra annum vero, solis artatis ratione beneficii recepti vel recipiendi aut ratione certi cuiuspiam officii cui, propter dioecesis necessitatem, sine mora providendum sit.

Codex artatos ratione solius officii nunc primum agnoscit.

Ne tamen Vicarius capitularis litteras det iis qui ab episcopo reiecti erant.

pro religiosis. Ordinatio regularium.

3. Litteras dimissorias pro *regularibus* dant : abbas monasterii sui iuris et Superior maior religionis exemptae. Sed professis a votis temporariis litteras istas dumtaxat ad primam tonsuram et ordines minores concedere possunt. (c. 964, 3)

« Ordinatio ceterorum omnium alumnorum cuiusvis religionis regitur iure saecularium, revocato quolibet indulto Superioribus concesso dandi professis a votis temporariis litteras dimissorias ad ordines maiores. » (c. 964, 4)

Postremam hanc sanctionem sic intellegimus. Si exemptos religiosos excipias, ceteri omnes ordinantur quasi saeculares ; nec proin dimissoriis Superiorum litteris opus habent. Qui tamen Superiores indultum seu privilegium habent has litteras dandi, eo uti poterunt, excepto tamen indulto quo possent ad ordines maiores professos votorum temporariorum dimittere.

Episcopus ad quem religiosi dimitti possunt definitur cc. 965. 966, sicut in superiore iure et cum iisdem exceptionibus ; sed c. 967 monet, ut Superiores caveant « ne in fraudem episcopi dioecesani subditum ordinandum ad aliam religiosam domum mittant, aut concessionem litterarum dimissorialium de industria in id tempus differant quo episcopus vel afuturus vel nullam habiturus sit ordinationem ». (c. 967)

Caput II. - De subiecto sacrae ordinationis.

Normae generales. Vis subsequentis impedimenti.

395. - Irregularitas vel aliud impedimentum quo ordinatio prohibeatur, exercitium susceptorum ordinum prohibet etiam si sine culpa post ordinationem subortum sit. (c. 968)

Soli saeculares utiles ordinandi sunt.

396. - Nullum saecularem, nisi quem necessarium vel utilem dioecesi iudicaverit episcopus ordinet. Ordinare tamen etiam potest subditum qui, in futurum, praevia legitima excardinatione et incardinatione, servitio alius dioecesis destinetur. (c. 969)

Prohibitio ascensus ad ordines.

397. - 1. Ex quavis *canonica* causa, occulta quoque, potest episcopus proprius vel Superior religiosus maior suis clericis etiam extraiudicialiter ascensum ad ordines interdicere, salvo recursu ad S. Sedem vel etiam ad moderatorem generalem. (c. 970)

Cautio de libertate.

2. « Nefas est quemquam, quovis modo, ob quamlibet rationem, ad statum clericalem cogere, vel canonice idoneum ab eodem avertere. » (c. 971.)

Institutio clericalis.

398. - Commoratio in seminario, a teneris annis commendata, praecipitur per integrum s. theologiae curriculum, « nisi Ordinarius, in casibus peculiaribus, gravi de causa, onerata eius conscientia, dispensaverit ». Aspirantes tunc pio et idoneo sacerdoti committantur « qui iis invigilet eosque ad pietatem informet ». (c. 972)

ART. I. - DE REQUISITIS IN SUBIECTO SACRAE ORDINATIONIS

Requisita in subiecto. Animus sacerdotii, aetas et studia theologica.

399. - 1. Tonsura et ordines illis tantum conferendi sunt qui propositum habeant et spem dent digni ascensus ad presbyteratum. (c. 973)

2. « Nemo, sive *saecularis* sive *religiosus* ad primam tonsuram promoveatur ante inceptum cursum theologicum. »

« Subdiaconatus ne conferatur ante annum vicesimum primum completum ; diaconatus ante vicesimum secundum completum ; presbyteratus ante vicesimum quartum completum. » (c. 975)

Praeterea, subdiaconatus ne conferatur nisi exeunte tertio cursus theologici anno ; diaconatus nisi incepto quarto anno ; presbyteratus nisi post medietatem eiusdem quarti anni. — Cursus porro theologicus non privatim sed in scholis ad id recte institutis peractus esse debet. (c. 976)

Lex ista, quod ad nondum susceptos ordines, iam omnes obligat qui in studiis sacris versantur, iis fortasse exceptis qui, anno 1917-18, tertium annum complebunt cursus theologici in tres annos distributi. Universalis enim lex quattuor theologiae annos imperans nunc primum canonibus 589 et 1365 continetur.

Interstitia.

400. - *Interstitia* sic praescribuntur : a) De peculiari tantum R. Pontificis licentia, minores ordines cum subdiaconatu duove sacri ordines uno eodemque die, reprobata quavis contraria consuetudine, conferantur ; immo nec primam tonsuram cum aliquo

ex ordinibus minoribus, vel ordines minores simul omnes conferre licet. (c. 978, 3.)

Non itaque reprobatur consuetudo coniungendi tonsuram cum minore ordine vel simul conferendi quattuor minores ordines. Centenaria itaque consuetudo servari poterit.

b) Interstitia inter primam tonsuram et ostiariatum, et inter minores ordines prudentiae episcopi permittuntur ; acolythus autem ne ordinetur subdiaconus antequam saltem per annum, nec subdiaconus fiat diaconus, aut diaconus presbyter antequam tres saltem menses in suo quisque ordine fuerint versati, nisi necessitas aut utilitas Ecclesiae, iudicio episcopi, aliud exposcat. (c. 978)

Hac potestate in interstitia, quam etiam aequiperatis quasi episcopis (c. 957) competere arbitramur, nulla facultas episcopo confertur dispensandi vel in aetate vel in studiis.

Titulus saecularium.

401. - 1. Deficientibus consuetis titulis beneficii, patrimonii aut pensionis, suppleri potest titulo *servitii dioeceseos,* et, in locis S. C. *de Propaganda Fide* subiectis, titulo *missionis,* ea tamen lege ut ordinandus, iure iurando interposito, se devoveat perpetuo dioecesis aut missionis servitio sub auctoritate Ordinarii loci pro tempore.

Sic promoto presbytero debet Ordinarius congruam sustentationem procurare ; sicut egenti alimenta debent, non obstante quavis pactione, tum ipsi qui suum subditum in sacris, citra apostolicum indultum, sine titulo ordinaverint vel ordinari permiserint, tum eorum successores.

« Ordinatus in sacris, si titulum amittat, alium sibi provideat nisi, iudicio episcopi, eius congruae sustentationi aliter cautum sit. » (c. 980)

Absoluta ergo obligatio non iam imponitur.

Titulus regularium.

2. « Regularibus stricte dictis, consuetus titulus *paupertatis ;* religiosis votorum simplicium perpetuorum, titulus *mensae communis, Congregationis,* aliusve similis, ad normam constitutionum tribuitur. Ceteri etiam quod ad titulum, saecularium iure reguntur. » (c. 982)

ART. II. - DE IRREGULARITATIBUS ALIISQUE IMPEDIMENTIS

Irregularitatis definitio

402. - *Irregularitas* est impedimentum canonicum de se perpetuum, quod per se primario ordinum susceptionem et secundario eorum exercitium prohibet. (cc. 968. 983)

Ex novo iure, haec definitio stricta fit et certa. Ab irregularitate enim probe distinguuntur defectus condicionis vel qualitatis communis in ordinandis requisitae, v. g. aetatis (c. 974), et impedimenta quae, mutatis adiunctis, sine dispensatione cessare possunt, v. g. status coniugalis, infamia facti.

Illae autem solae irregularitates vigent quae iure scripto continentur. (c. 983)

403. - Distinguuntur *tantum* in irregularitates *ex defectu* vel *ex delicto*. Hae, quamquam ad instar gravis poenae haberi possunt, primario sunt impedimenta, et, contra sententiam hucusque communem, sicuti aliae irregularitates et simplicia impedimenta, etiam ab ignorantibus incurruntur. (c. 988) *et divisio.*

Singulas causas irregularitatis ex verbis iuris proponemus, quae nova sint breviter indicantes.

404. - C. 984. « Sunt irregulares ex defectu : *Irregularitatis ex defectu causae.*

« 1°. Illegitimi, sive illegitimitas sit publica sive occulta, nisi fuerint legitimati vel vota sollemnia professi ; *Illegitimi natales.*

Liber baptismorum de legitimitate plenam fidem facit, quam non nisi *evidens* probatio contraria elidit.

« 2°. Corpore vitiati qui secure propter debilitatem, vel decenter propter deformitatem, altaris ministerio defungi non valeant. Ad impediendum tamen exercitium ordinis legitime recepti, gravior requiritur defectus, neque ob hunc defectum prohibentur actus qui rite poni possunt ; *Corporis vitium.*

Clarioribus verbis multa veterum dubia solvuntur. Qui *secure* et *decenter* altaris ministerio fungitur non est ab ordinibus recipiendis removendus : recepti autem ordinis exercitium favore etiam maiore gaudet. Per aliquot annos mutilationes non nullae admirationem potius conciliabunt quam cient mirationem : ideoque vel nullam requirent dispensationem vel eam multo facilius impetrabunt. Difformitatis enim, ac proinde decentiae, saltem intra certos limites varia pro variis temporum vel locorum adiunctis ratio habetur. De « oculo canonico » autem non erit iam disputandum.

« 3°. Qui epileptici vel amentes vel a daemone possessi sunt vel fuerunt ; quod si post receptos ordines tales evaserint et iam liberos esse certo constet, Ordinarius potest suis subditis ordinum exercitium rursus permittere ; *Epilepsis, amentia, possessio a daemone.*

Severior facta est utraque pars canonis, quae sanationis ante receptos ordines nullam rationem habet, post receptos ordines effectum Ordinarii prudenti iudicio permittit.

« 4°. Bigami, qui nempe duo vel plura matrimonia valida successive contraxerunt [bigamia vera] ; *Bigamia.*

« 5°. Qui infamia iuris notantur ; *Infamia iuris.*

« 6°. Iudex qui mortis sententiam tulit ; *Defectus lenitatis in iudice*

Huic defectui obnoxii non sunt « iurati », qui de sola facti veritate iudicant (Cod. proc. crim. a. 342); immo nec ipse iudex in regionibus ubi mortis sententia exsecutioni non mandatur ; non enim ad mortem hominis concurrit, quae est huius irregularitatis causa (1).

« 7°. Qui munus carnificis susceperint eorumque voluntarii ac immediati ministri in exsecutione capitalis sententiae. » *et carnifice.*

His non sunt accensendi qui ipsum tabulatum erigunt nec milites qui,

(1) Cf. GASPARRI, *De sacra ordinatione*, I, n. 451 ss.

munere coacti, reum occidunt. Quam restrictus fuerit *defectus lenitatis* legenti statim patet.

Irregularitatis ex delicto causae.

405. - C. 985. « Sunt irregulares ex delicto :

« 1°. Apostatae a fide, haeretici, schismatici ;

Fidei negatio.

Haereticis et schismaticis qui etiam bona fide sectae haereticae erant ascripti dispensatio ad cautelam erit concedenda.

Baptismus ab acatholicis receptus.

« 2°. Qui, praeterquam in casu extremae necessitatis, baptismum ab acatholicis quovis modo sibi conferri siverunt ;

Acatholici, nullo verbo addito, stricte dicendi sunt baptizati qui in haeresi vel in schismate vivunt, non infideles : sensum enim latiorem verbis « acatholicis quibuscumque » haud semel indicat Codex (v. g. c. 1099, 2°), et favorem haereticae sectae concessum simul ac perversionis periculum praesertim vult excludere. *Quovis modo*, i. e. sive ritibus sectae adhibitis, sive nullo speciali ritu. Haec irregularitas est nova.

Matrimonii sacrilegi vel adulterini celebratio vel attentatio.

« 3°. Qui matrimonium attentare aut civilem actum tantum ponere ausi sunt, vel ipsimet vinculo matrimoniali vel ordine sacro aut votis religiosis etiam simplicibus ac temporaneis ligati, vel cum muliere iisdem votis astricta aut matrimonio coniuncta ;

Irregularitas ex attentato matrimonio sacrilego multo severius determinatur cum ad vota etiam simplicia, religiosa tamen, extendatur. Non attingitur tamen persona quae aliis votis religiosis soluta, solo voto castitatis teneretur, quod iam non esset « *religiosum* » votum.

Additur irregularitas ex attentatione matrimonii adulterio infecti.

Homicidium et abortus.

« 4°. Qui voluntarium homicidium perpetrarunt aut fetus humani abortum procuraverunt, effectu secuto, omnesque cooperantes ;

Verba « effectu secuto, omnesque cooperantes » ad utrumque membrum sunt referenda, cum ex loco suo, tum ex veteris iuris determinatione, quam in dubio sequi iubemur. Negativos cooperatores plecti non censemus : eos enim doctores excusabant nec stricte cooperantur.

Cum canon de fetu « humano » loquatur, ad disputationes mere historicas amandat distinctionem inter marem et feminam quam urgebant in textibus iuris, in quibus de fetu *animato* agebatur.

Mutilatio vel vis propriae vitae illata.

« 5°. Qui seipsos vel alios mutilarunt vel sibi vitam adimere tentaverunt ;

Exercitium vetitae medicinae a clerico.

« 6°. Clerici medicam vel chirurgicam artem sibi vetitam exercentes, si exinde mors sequatur ;

Hac restrictione fere supprimitur irregularitas eorum qui *homicidii casualis* causa fuerunt.

Exercitium ordinis, violata poena ecclesiastica.

« 7°. Qui actum ordinis, clericis in ordine sacro reservatum, ponunt, vel eo ordine carentes, vel ab eius exercitio poena canonica, sive personali, medicinali aut vindicativa, sive locali prohibiti. »

Duplici modo extenditur irregularitas ex illicito ordinis sacri exercitio. Ad laicos enim extenditur : nam lex inter ipsos et clericos iam non distinguit : et afficit illos clericos qui non censurae tantum sed poenae quoque vindicativae (v. g. suspensionis ad tempus definitum) violatione ordinem exercent.

406. C. 986. « Haec delicta irregularitatem non pariunt, nisi fuerint gravia peccata, post baptismum patrata, salvo praescripto c. 985, n. 2, itemque externa, sive publica sive occulta. »

Quid a contrahenda irregularitate ex delicto excusat ?

Quidquid ergo a peccato gravi immunem facit, ab irregularitate ex delicto excusat, v. g. *aetas*, *metus gravis* et *vis*, saltem plerumque, si de lege mere ecclesiastica agitur, *ignorantia legis* non affectata, etc.

Impuberes plerique excusabant : ex ipsis delictis supra citatis patet illos vix hanc irregularitatem posse incurrere.

Suppressae causae irregularitatis.

Suppressa est irregularitas *ex iterata collatione baptismi* et *ex bello*, qua tali saltem, cum ex participatione voluntaria in bello certe iniusto reus quis fieri possit homicidii voluntarii.

407. - C. 987. « Sunt simpliciter impediti :

Impedimenta ex natalibus,

« 1°. Filii acatholicorum, quamdiu parentes in suo errore permanent ;

Eorundem filii et nepotes erant antea irregulares. Morte parentum non cessare impedimentum ex veteris iuris interpretatione censemus.

matrimonio,

« 2°. Viri uxorem habentes ;

negotiis prohibitis,

« 3°. Qui officium vel administrationem gerunt clericis vetitam cuius rationem reddere debeant, donec, deposito officio et administratione atque rationibus redditis, liberi facti sint (cf. c. 139, 3) ;

servitute,

« 4°. Servi servitute proprie dicta ante acceptam libertatem ;

servitio militari,

« 5°. Qui ad ordinarium militare servitium civili lege astringuntur, ante quam illud expleverint ;

Ordinarium militare servitium non obeunt qui, ipsa lege, curam tantum aegrotorum gerere coguntur ; nec *ordinario* servitio comprehenduntur exercitia annua, quibus omnes, post finitum servitium, ut aiunt, *activum*, astringuntur. (Cf. Decr. S. C. *de Rel.* 1 ian. 1911 (1).

fidei confirmatae, defectu.

« 6°. Neophyti, donec, iudicio Ordinarii, sufficienter probati fuerint ;

infamia facti.

« 7°. Qui infamia facti laborant, dum ipsa, iudicio Ordinarii, perdurat. »

Multiplicis irregularitatis causae.

408. - 1. *De multiplici irregularitate*, claris verbis proponitur sententia quam, *fere* iisdem verbis cum D'ANNIBALE tenebat GÉNICOT, *Theol. mor.* II, n. 631, scil. « Irregularitates et impedimenta multiplicantur ex diversis eorum causis, non autem ex repetitione eiusdem causae, nisi agatur de irregularitate ex homicidio voluntario. » (c. 989)

Huic accensendum esse abortum fetus humani verisimile est : abortus enim non dicitur nisi viventis fetus. Contra tamen atque in c. 985, 4°, solum homicidium hic memoratur.

2. *De facultate dispensandi.*

Facultas concessa Ordinariis.

Potestas *ordinaria* dispensandi ab irregularitatibus ex *defectu* vel *impedimentis* nemini conceditur nec videtur necessaria. Episcopi enim ex facultatibus quinquennalibus, Ordinarii Religiosorum ex privilegiis

(1) A. A. S. t. 3 (1911), p. 37. PER. t. 5, p. 282 ss.

sufficienti gaudent potestate ut casibus *dubiis* vel *urgentibus* possint providere.

Licet *Ordinariis* per se *vel per alium* suos subditos dispensare ab irregularitatibus omnibus *ex delicto occulto* provenientibus, excepta ea quae ex homicidio vel abortu voluntario oritur aliave deducta ad forum iudiciale.

regularibus, *Regularibus* sua manent privilegia, etiam per communicationem acquisita.

omnibus confessariis. 3. *Confessariis omnibus* confirmatur facultas dispensandi in irregularitatibus omnibus *ex delicto* ortis « *in casibus occultis urgentioribus* in quibus Ordinarius adiri nequeat et periculum immineat gravis damni vel infamiae, sed ad hoc dumtaxat ut paenitens ordines iam susceptos licite exercere valeat » (c. 990). (Cf. Decret. *S. Officii*, 6 sept. 1909.) (1) Excipitur homicidium voluntarium vel abortus.

4. Confessarius est sacerdos ad confessiones audiendas approbatus ; facultatem etiam extra actum confessionis exercere potest, sed per se ipse tantum, ut videtur, quamvis verba « eadem facultas » ampliorem interpretationem admittant. Denique, post datam dispensationem ad ordines exercendos, nullus recursus ad S. Sedem vel Superiorem imponitur.

Ab irregularitate ex homicidio vel abortu occulto servanda periculum infamiae saepe excusabit ; quantocius tamen ad Superiorem competentem erit recurrendum, cum facultas sive Ordinariis sive confessariis facta ad illam non extendatur.

Dispensationis generalis effectus. 5. Invalida est dispensatio *generalis :*

a) pro reticitis *mala fide* irregularitatibus vel impedimentis ;

b) pro reticitis *etiam bona fide* irregularitate ex homicidio vel abortu voluntario aut horum delictorum numero.

Etiam post dispensationem generalem ad ordines recipiendos nequit dispensatus renuntiari S. R. E. Cardinalis, episcopus, abbas vel Praelatus *nullius*, Superior maior in religione clericali exempta. (c. 991)

Caput III. - De iis quae sacrae ordinationi praeire debent

Quaenam praestanda sint. **409.** - Praeter tempestivum *nuntium* episcopo dandum de suo ordines recipiendi proposito (c. 992), promovendi *testimoniales litteras* afferre debent ; et Codex praeterea de ipsis praescribit *examen, banna, investigationem Ordinarii, exercitia spiritualia.* De singulis pauca.

Testimoniales litterae afferendae a saecularibus vel aequiperatis religiosis. **410.** - Saeculares et religiosi qui, in ordinatione, priorum iure reguntur, cc. 993. 994, afferre iubentur :

Testimonium ultimae ordinationis, aut, si de prima tonsura agatur, recepti baptismi et confirmationis ;

(1) A. A. S. t. 1. (1909), p. 677.

Testimonium de peractis studiis quae canone 976 pro singulis ordinibus requiruntur ;

Testimonium rectoris seminarii aut sacerdotis cui candidatus extra seminarium commendatus fuerit, de bonis eius moribus ;

Testimoniales litteras Ordinarii loci in quo, post pubertatem, promovendus *trimestre* qua miles, vel *semestre* qua clericus vel simplex laicus moratus fuerit. Atque episcopus ordinans, pro sua prudentia, exigere potest litteras testimoniales etiam ob brevius commorationis tempus et ob tempus quod pubertatem antecessit. Testimoniales litterae fidem faciunt nullum impedimentum canonicum a candidato contractum esse. Si Ordinarius loci candidatum nimis ignoraverit ut hanc fidem facere possit, aut si ipse promovendus per tot dioeceses vagatus sit ut impossibile aut nimis difficile evadat omnes litteras dimissorias exquirere, provideat Ordinarius saltem per iuramentum suppletorium a promovendo praestandum. Si post obtentas litteras et ante ordinationem promovendus in eodem territorio rursus per tres vel sex menses (pro casu) moratus sit, novae testimoniales litterae Ordinarii loci necessariae sunt.

Testimoniales Superioris maioris religiosi, si cui religioni promovendus ascriptus sit.

Tempus commorationis intellegitur *moraliter continuum ;* agitur enim, ut ex can. 994, § 3 fit manifestum, de aliquo qui in eodem territorio per tempus istud manserit ; et consonat responsum S. C. *Concilii* 25 iun. 1904 (1).

Episcopus ordinans qui litteras testimoniales severius exigere potest, tam is est cuius auctoritate ordinationes fiunt, id est, regulariter Ordinarius loci, quam ipse ordinans qui depellendi suspicionem ab ordinando suo ius et officium habet ; dum vero agitur de iuramento quo litterae supplendae sint, id solius Ordinarii loci prudentiae permittitur.

His dispositionibus ius pristinum aliquantisper temperatur, quatenus litterae pro tempore ante pubertatem regulariter exigendae non sunt ; et Ordinarius loci remedium habeat supplendi litteras.

411. - Religiosi qui iure saecularium non reguntur afferre debent litteras dimissorias Superioris religiosi, quibus is non solum de qualitate et domicilio ordinandi sed etiam de studiis aliisque requisitis fidem faciat. *Afferendae a religiosis aliis.*

Acceptis litteris dimissorialibus, episcopus aliis testimonialibus non indiget. (c. 995)

Episcopus alia testimonia rationabiliter petere non prohibetur.

Hoc itaque signo religiosi qui proprio iure reguntur ab iis qui saecularium iuri obnoxii sunt, distinguuntur, quod priores a propriis Superioribus dimissorias litteras accipiunt.

412. - *Omnis* promovendus examen de ordine suscipiendo ; pro- *Examen.*

(1) Per. t. 2, p. 118.

movendus *ad sacros ordines* etiam in aliis de s. theologia tractationibus ea ratione [id est, qua methodo, coram quibus et in quibusdam tractationibus] quam episcopus definiverit, periculum facere debet. (c. 996)

Sive pro saecularibus sive pro religiosis, examen istud recipit loci Ordinarius qui *iure proprio* ordinat aut dat litteras testimoniales ; is tamen potest quoque, ex iusta causa, examen episcopo ordinaturo committere qui id oneris suscipere velit.

Episcopus alienum subditum, sive saecularem sive religiosum ordinans cum legitimis litteris dimissoriis, quibus asseritur candidatum examinatum fuisse et idoneum repertum, huic attestationi acquiescere potest sed non debet ; « et si pro sua conscientia censeat candidatum non esse idoneum, eum ne promoveat ». (c. 997)

Itaque modus, materia examinis etiam pro exemptis ab episcopo definiuntur ; episcopus autem ille per se est ad quem regulares litteras dimissorias mittere debent : is enim eos iure proprio ordinat. Pro exsecutione autem, contentus esse potest examine quod, secundum rationem praescriptam, ipsi Superiores religiosi constituerint.

Quid autem, si Ordo privilegio fruatur suos ad quemlibet episcopum dimittendi? Ius examinis episcopo qui, nisi esset privilegium, iure proprio ipsos ordinaret manere arbitramur. Sed privilegium exemptionis ab episcopali examine huiusmodi privilegium satis consequenter sequitur. Episcopo tamen ordinanti restat facultas exigendi examen quam can. 997 etiam ei tribuit qui alienum subditum ordinat.

Banna.

413. - Exceptis religiosis a votis *perpetuis*, nomina promovendorum ad sacros ordines publice denuntiandi sunt in paroeciali cuiusque candidati ecclesia, die festo de praecepto inter missarum sollemnia, aut alia die et hora quibus maior populi frequentia in ecclesia habeatur. (c. 998, 1. 2)

Ordinarius, ex iusta causa, potest tum ab illa publicatione dispensare, tum praecipere ut etiam in aliis ecclesiis fiat, aut ei substituere publicam ad valvas ecclesiae affixionem per aliquot dies, in quibus unus saltem dies festus comprehendatur. (c. 998, 1)

Post sex elapsos menses sine peracta ordinatione, publicatio iteranda est, nisi aliter Ordinario videatur. (c. 998, 3)

Patet fideles obligari ut ante ordinationem Ordinario vel parocho impedimenta revelent. (c. 999)

Investigatio Ordinarii

414. - Ordinarius utiles percontationes facere debet ; et praecipue parocho qui publicationem peragit vel etiam alii committere, ut de ordinandorum moribus et vita diligenter exquirat et litteras testimoniales de investigatione et publicatione ad curiam transmittat. (c. 1000)

Exercitia spiritualia.

415. - *Omnibus*, etiam religiosis, imponuntur c. 1001, ante primam tonsuram et ordines minores, exercitia spiritualia per tres saltem integros dies ; ante ordines sacros, saltem per sex integros dies. Si qui, intra semestre ad plures sacros ordines promovendi sint, Ordinarius

potest tempus pro ordinatione ad diaconatum reducere, non tamen infra tres integros dies.

Exercitia iterari debent si, post ea expleta, ordinatio ultra sex menses dilata sit : si minor dilatio fuerit, iudicet Ordinarius de iterandis vel non exercitiis.

De peractis exercitiis, episcopus certior fiat testimonio Superioris domus ubi peracta sint, vel, si, agatur de religiosis, attestatione proprii Superioris maioris.

Hactenus ius pontificium solis clericis saecularibus qui in Urbe ordinabantur exercitia spiritualia (et quidem per decem dies) ante singulos ordines maiores imponebat.

Ordinarius cui, in isto canone, varia definienda committuntur est Ordinarius loci, et, pro religiosis exemptis, Superior maior.

Superior religiosus itaque, in suis litteris dimissoriis, etiam peracta exercitia testari debebit.

Privilegio autem vel indulto quo plures ordines maiores serie continua recipi permittantur, a multiplicandis exercitiis tacite dispensatur.

Caput IV. - De ritibus et caerimoniis sacrae ordinationis

Varia praescripta.

416. - Haec pauca de ritibus ex cc. 1002-1005 observanda sunt.

1. Ab ipso ministro ordinationis vel consecrationis episcopalis missa ordinationis vel consecrationis celebranda est ;

2. Promoti ad maiores ordines sacram dapem in missa ordinationis recipere debent ;

3. Is qui ritu orientali quosdam ordines receperit et dein a Sede Apostolica indultum obtinuerit ad suscipiendos ritu latino maiores ordines, prius, ritu latino, recipere debet ordines quos ritu orientali nondum receperit.

I. e. cum Ecclesia graeca ex quattuor minoribus Ecclesiae latinae ordinibus solum lectoratum formaliter seu distincte conferat, qui diaconatum vel presbyteratum ritu latino recepturus sit, prius ordines formaliter praetermissos, ut omnis species saltus vitetur, recipere debebit.

Caput V. - De tempore et loco sacrae ordinationis

Ordinationis tempus.

417. - De *tempore* s. ordinationis, c. 1006, disciplina superior confirmatur, his paucis exceptis :

1. Ipso iure, ob gravem causam, potest episcopus ordinationes in sacris quolibet die dominico aut festo de praecepto habere ;

2. Ordines minores conferri poterunt singulis diebus dominicis et festis duplicibus, mane tamen ;

3. Reprobatur consuetudo contra ordinationum tempora Codice praescripta.

Festa de praecepto ea intellegenda sunt quae alicubi ex privilegio servanda sunt et ea quae ex Codice ubique per se vigent, quamvis in loco ordinationis dispensentur. Sic enim, pro ordinationibus, festa de praecepto intellegi consueverunt. Catalogi autem Urbani VIII iam nullus respectus habendus est.

Ex modo dein quo Codex festa duplicia a festis de praecepto distinguit, festa duplicia iam intellegenda sunt festa omnia quae in choro ritu duplici celebrantur (contra ac declaraverat S. Rituum Congregatio 12 nov. 1831).

Usus autem Hollandiae conferendi (extra tempora) ordines maiores festo duplici non praecepto, omnino deserendus est, cum consuetudo reprobetur.

Tempus iteratae ordinationis.

418. - Iteratio autem ordinationis vel ritus supplendus, absolute aut condicionate, potest semper extra tempora et secreto peragi. (c. 1007)

« Extra tempora » hic tantum valet quantum omni die quo missa celebrari potest.

Ordinatio extra dioecesim.

419. - Cum soli Cardinales pontificalia ubique exercere possint (c. 239, § 1, 15°), episcopi non-Cardinales non possunt, sine Ordinarii loci licentia, etiam subditis suis ordines conferre in quorum collatione pontificalia exercentur. (c. 1008)

N. B. De loco ordinationum, de quo c. 1009, nihil observandum occurrit.

Caput VI. - De annotatione ac testimonio peractae ordinationis

Annotatio.

420. - 1. Codice praecipitur accurata descriptio omnium ordinationum peractarum in peculiari libro, in archivo curiae loci ordinationis servanda, in quo etiam ii annotandi sunt qui ab episcopo extraneo cum litteris dimissoriis ordinati sunt. (c. 1010)

Significatio.

2. Praeterea, loci Ordinarius, si agitur de saecularibus ; Superior maior, si de religiosis ordinatis cum suis litteris dimissorialibus, notitiam celebratae ordinationis uniuscuiusque subdiaconi transmittere debent ad baptismi parochum, in libro baptizatorum referendam. (c. 1011)

TITULUS VII. - DE MATRIMONIO

(cc. 1012-1143)

Matrimonii notio,

421. - *Sacramentum* est ipse contractus matrimonialis inter baptizatos (c. 1012). Matrimonii *finis* primarius est procreatio atque educatio prolis ; secundarius, mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae ; essentiales autem *proprietates*, unitas et indissolubilitas. (c. 1013)

iuris privilegium,

« Matrimonium gaudet favore iuris ; quare in dubio standum est pro valore matrimonii, donec contrarium probetur », salvo tamen favore quo gaudet privilegium fidei. (cc. 1014. 1127)

nomina.

Matrimonium inter fideles valide celebratum vocatur *ratum* vel *ratum et consummatum ;* inter infideles autem, *legitimum.* (c. 1015)

Probabilior sententia negat ratum esse matrimonium quod inter fidelem et infidelem, etiam cum dispensatione, initur.

Sponsalium validorum condiciones

422. - « Matrimonii promissio sive *unilateralis* sive *bilateralis* seu sponsalicia, irrita est *pro utroque foro,* nisi facta fuerit per scripturam subsignatam a partibus et vel a parocho aut loci Ordinario vel a duobus saltem testibus. » — « Si utraque vel alterutra pars scribere *nesciat* vel *nequeat,* ad validitatem id in ipsa scriptura notetur et alius testis addatur. » (c. 1017)

Ita matrimonii promissionis *cuiuslibet*, quae forma sollemni praescripta non sit facta, nullum *etiam in conscientia* valorem esse clare enuntiatur.

et effectus.

Ut matrimonii libertati faveat, ius ecclesiasticum nullam ex qualibet promissione matrimonii actionem ad petendum matrimonium concedit, sed tantum ad reparationem damnorum, si qua debeatur. (c. 1017)

Caput I. - De iis quae matrimonii celebrationi praemitti debent et praesertim de publicationibus matrimonialibus

423. - Quae sint praesertim partes parochi hic dicemus.

Quando Ordinarius loci a parocho adeundus ante celebrationem matrimonii.

1. Matrimonio ne assistat, nisi Ordinarii petito consilio vel assensu :

a) si pars per sex menses alio in loco commorata sit post adeptam pubertatem (c. 1023), vel si aliqua suspicio sit de contracto impedimento... etiam pro breviore commoratione... ; (ibid).

b) ad faciendas proclamationes matrimonii cum dispensatione disparitatis cultus aut mixtae religionis ineundi ; (c. 1026)

c) si, re accurate investigata, dubium de exsistentia impedimenti superesse prudenter iudicaverit ; (c. 1031)

d) si detegatur post incoeptas publicationes impedimentum publicum a quo non sit impetrata dispensatio in foro externo ; (c. 1031)

e) excepto casu necessitatis, si nupturientium alter sit vagus, id est *nullibi* habeat domicilium vel quasi-domicilium ; (c. 1032)

Idque faciendum censemus, etsi omnino vagus menstruam commorationem in paroecia habeat.

f) si minorennes, insciis aut rationabiliter invitis parentibus, velint nuptias inire ; (c. 1034)

g) si agitur de matrimonio mixto, « ubi certe noverit » sponsos adivisse vel adituros, sive per se sive per procuratorem, ministrum acatholicum, *uti sacris addictum*, ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum. Hoc enim semper sub gravi facere prohibentur. Effectuum civilium gratia, minister acatholicus qui tantum officialis civilis munere fungatur adiri non vetatur. (c. 1063)

h) si alter nupturientium notorie aut catholicam fidem abiecit... aut societatibus ab ecclesia damnatis ascriptus est ; (c. 1065)

« si publicus peccator aut censura notorie innodatus ante matrimonium ad sacramentalem confessionem accedere aut cum Ecclesia reconciliari recuset ; » (c. 1066)

k) si matrimonium per procuratorem contrahendum sit et tempus suppetat. (c. 1091)

Quae status libertatis probatio in mortis periculo exigenda ? De matrimonii publicationum auctore, numero et modo.

2. « In periculo mortis, si aliae probationes [de cuiuslibet impedimenti absentia] haberi nequeant, sufficit, nisi contraria adsint indicia, affirmatio iurata contrahentium, se baptizatos fuisse nec ullo detineri impedimento. » (c. 1019)

424. - 1. Matrimoniorum publicationes fieri debent a parocho proprio, sc. domicilii aut quasi-domicilii utriusque nupturientium (c. 1023), et repetendae sunt, si intra sex menses matrimonium non celebratum fuerit. (c. 1030)

2. Ordinario, pro sua prudentia, facultas fit :

a) exigendi ut fiant in locis quoque ubi alter nupturientium ultra sex menses post adeptam pubertatem commoratus sit vel minus tempus, si dubium sit de contracto impedimento ; (c. 1023)

b) iisdem substituendi publicam, ad valvas ecclesiae paroecialis aliusve ecclesiae, affixionem nominum contrahentium per spatium saltem octo dierum, ita tamen ut hoc spatio duo dies festi de praecepto comprehendantur ; (c. 1025)

Dies festi ex novo catalogo aestimandi sunt ; sed, in casu, sunt etiam dies dominici et festi in aliquo loco non vigentes, si populus frequens missae assistat.

c) ab iis faciendis vel repetendis, *etiam in aliena dioecesi*, dispensare. (cc. 1028. 1030)

Quid si dubium vel certum impedimentum detegatur ?

3. In dubio de exsistentia impedimenti, prudenter et discrete investiget parochus ; sed nisi publicum impedimentum, cuius dispensatio in foro externo non obtenta fuerit, detegatur ante incoeptas proclamationes, hae peragantur vel perficiantur. (c. 1031)

Matrimonium, sine rationabili causa, ne celebretur nisi tres dies decurrerint ab ultima proclamatione. (c. 1030)

425. - Iubentur « catholici, qui sacramentum confirmationis nondum receperint, illud, antequam ad matrimonium admittantur, recipere, si id possint sine gravi incommodo ». (1021) *Quae sacramenta ante matrimonium recipienda?*

Statuta dioecesana confessionem *per modum impedimenti* praecipere non possunt : de qua re dubitabant quidam canonistae. (Cf. GASPARRI, *de Matrimonio*, n. 230.)

Caput II. - De impedimentis in genere

I. NOTIONES GENERALES

426. - 1. Supremae auctoritati ecclesiasticae privative ius est constituere aut abrogare impedimenta matrimonii pro baptizatis ; omnisque consuetudo contraria reprobatur. (cc. 1 1038. 2 1040. 3 1041 4) *De impedimentorum auctore.*

Episcopo tamen ius manet interponendi *vetitum* omnibus in suo territorio actu commorantibus et suis subditis etiam extra fines sui territorii, « in casu particulari, sed ad tempus tantum, iusta de causa eaque permanente », et sine clausula irritante. (c. 1039)

2. Non suppressa distinctione inter impedimenta *natura* vel *facto* publica vel occulta (cf. c. 1971, 2°) statuitur « publicum censeri impedimentum quod probari in foro externo potest : secus est occultum ». (c. 1037) *Quod impedimentum publicum dicendum est?*

Iuxta praxim SS. CC. publicum habetur impedimentum quod in oppido plus quam sex personis, in civitate plus quam octo cognoscitur, nisi tales sint a quibus nulla divulgatio sit timenda (1). His impedimentis licet, a fortiori, quae de delicto dicuntur applicare. *Publicum* erit si « iam divulgatum est aut talibus versetur in adiunctis ut prudenter iudicari possit et debeat facile divulgari » (cf. c. 2197) ; praeterea si de ipso habeatur testimonium « unius testis qui deponat de rebus ex officio gestis », v. g. parochus de suo libro baptismatum, aut si « duae vel tres personae omni exceptione maiores, possint et velint de ipso sub iuramenti fide, de scientia propria testificari ». (Cf. c. 1791)

3. Plura facta sunt *impedimenta gradus minoris,* a quibus scil. dispensatio « nullo sive obreptionis sive subreptionis vitio irritatur, etsi unica causa finalis in precibus exposita falsa fuerit » (c. 1054). Sunt autem sequentia : *De impedimentis gradus minoris.*

1°. consanguinitas in 3° gradu lineae collateralis ;

2°. affinitas in 2° gradu lineae collateralis ;

3°. publica honestas in 2° gradu ;

4°. cognatio spiritualis ;

5°. crimen ex adulterio cum attentatione vel promissione matrimonii etiam per civilem tantum actum. (c. 1042)

4. « Quamquam impedimentum ex una tantum parte se habet, matrimonium tamen reddit aut illicitum aut invalidum. » (1036) *Impedimenti communicatio.*

(1) Cf. GASPARRI, *De Matrimonio*, I. n. 261 ss.

Igitur si fidelis cum infideli, vel catholicus cum acatholico contrahit, impedimenta, quibus prior afficitur, alteri parti communicantur, dum fideli vel catholico libertas, qua infidelis vel acatholicus fortasse gaudebat non communicatur.

II. DE DISPENSATIONIBUS

Amplae dispensandi facultates:

427. - *De extraordinariis facultatibus.* (cc. 1043-1045)

1. Ampliores facultates factae in favorem *omnium* nupturientium quorum alter in urgenti mortis periculo versatur, inutilem fecerunt mentionem concubinariorum periculose decumbentium.

urgente mortis periculo,

2. *De adiunctis* in quibus conceduntur amplissimae facultates.

a) Urgente mortis periculo, ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimationi prolis ;

in casu « perplexo »

b) quotiens impedimentum detegatur cum iam omnia sunt parata ad nuptias, nec matrimonium, sine probabili gravis mali periculo, differri possit usquedum a S. Sede dispensatio obtineatur (casus perplexus) ;

ad matrimonium in casu urgente convalidandum.

c) « pro convalidatione matrimonii iam contracti, si idem periculum sit in mora nec tempus suppetat recurrendi ad S. Sedem », modo scandalum removeatur, et, si dispensatio concedatur super cultus disparitate aut mixta religione, praestentur consuetae cautiones (quae *altera* condicio *ad validitatem* requiritur).

Facultatum ambitus quod ad impedimenta,

3. *De ipsis facultatibus.*

Facultas conceditur dispensandi tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super *omnibus* et singulis impedimentis iuris ecclesiastici (ergo etiam prohibentibus) sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus, exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta, *consummato matrimonio* (quae aequivalet affinitati ex copula licita veteris iuris).

sacerdotes, quibus conceduntur,

4. *Quis concessis facultatibus uti possit ?*

a) *Ordinarius loci* in tribus supradictis casibus et sine restrictione ;

b) *in urgenti mortis periculo,* si ne loci quidem Ordinarius adiri possit : *parochus ;*

sacerdos, qui, deficiente parocho vel sacerdote delegato, matrimonio assistat ;

confessarius, sed hic pro foro interno et in actu tantum sacramentalis confessionis ;

c) *in casu perplexo* aut *ad convalidandum matrimonium,* si ne loci quidem Ordinarius adiri possit vel nonnisi cum periculo violationis secreti : *iidem sacerdotes,* sed pro casibus occultis tantum (c. 1045). De occulto impedimento cf. n. 426, 2.

subiecta.

5. *In quasnam personas extendatur usus facultatum.*

Illis uti possunt a) *Ordinarius loci* et *parochus, qua tales,* « erga

omnes proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes ».

b) *sacerdos,* assistens sine delegatione, erga illos quorum matrimonio assistit ;

c) *confessarius* erga omnes paenitentes.

Parochus aut sacerdos assistens matrimonio qui, urgente mortis periculo, usus est his facultatibus, « de concessa dispensatione pro foro externo Ordinarium loci statim certiorem faciat, eaque annotetur in libro matrimoniorum ». (c. 1046)

428. - *De aliis dispensationibus.*

Haec praesertim notanda sunt :

Dispensationis S. Paenitentiariae in utroque foro usus.

1. « Nisi aliud ferat *S. Paenitentiariae* rescriptum, dispensatio in foro interno *non sacramentali* concessa super impedimento occulto annotetur in libro diligenter in secreto curiae archivo servando ; *nec alia dispensatio pro foro externo* est necessaria, etsi postea occultum impedimentum publicum evaserit ; sed est necessaria si dispensatio concessa fuerat tantum in foro interno *sacramentali.* » (c. 1047)

Causae a SS. iudicandae praeventio.

2. Missa dispensationis petitione ad S. Sedem, Ordinarii suis facultatibus ne utantur, nisi gravis causa urgeat ; et de ea re quam primum S. Sedes moneatur. (cc. 1048. 204)

De potestate dispensandi a multiplici impedimento.

3. *De multiplici impedimento.*

Statuitur iam principium generale iuxta quod ii qui *indulto generali* gaudent dispensandi, eo uti possunt sive idem impedimentum sit multiplex, sive plura occurrant simul impedimenta, etiam publica. (c. 1049)

Ubi tamen pro uno e pluribus impedimentis deficit facultas, pro omnibus ad S. Sedem recurri debet. Si vero post concessam super aliis a S. Sede dispensationem detegantur impedimentum vel impedimenta super quibus dispensandi facultas habebatur, huius usus fiat, omisso novo recursu. (c. 1050)

Quid si error de gradu consanguinitatis vel affinitatis irrepserit ?

4. « Dispensatio ab impedimento consanguinitatis vel affinitatis concessa in aliquo impedimenti gradu valet, licet in petitione vel in concessione error circa gradum irrepserit, dummodo gradus re vera exsistens sit inferior, aut licet reticitum fuerit aliud impedimentum eiusdem speciei in aequali vel inferiori gradu. » (c. 1052)

De effectu dispensationis in legitimationem prolis vel impedimentum criminis.

5. « Per dispensationem super impedimento *dirimente* concessam sive ex potestate *ordinaria,* sive ex potestate *delegata per indultum generale....* conceditur quoque *eo ipso* legitimatio prolis.. iam natae vel conceptae, excepta tamen sacrilega et adulterina. » (c. 1051)

Dispensatio a matrimonio rato et non consummato vel facta permissio transitus ad alias nuptias ob praesumptam coniugis mortem, secum fert semper dispensationem ab impedimenti « *cri-*

minis » prima forma, sc. adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii. (c. 1053)

Dispensationis a S. S. executor,

6. Dispensationes super publicis impedimentis Ordinario oratorum concessas exsequatur semper Ordinarius qui litteras testimoniales dedit vel preces transmisit, monito tamen Ordinario alius loci, in quo matrimonium forte contrahitur. (c. 1055)

et forma.

Facultatis a S. Sede delegatae mentio in dispensatione concedenda semper facienda est. (c. 1057)

Dispensationis episcopalis gratuita concessio

7. Excepta *modica* aliqua praestatione ex titulo expensarum cancellariae in dispensationibus pro non pauperibus, urgetur gratuita concessio dispensationis episcopalis severioribus verbis, et *reprobatur* quaevis *consuetudo* contraria. (c. 1056)

Caput III. - De impedimentis impedientibus

Impedimentum ex voto privato,

429. - 1. Matrimonium impediunt seu graviter illicitum faciunt :

1°. *Votum simplex* virginitatis, castitatis perfectae, non nubendi, suscipiendi ordines sacros et amplectendi statum religiosum (c. 1058). De votis reservatis S. Sedi, cf. infra n. 513.

legali cognatione, mixta religione,

2°. *Legalis cognatio,* ex adoptione orta, si lege civili idem impedimentum eodem modo sanciatur. (c. 1059)

3°. *Mixta religio,* sc. si alter nupturientium sit catholicus, alter vero sectae haereticae vel schismaticae ascribatur. (c. 1060)

prohibitione ordinarii loci.

4°. *Prohibitio* facta ab Ordinario loci « in casu particulari, ad tempus tantum, iusta de causa eaque perdurante », vel a Sede Apostolica. (c. 1039).

Impedimentum dissensus, etiam rationabilis, parentum suppressum est ; poterit tamen, mediante prohibitione particulari Ordinarii loci, per aliquod tempus saltem idem effectus haberi, ubi filiifamilias minores fuerint. (cf. c. 1034)

2. *De impedimento mixtae religionis.* (cc. 1060-1064)

Praeter severissimam prohibitionem (c. 1060), confirmant hi canones quae iam variis supremae auctoritatis ecclesiasticae documentis statuta sunt ut ex saepe infelici huiusmodi matrimonii necessitate minora mala oriantur. (cf. nn. 423, b. g. 427, 3. 673)

De matrimonio peccatoris publici vel censura innodati.

430. - Parochus Ordinarium consulere iubetur antequam assistat matrimonio peccatoris publici vel notorie censura innodati non confessi vel reconciliati (c. 1066), aut personae quae notorie fidem abiecerit vel societatibus ab Ecclesia damnatis ascripta sit. (c. 1065)

Ordinarii erit iudicare num gravis urgeat causa haec matrimonia permittendi et quibus cautelis adhibitis id fieri possit.

Caput IV. - De impedimentis dirimentibus

431. - Impedimentum dirimens oriri potest sive ex *inhabilitate* naturali vel legali partium, sive ex *vitio consensus*, sive ex *defectu sollemnis formae*. Quanquam vitium intrinsecum consensus, uti est error *de persona*, aut defectus sollemnitatis stricte impedimenta non dicenda sunt et seiunctis capitibus in Codice tractantur. In hoc capite, de his tantum impedimentis agitur quae *ex inhabilitate personarum* oriuntur.

Impedimenta ex inhabilitate personarum enumerantur.

Sunt autem defectus aetatis (c. 1067) ; impotentia antecedens et perpetua (c. 1068) ; ligamen (c. 1069) ; disparitas cultus (c. 1070) ; ordo sacer (c. 1072) ; votum sollemne vel simplex privilegiatum (c. 1073) ; raptus (1074) ; crimen (c. 1075) ; consanguinitas (c. 1076) ; affinitas (c. 1077) ; publica honestas (c. 1078) ; cognatio spiritualis (c. 1079) et legalis. (c. 1080)

Factis circa non nulla mutationibus sat magni momenti, suppressa sunt impedimenta affinitatis ex copula illicita, honestatis publicae ex sponsalibus, et cognationis spiritualis ex confirmatione. Quae non attingimus eadem permanserunt.

Impedimentum aetatis,

432. - Dum veteri iure *aetas* a viro quattuordecim, a muliere duodecim annorum, ut in iure romano, requirebatur, inhabiles ad contrahendum matrimonium iam sunt vir ante sextum decimum annum completum, mulier ante decimumquartum. (c. 1067)

disparitatis cultus.

433. - *De matrimonio cum disparitate cultus.*

1. « Nullum est matrimonium contractum a persona non baptizata cum persona baptizata *in Ecclesia catholica* vel ad eandem ex haeresi aut schismate conversa. » (c. 1070)

Maxima introducitur his verbis iuris mutatio. Ab hoc enim impedimento, immunes sunt quotquot extra Ecclesiam catholicam baptizati nec ad eam conversi sunt. Qua sapienti provisione consulit Ecclesia validitati quam plurimorum matrimoniorum. Hoc autem eo magis erat notandum, quod etiam in Europae regionibus, crescente numero infidelium, ubi praesertim haeresis grassatur, disparitas cultus plura in dies matrimonia afficiet.

Quod ad hoc autem impedimentum, lex silet de illis qui « ab acatholicis nati, in Ecclesia vero baptizati, ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate aut sine ulla religione adoleverunt ». Quod ad formam sollemnem matrimonii acatholicis omnino aequiperantur (c. 1099). Urgendo suum ius in illos in hoc casu, profitetur Ecclesia quantum abhorreat a matrimoniis quae baptizati in suo sinu cum non baptizatis ineant.

De vi baptismi dubii post matrimonium,

2. De vi baptismatis dubii quod ad matrimonium contractum vel contrahendum, multum dissentiebant canonistae (1). Dirimitur iam disputatio sequenti can. 1070 : « Si pars, tempore *contracti* matrimonii, tamquam baptizata communiter habebatur aut eius baptismus erat dubius, standum est pro valore matrimonii, donec *certo* probetur alteram partem baptizatam esse, alteram non baptizatam. »

(1) Cf. De Becker, *De matrimonio* 2, p. 236 ss.

Validum ergo habebitur matrimonium partis non baptizatae cum parte cuius baptismus dubius est, quamvis generali iuris praesumptione dubius pro valido habendus sit.

ante matrimonium.

At non licebit fideli *contrahere* matrimonium cum persona dubie baptizata. Nisi seria probabilitas validi baptismi procuretur, probabilis baptismus sub condicione erit iterandus vel dispensatio, saltem ad cautelam, super cultus disparitate obtinenda.

Praesumptio in favorem matrimonii cum persona dubie baptizata, cum sit iuris tantum, impugnari potest et cedit veritati.

Impedimentum ordinis sacri,

434. - Si quis « *metu gravi* coactus, ordinem sacrum recepit, nec postea, remoto metu, ordinationem ratam habuerit saltem tacite,.. ad statum laicalem, legitime probata coactione et ratihabitionis defectu, sententia iudicis redigatur, sine ullis *caelibatus* ac horarum canonicarum obligationibus. » (c. 214)

Ad eumdem effectum requirebant Canonistae metum *iniuste* incussum, de qua distinctione nulla fit mentio.

votorum in religione emissorum,

435. - « Item invalide matrimonium attentant *religiosi* qui vota sollemnia professi sunt, aut vota simplicia, quibus ex speciali praescripto vis addita sit nuptias irritandi. » (c. 1073)

Ex textu elucet sollemnitatem voti castitatis, non ipsum votum, actum nullum facere. Notum est vota simplicia in Soc. Iesu emissa ex privilegio impedimentum dirimens matrimonii constituere.

Cum nulla fiat mentio impedimenti dirimentis orti ex voto simplici castitatis emisso a muliere cuius maritus, ex dispensatione, ordines sacros suscepit (c. 987), illud iam non vigere censemus. Quae erat sententia antea multorum. (Cf. De Smet, *Les fiançailles et le mariage*, p. 443)

raptus et violentae retentionis mulieris,

436. - *Raptui* aequiperatur, « quod ad matrimonii nullitatem attinet, violenta retentio mulieris, cum nempe vir mulierem in loco ubi ea commoratur vel ad quem libere accessit, violenter intuitu matrimonii retinet ».

Ut impedimentum cesset, requiritur ut mulier violenter retenta, in loco tuto ac libero constituta, detentorem in virum habere consentiat. (c. 1074)

criminis

437. - Impedimentum *criminis* confirmatur in sua triplici specie ; et matrimonii civilis celebratio promissioni matrimonii aequiperatur. (c. 1075)

Ex c. 16, incurritur illud impedimentum *etiam ab ignorantibus*. Est enim lex inhabilitans a cuius effectibus iam nulla ignorantia excusat, nisi aliud expresse dicatur.

consanguinitatis,

438. - Suppresso impedimento consanguinitatis in quarto gradu lineae collateralis, statuitur impedimentum totiens tantum multiplicari « quotiens *communis stipes* multiplicatur » (c. 1076), dum antea multiplicabatur quoque si nupturientes ad unum stipitem multiplici via ascendebant.

Requiritur ergo ut habeant cum patris tum matris avum vel aviam communem (tertius gradus) aut etiam avum (aviam) et proavum (secundo et tertio

gradu). Excluduntur in GÉNICOT, *Theol. mor.* n. 478, prima causa et secundae altera forma ; in DE SMET, *Les fiançailles* etc. n. 296, prima hypothesis.

439. - *De affinitate.* *affinitatis*

Affinitas oritur tantum ex matrimonio valido sive rato tantum, sive rato et consummato (c. 97). — Porro « affinitas in linea recta dirimit matrimonium in quolibet gradu ; in linea collaterali usque ad secundum gradum inclusive ». (c. 1077)

Maxime mutatur hoc impedimentum. Formalis causa affinitatis iam non est copula sed matrimonium ; nec omne matrimonium, sed illud quod vel ratum vel ratum et consummatum est. Cessat ergo affinitas ex copula illicita ; nec oritur ex matrimonio contracto inter infideles, et etiam, probabilius, inter fidelem et infidelem. *(suppressa affinitas ex copula illicita,*

Praeterea impedimentum ad secundum gradum in linea collaterali restringitur.

Cum affinitas matrimonio supervenire non possit, ius petendi debitum inde iam numquam amittetur. Suppressis quoque duabus causis multiplicitatis, quae ex commercio illicito unito cum commercio licito oriebantur, affinitatis impedimentum multiplicatur tantum :

1°. Quotiens multiplicatur impedimentum consanguinitatis a quo procedit :

2°. Iterato successive matrimonio cum consanguineo coniugis defuncti. (ibid.)

440. - « Impedimentum *publicae honestatis* oritur ex matrimonio *invalido,* sive consummato sive non, et ex publico vel notorio concubinatu ; et nuptias dirimit in primo et secundo gradu lineae rectae inter virum et consanguineas mulieris, ac vice-versa. » (c. 1078) *publicae honestatis,*

1. Oriturne etiam ex matrimonio invalido *ob defectum consensus ?* De hac exceptione adeo dissentiebant canonistae ut nemo illam silentio suppressam sine intentione legislatoris censeat. Ideo quaecumque sit causa invaliditatis matrimonii, impedimentum adesse dicemus. Confirmatur haec sententia eo quod ex ipso concubinatu oritur impedimentum. Tandem ex hac forma impedimenti suppletur novae formae affinitatis, et v. g. impeditur quominus pater filiam suam naturalem ex ignorantia possit ducere. *ex matrimonio ob defectum consensus nullo,*

Quod si multo severior videatur inde lex facta, contrarium statim patebit consideranti nullum impedimentum in linea *collaterali* statui, ex qua mitigatione difficultates multae removentur.

2. Quid iam censendum *de matrimonio civili* quod ad hoc impedimentum ? LEO PP. XIII aperte declaravit (7 april. 1879) matrimonii civili non incurri hoc impedimentum. Cuius declarationis ratio erat quod contractui civili quod ad fideles ne figuram quidem matrimonii Ecclesia agnoscit. *ex contractu civili invalido aut valido.*

At nonne fideles qui, *spretis Ecclesiae legibus,* contractum mere civilem ineant in notorio concubinatu vivere dicendi sunt ? Nova ergo forma impedimenti ligabuntur. Baptizati autem, quibus matrimonium civile validum est, quia sive ex lege, sive ex adiunctis, sollemnitate ecclesiastica non tenentur, impedimentum non contrahent, sed tantum affinitatem.

Concubinatus est status illorum qui, nullo inito contractu matrimoniali, vitam coniugalem imitantur. Incurretur impedimentum si iis in adiunctis admissus sit concubinatus ut saltem praevideatur brevi divulgatum iri. De publico vel notorio delicto cf. C. 2197. n. 646. 2

3. Impedimento, prout iacet, ligari acatholicos baptizatos non est cur in dubium vocetur. Quid autem *de infidelibus* post conversionem matrimonium ineuntibus ? *Liganturne infideles post conversionem ?*

Sub veteri iure tenebantur affinitate in infidelitate contracta, i. e. vinculo naturali ex copula sive licita sive illicita orto (*Coll. P. F.* nn. 1235-1245, etc.), non autem publica honestate. (ibid. n. 1254)

Iamvero nova definitio affinitatis in matrimonium infidelium non cadit et probabilius omnis affinitas est iuris mere ecclesiastici. Neutro ergo videntur, etiam post

baptismum, impedimento obstrictum iri, nisi S. Officium, ad vitanda quaedam pericula ex suppresso pro ipsis impedimento affinitatis, a recepta disciplina quod ad impedimentum publicae honestatis velit recedere.

4. *De multiplicitate* huius impedimenti silet Codex. Nec casus videtur valde probabilis, ut quis matrimonium invalidum inierit vel in concubinatu vixerit cum avia primum, dein cum matre puellae quam uxorem velit ducere.

Cognationis spiritualis,

441. - Impedimentum *cognationis spiritualis* oritur tantum inter baptizatum et baptizantem vel patrinum baptismi (c. 1079). Inde nemo ius petendi debitum amittet quod prolem suam sive legitimam sive illegitimam baptizaverit.

cognationis legalis,

442. - *Cognatio legalis* in iure canonico eam vim habebit quam in iure civili variarum regionum obtinet ; ideoque (cc. 1080. 1059) impedimentum dirimens erit si eodem legis civilis impedimento sancitur. In Belgio autem non est nisi impedimentum prohibens.

Quis effectus suppressorum impedimentorum ?

443. - Novo iure nulla conceditur *sanatio in radice* matrimoniorum ex veteri iure invalidorum. Cum tamen, cessante impedimento, possit convalidari matrimonium renovatione consensus a parte impedimenti conscia, occulte facta si impedimentum sit occultum, dummodo altera pars in consensu perseveret, a die 19 maii 1918 plura poterunt ita *convalidari* matrimonia (v. g. ex affinitate illicita), nulla petita dispensatione. (c. 1133)

Caput V. - De consensu matrimoniali

444. - 1. Statuuntur hic principia de natura ipsius consensus matrimonialis (cc. 1081. 1086), de eius vitiis intrinsecis, sc. de errore (cc. 1082-1085), metu (c. 1087), et condicionibus (c. 1092). Veteris iuris vel doctrinae nihil immutatur : clarior tamen ponitur notio metus. Nullus enim dicitur consensus, « si positus est ob vim vel metum gravem ab extrinseco et iniuste incussum, a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium ». (c. 1087)

De consensu metu vitiato

aut per procuratorem praestito.

2. Ut matrimonium *per procuratorem* valide contrahatur, iure communi saltem requiritur mandatum *speciale* ad contrahendum cum *certa* persona, subscriptum a mandante et ab iisdem testibus qui in promissione matrimonii enumerantur (c. 1089). Loco Ordinarii vel parochi subsignare potest sacerdos ab alterutro delegatus.

Consensus est invalidus si mandatum revocatione, etiam non intimata, vel amentia mandantis ante contractum cessaverit aut per alium atque ipsum procuratorem praestetur. (c. 1089)

Caput VI. - De forma celebrationis matrimonii

Hoc capite continetur ius ex decr. « *Ne temere* » ortum (2 aug. 1907) et variis responsis SS. CC. explicatum vel emendatum, quod paucis exponemus, mutationibus sedulo indicatis.

445. - « Ea tantum matrimonia valida sunt quae contrahuntur coram parocho vel loci Ordinario vel sacerdote ab alterutro delegato et duobus saltem testibus... ». (c. 1094) *Quis valide Matrimonio assistat.*

C. 1095 « Parochus et loci Ordinarius matrimonio *valide* assistunt :

« 1°. a die tantummodo adeptae *canonicae* possessionis beneficii... vel initi officii... nisi *per sententiam* fuerint excommunicati vel interdicti vel suspensi ab officio aut tales declarati ; »

Canonicam possessionem dioecesis capiunt episcopi residentiales simul ac per se vel per procuratorem apostolicas litteras capitulo ecclesiae cathedralis ostenderint, praesente secretario capituli vel cancellario curiae ; parochi autem missione facta « secundum modum peculiari iure praescriptum, vel legitima consuetudine receptum » vel dispensatione ab eo modo expresse in scriptis ab Ordinario concessa. (cc. 334. 1444)

2°. intra fines sui territorii...

3°. Sufficit autem « ut neque vi neque metu gravi constricti requirant excipiantque contrahentium consensum ». Haec enim invitationem implicite continent. (Cf. decr. *S. C. C.* 28 mart. 1908).

446. 1. *De delegato sacerdote.* Delegatio est *valida* tantum « intra fines territorii delegantis », et si « *expresse* detur.. sacerdoti *determinato* ad *determinatum* matrimonium, exclusis quibuslibet delegationibus generalibus, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt ; secus irrita est ». (c. 1096)

Hinc sacerdos qui *sola* parochi impediti vel absentis auctoritate eius vices suppleat, matrimoniis tantum valide assistit pro quorum singulis delegationem accepit. Si Ordinarii loci approbatione idem munus implet, iam fit « vicarius substitutus », et delegationem universalem habebit validam, cum in omnibus quae ad animarum curam spectent iam parochi locum teneat. (c. 474) *Condiciones delegationis validae.*

2. De sacerdote qui *licite* assistat matrimonio.

Notio quasi-domicilii, quae ex decr. « *Ne temere* » exulabat, in C. 1097 est redintegrata ; sed difficultates nullas movebit, quia servata est menstrua commoratio sensu *absoluto*, i. e. nullo habito respectu intentionis partium. *Licitae assistentiae condiciones*

Parochus enim et loci Ordinarius matrimonio licite assistunt « constito.. de domicilio vel quasi-domicilio vel menstrua commoratione aut, si de vago agitur, actuali commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii ». Deficientibus his condicionibus, requiritur « licentia parochi vel Ordinarii domicilii vel quasi-domicilii aut menstruae commorationis alterutrius nupturientis, nisi de vagis *actu itinerantibus* res sit, qui nullibi commorationis sedem habent vel gravis necessitas intercedat, quae a licentia petenda excuset ». (c. 1097)

« *Vagus actu itinerans* » ille est qui per locum tantum transit, alium in locum tendens. Sic qui, brevis negotii concludendi vel urbis invisendae vel quietis in itinere sumendae causa, in loco quodam consistit nec alibi domicilium vel quasi-domicilium habet. *Vagus itinerans.*

Firmo principio de praeferendo parocho sponsae, statuitur can. 1097 ut « matrimonia catholicorum mixti ritus, nisi aliud particulari iure cautum sit, in ritu viri et coram eius parocho celebrentur ».

De celebratione coram solis testibus.

447. - *De extraordinariis rerum adiunctis.* (c. 1098)

Si haberi vel *adiri* nequeat sine gravi incommodo parochus vel loci Ordinarius vel sacerdos delegatus (ut supra), in mortis periculo, et, extra mortis periculum, dummodo *praevideatur* eam rerum conditionem esse per mensem duraturam :

1°. matrimonium valide et licite contrahitur coram solis testibus ;

2°. « Si tamen praesto sit alius sacerdos qui adesse possit, vocari et, una cum testibus, matrimonio assistere debet, salva coniugii validitate coram solis testibus. »

Ut matrimonium valide et licite coram solis testibus celebretur, sufficit ut absentia sacerdotis competentis *prudenter praevideatur* per mensem duratura, dum decr. *Ne temere* ad *praeteritam* absentiam respiciebat.

Haec facultas ad mortis periculum extenditur. Supponuntur, ut patet, non adesse alia impedimenta. Neque ulla causa specialis requiritur ut ita celebretur matrimonium.

In utroque casu imponitur praesentia *alicuius* sacerdotis « si praesto sit ». Prima specie possit videri haec praescriptio contraria n. 1°, quo *licitum* quoque dicitur matrimonium celebratum coram solis testibus. At illo verbo negatur existentia impedimenti prohibentis ; n. 2° iure imponitur obligatio quae contractus recte initi maiorem praestet securitatem eiusque naturam sacram demonstret.

Immunes a lege acatholici omnes

448. - *De iis qui lege non tenentur.* (c. 1099)

1. Quamquam lex universalis est, immunes ab ipsa declarantur :

1°. Acatholici sive baptizati (et numquam ad ecclesiam catholicam conversi) sive non baptizati *inter se* contrahentes ;

etiam in ecclesia baptizati, si numquam in ea vixerunt.

2°. « ab acatholicis nati, etsi in ecclesia baptizati, qui ab infantili aetate in haeresi vel schismate aut infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quotiens cum parte acatholica contraxerint. » De horum matrimoniis erat antea singulis vicibus Romam recurrendum. (Resp. *S. Offic.* 31 mart. 1911). (A. A, S., t. 3, (1911) p. 163, ss.)

Privilegium pro Germania Hungaria.

2. *Mixta* matrimonia hac lege attingi dicebantur decr. *Ne temere*, art. XI, 2, « nisi pro aliquo particulari loco aut regione aliter a S. Sede sit statutum ». Quibus verbis innuebatur exceptio facta pro Germanis *in Germania natis ibique inter se* contrahentibus (Const. « *Provida* » 18 ian. 1906), quae ad Hungaros in Hungaria natos ibique inter se contrahentes erat extensa (S. C. *de Sacram.* 27 febr. 1909). Omnis exceptio nunc silentio premitur. Quamquam indulto speciali nititur, privilegium illud vi sua nunc destitui nobis compertum est ; illarumque regionum incolae ad ius commune astringuntur.

In matrimoniis mixtis faciendae interrogationes.

3. C. 1102. « In matrimoniis inter partem catholicam et partem acatholicam, interrogationes de consensu fieri debent secundum praescriptum C. 1095, I, n. 3. » (Cfr. supra n. 445, 3°)

S. Officium responderat interrogationes non esse faciendas « in matrimoniis mixtis in quibus debitas cautiones exhibere pervicaciter partes renuerent » (21 iun. 1912). At hoc responsum non iam usu veniet, cum dispensatio nulla concedatur nisi cautiones debitae praestentur. (c. 1061)

Caput VII. - De matrimonio conscientiae

449. - Cum « nonnisi... ab ipso loci Ordinario, excluso Vicario generali, sine speciali mandato, permitti possit ut matrimonium conscientiae ineatur, i. e... omissis denuntiationibus et secreto », eius erit invigilare ut ex illo secreto nullum oriatur scandalum communitatis nec ulla gravis erga matrimonii sanctitatem iniuria, adhibitis cautelis in hoc capite statutis. *Officium Ordinarii loci.*

Caput VIII. - De tempore et loco celebrationis matrimonii

450. - 1. « Matrimonium quolibet anni tempore contrahi potest. » (c. 1108, 1)

Consuetudo itaque, qua, in nostra regione, ipse contractus matrimonialis « tempore clauso » prohibetur, iuri communi adversatur. Quare ab episcopis tolerari non poterit nisi eam « prudenter submoveri non posse » censuerint (c. 5). — Quae consuetudo hactenus favore iuris nitebatur, cum Conc. Tridentinum optaret servari in hac materia laudabiles consuetudines provinciarum. (Conc. Trid. S. XXIV. de matrim. c. 1.)

2. De ipso *tempore clauso* haec mitiora statuuntur :

1°. *Tempus clausum* a prima Dominica Adventus ad diem Nativitatis Domini inclusive et a Fer. IV Cinerum usque ad Dominicam Paschatis inclusive currit. (c. 1108, 2) *Tempus clausum restringitur.*

2°. Ordinarii locorum possunt, salvis legibus liturgicis etiam praedictis temporibus, sollemnem benedictionem permittere ex iusta causa, monitis sponsis ut a nimia pompa abstineant. (c. 1108, 3)

3°. De *loco* notetur tantum haec praescriptio : « in ecclesiis sive seminarii sive religiosarum, Ordinarii [matrimonium celebrari] ne permittant nisi urgente necessitate, ac opportunis adhibitis cautelis ». (c. 1109) *Matrimonium ubi celebrari possit.*

Caput IX. - De matrimonii effectibus

451. - Cum facultas denegandi per duos menses actum coniugalem ad deliberandum de ingressu in religionem, non commemoretur, ipso facto suppressa est ; praesertim quod « utrique coniugi ab ipso matrimonii initio aequum ius et officium est quod attinet ad actus proprios coniugalis vitae ». (c. 1111) *Suppressa deliberatio de ingressu in religionem.*

Qui filii legitimi habeantur vel praesumantur.

452. - 1. Ne filii ex parentum culpa detrimentum patiantur, Ecclesia legitimos *habet* « filios conceptos *aut natos* ex matrimonio valido vel putativo, nisi parentibus ob sollemnem professionem religiosam vel susceptum ordinem sacrum prohibitus fuerit tempore conceptionis usus matrimonii antea contracti » (c. 1114). De legitima conceptione regula ipsius iuris romani et civilis servatur, nempe « legitimi *praesumuntur* filii qui nati sunt saltem sex menses a die celebrati matrimonii, vel intra decem menses a die dissolutae vitae coniugalis ». (c. 1115)

Si de iure ergo filii extra illud tempus nati lis moveatur, ipsius, etsi legitimus *habetur*, onus erit legitimitatem probandi : quod onus *actori* incumbet si filio *praesumptio* suffragatur.

Legitimationis effectus.

2. Legitimis aequiperantur, quod ad canonicos effectus, *legitimati* per subsequens matrimonium ; eligi tamen non possunt in Cardinalem, episcopum, Abbatem vel Prælatum nullius. (cc. 232. 331. 320. 1117)

Caput X. - De separatione coniugum

ART. I. - DE DISSOLUTIONE VINCULI

Privilegium Paulinum cuinam favet?

453. - 1. Ex privilegio Paulino, conversus ex infidelitate potest, *post baptismum*, novum inire matrimonium validum cum parte baptizata, *si* pars infidelis nolit et ipsa converti et baptismum suscipere, vel saltem cum altera cohabitare pacifice et sine contumelia Creatoris.

Nisi Apostolica Sedes aliud declaraverit, pars infidelis est de sua intentione interpellanda, eique tempus aliquod ad deliberandum concedendum est.

Hoc privilegio non gaudet qui matrimonium cum dispensatione a disparitate cultus contraxit ; ideoque apud nos, quamquam infidelium crescit numerus, rarior erit eius usus. (cc. 1120. 1127)

Extensa dispensatio ab interpellationibus.

2. Summi Pontifices Paulus III (Const. *Altitudo*, 1 iun. 1537), S. Pius V (Const. *Romani Pontificis*, 2 aug. 1571) et Gregorius XIII (Const. *Populis*, 25 ian. 1585), in favorem incolarum certarum regionum, permiserant ut infideles ad fidem conversi unam, quam vellent, ex prioribus uxoribus sibi post baptismum valido matrimonio coniungerent ; aut, ubi interpellatio difficillima esset, ea omissa, novum contraherent matrimonium, dispensatione ab Ordinario vel parocho vel confessario approbato ex Soc. Iesu accepta. Illae concessiones nunc ad universum Orbem iisdem in adiunctis extenduntur (c. 1125). Inde mira omnibus confessariis approbatis unius Ordinis facultas conceditur. (Documenta ad calcem Codicis inveniuntur.)

ART. II. - DE SEPARATIONE TORI, MENSAE ET HABITATIONIS

454. - Praeter principia in Theol. morali de hac re statuta, nihil innovatur. Ascriptio tamen alterutrius coniugis sectae haereticae causa non est *perpetuae* separationis, ut aiunt nonnulli moralistae, sed, cessante causa, ad vitae communitatem est redeundum. (cc. 1128-1132)

Effectus ascriptionis in secta haeretica.

Caput XI. - De matrimonii convalidatione

ART. I. - DE CONVALIDATIONE SIMPLICI

455. - 1. Renovatio consensus, quae iure *ecclesiastico* saltem a *parte impedimenti conscia* requiritur ad convalidandum matrimonium, debet esse *novus voluntatis actus* in matrimonium quod constet ab initio invalidum fuisse. (cc. 1133. 1134)

Invalidi consensus renovatio.

2. C. 1135, § 3 : « Si (impedimentum dirimens ob quod irritum est matrimonium) sit *occultum* et *uni parti ignotum*, quando cessaverit satis est ut sola pars impedimenti conscia consensum privatim et secreto renovet, dummodo altera pars in consensu perseveret. »

Quando ab una parte praestanda ?

Hic modus a probatis auctoribus, forma ipsius rescripti S. Paenitentiariae fretis, ut licitus habebatur quotiens pars impedimenti ignara sine gravi periculo de irrito matrimonio certior fieri non poterat.

3. Obligatio *novi* consensus, *utrique* parti in hoc casu imposita, iure tantum ecclesiastico exigebatur, et iam universaliter remittitur. Ex hac benigniore lege nonnullae anxietates sive confessariorum sive paenitentium, quibus dispensatio communicatur, remotae sunt. (cc. 1133. 1135. 1136)

Cetera intacta manent.

ART. II. - DE SANATIONE IN RADICE

456. - Contra ac sentiebant auctores, quibus favebant quaedam dispensationes romanae, statuit iam can. 1139 § 2 « Matrimonium contractum cum impedimento iuris naturalis vel divini, etiamsi postea impedimentum cessaverit, Ecclesia non sanat in radice, *ne a momento quidem cessationis impedimenti* ». (Cf. casum in ANAL. ECCL. 1900, pp. 305, ss. ; DE BECKER, *De matrimonio*, p. 370, n. 2)

Non sanatur matrimonium cum impedimento iuris divini vel naturalis contractum.

Ex verbis eruere non possis utrum circa ipsam potestatem suam dubitet legislator an eius usum iam facere nolit.

Ceterum, « si *consensus* ab initio defecerit, sed postea praestitus fuerit, sanatio concedi potest a momento praestiti consensus ». (cc. 1140, § 2)

Caput XII. - De secundis nuptiis

457. - De hac re prorsus nihil, cc. 1142. 1143 innovatur.

TITULUS VIII. - DE SACRAMENTALIBUS

(c. 1144-1153)

458. - De sacramentalibus pauca sed notatu digna dicenda videntur.

Quis valide consecrationem aut benedictionem peragit?

1. *De ministro.* Dum ii, qui charactere episcopali non gaudent, facultate speciali iure vel indulto apostolico concessa indigent, ut *consecrationes* valide peragant, quilibet presbyter *benedictiones omnes,* etiam reservatas, *valide* impertit, nisi aliud in reservatione Sedes Apostolica expresserit. « Diaconi vero et lectores illas tantum valide et licite benedictiones dare possunt, quae ipsis expresse a iure permittuntur. » (c. 1147)

Necessitas praescriptae formae.

2. *De forma.* Formulae, si qua sit ab Ecclesia praescripta, usus ad validitatem consecrationis vel benedictionis cuiuscumque requiritur, nisi, ex privilegio, quale v. g. competit Cardinalibus, episcopis et regularibus, omnes vel quaedam benedictiones solo signo crucis valide impertiantur.

Concessionis acatholicis faciendae condicio.

3. *De subiecto.* Benedictiones non catholicis tantum et catechumenis, sed, nisi obstet Ecclesiae prohibitio, etiam acatholicis dari possunt ad obtinendum fidei lumen vel, una cum illo, corporis sanitatem. (c. 1149)

Usus potestatis exorcizandi restrictio.

459. - *De exorcismis.* Exorcismos in *obsessos* seu *possessos* legitime nemo proferre potest, nisi ab Ordinario peculiarem et expressam licentiam acceperit, cuius usus nullus fiat, nisi diligenti prudentique investigatione de facto possessionis constet. (c. 1151)

Similem potestatis exorcizandi restrictionem subditis suis iam multi episcopi imposuerant, quae nunc primo lege universali sancitur. Ex ipsis verbis patet agi de solo possessorum a daemone exorcismo, non de rerum vel animalium exorcismis, vel formulis quibusdam deprecatoriis, qualis est exorcismus a Leone XIII approbatus. (18 maii 1898. Cf. ad calcem Ritualis.)

PARS SECUNDA
DE LOCIS ET TEMPORIBUS SACRIS

SECTIO I. - DE LOCIS SACRIS

Introductio
(cc. 1154-1160)

Notio.

460. - Locus sacer est qui divino cultui vel fidelium sepulturae deputatur consecratione vel benedictione quam probati liturgici libri hoc praescribunt. (c. 1154)

Itaque coemeterium non benedictum qua tale, non est locus sacer ; sed, quot sunt loculi benedicti et non profanati, tot sacra loca complectitur, nisi, cum sepultura non est in perpetuum familiae concessa obstet precaria ratio deputationis. (Cf. MANY, *De locis sacris*, n. 143, 2, c.)

Ius consecrandi, benedicendi.

461. - Consecratio loci sacri spectat ad territorii Ordinarium (non tamen, sine speciali mandato, ad Vicarium generalem). Idem ius habet *benedicendi* locum sacrum nisi is ad religionem clericalem exemptam pertineat : tunc enim spectat ad Superiorem maiorem. (cc. 1155.1156)

Uterque potestatem delegare potest. Quare Ordinarius qui charactere episcopali careat consecrationem cuilibet episcopo eiusdem ritus committere potest. (cc. 1155. 1156)

TITULUS IX. - DE ECCLESIIS
(cc. 1161-1187)

Ecclesiae definitio.

462. - Ecclesia definitur : « Aedes sacra divino cultui dedicata, eum potissimum in finem ut omnibus Christi fidelibus usui sit ad divinum cultum publicum exercendum ». (c. 1161)

aedificatio.

463. - 1. Nulla ecclesia aedificari potest sine scripto consensu, prudenter dando, Ordinarii loci. Consensum tamen Vicarius generalis sine speciali mandato dare non potest. (c. 1162, 1)

2. Ipsi religiosi qui consensum constituendae novae domus in dioecesi vel civitate ab Ordinario loci rettulerint, antequam ecclesiam in certo ac determinato loco aedificent, Ordinarii loci licentiam obtinere debent. (c. 1162, 2)

Ex recepta olim sententia, venia aperiendae ecclesiae ipsa licentia erigendi monasterium cui annexa sit contineri dicebatur. Neque hoc Codex proprie negat. Sed, praesertim cum non nullas cautelas superioris iuris non confirmarit, v. g. observandae distantiae ab aliis conventibus, vult ut locus talis eligatur qui Ordinario prudenter probari possit. Qua licentiae necessitate religiosi fere adigentur ut ipsum monasterium in loco qui Ordinario placeat aedificent.

Consecratio seu benedictio.

3. Ecclesia ex ligno vel metallo benedici potest non autem consecrari. (c. 1165, 4)

Altare consecrari potest etiam sine ecclesiae consecratione ; sed, una simul cum ecclesia, debet saltem altare maius consecrari aut altare secundarium, si maius iam sit consecratum. (c. 1165, 5)

Dedicatio.

4. Dedicatio quae Beato fiat non absolute excluditur, sed indultum Apostolicae Sedis requirit. (c. 1168)

Celebratio officiorum.

464. - « Divina officia celebrari in nova ecclesia nequeunt, ante quam eadem vel sollemni consecratione vel saltem benedictione, divino cultui fuerit dedicata. » (c. 1165, 1)

Tunc autem omnes ecclesiastici ritus in ea peragi possunt, salvis iuribus paroecialibus, privilegiis et consuetudinibus, et cautione adhibita ne catechetica instructio aut evangelii explanatio in ecclesia paroeciali tradenda inde detrimentum accipiant. (c. 609, 3)

Ordinarius autem, praesertim horas sacrorum rituum potest iusta de causa praefinire, modo ne agatur de ecclesia quae ad exemptam religionem pertineat. (c. 1171)

Campanae usus.

465. - Ecclesiarum campanae etiam consecrandae vel benedicendae sunt. Earum usus auctoritati ecclesiasticae unice subest. Salvis condicionibus, probante Ordinario, appositis ab illis qui campanam forte dederint, campana benedicta ad usus mere profanos adhiberi nequit, nisi ex causa necessitatis aut ex licentia Ordinarii, aut denique ex legitima consuetudine. (c. 1169)

Ecclesiae exsecratio.

466. - Sive consecrata sive benedicta fuerit, ecclesia non exsecratur, « nisi tota destructa fuerit vel maior parietum pars corruerit, vel in usus profanos redacta sit ab Ordinario loci (c. 1170) ». Is ecclesiam in usum profanum reducere iam permittitur, si nullo modo ad cultum divinum adhiberi possit, et omnis aditus ad eam reficiendam interclusus sit. (c. 1187)

Deserenda ergo est sententia quae benedictionem solo seu pavimento adhaerere existimabat.

Ecclesiae violatio.

467. - Violatio ecclesiae requirit actum certum, notorium et in ipsa ecclesia (non sufficit autem ut fiat in sacristia) positum.

Hi soli actus violant ecclesiam : Delictum homicidii ; — Iniuriosa et gravis effusio sanguinis ; — Impii et sordidi usus ; — Sepultura infidelis aut excommunicati post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam. (c. 1172)

Supprimitur ergo effusio seminis humani.

Sed quo minus suppressum dicamus, tamquam causam violationis, *suicidium*, obstat regula qua iubemur ius novum in parte concordi ex veteri explicare. Iam vero, in veteri iure, nomine *homicidii* intellegebant etiam suicidium. Propter eandem causam, intellegemus etiam *delictum homicidii* de occisione quae, secus iusta, est tamen loco sacro iniuriosa : ut fuerit exsecutio capitalis sententiae.

Ceterum id ita naturae ecclesiae catholicae repugnat, ut voluntatem derogandi veteri iuri in hac re vix concipiamus.

Dum ergo delictum homicidii postulat, Codex non excludit nisi homicidium casuale vel in iustam defensionem.

468. - Quibus modis violatur ecclesia, iisdem violatur coemeterium (1207) ; sed, violata ecclesia, non violatur caemeterium, et vice versa. (c. 1172, 2) *Violatio caemeterii.*

469. - 1. « Si violatio accidat tempore divinorum officiorum, haec statim cessent ; si ante missae canonem vel post communionem, missa dimittatur ; secus sacerdos missam prosequatur usque ad communionem. » (c. 1173, 2) *Violationis vis et reparatio.*

2. In violata ecclesia nec divina officia celebrari ; nec sacramenta ministrari ; nec mortui sepeliri possunt, ante quam reconciliatio facta sit. (c. 1173, 4)

3. Haec quam citissime facienda imperatur ; atque, in dubio, ad cautelam fieri potest. (c. 1174)

4. Si causa fuit sepultura, cadaver prius removendum est, ubi sine gravi incommodo id fieri queat. (c. 1175)

5. Locum porro *benedictum* reconciliat rector ecclesiae vel alius sacerdos ex praesumpto eius consensu. Nulla ergo Ordinarii delegatio postulatur.

Ecclesiam autem *consecratam* reconciliat, pro casu, Ordinarius loci vel Superior maior. Atque ut ipsi, per se vel per alium, reconcilient, est condicio valoris. In casu tamen gravis et urgentis necessitatis, si Ordinarius adiri nequeat, rector ecclesiam reconciliare poterit, monito dein Ordinario. (c. 1176)

Delegatio itaque, quae antea sine indulto fieri non poterat, nunc ipso iure fieri permittitur.

6. Locus benedictus aqua lustrali communi ; ecclesia consecrata, aqua ad hoc ab episcopo vel presbytero reconciliante benedicta, reconciliantur. (c. 1177)

470. - « Ingressus in ecclesiam ad sacros ritus sit omnino gratuitus, reprobata qualibet contraria consuetudine. » (c. 1181) *Ingressus gratuitus.*

471. - Temperatum *ius asyli* sancitur c. 1179, quo rei extrahi vetantur nisi necessitas urgeat, vel assentiente Ordinario aut saltem rectore ecclesiae. Sublata autem est sanctio excommunicationis simpliciter S. Pontifici reservatae, qua ius istud ante muniebatur. *Ecclesiae ius asyli.*

472. - Non est cur hic dicamus de administratione temporali et onere reficiendi ecclesiam : de quibus usus et conventiones observanda sunt. Notabimus tantum, de administratione ecclesiae saecularis esse etiam a missionario seu a rectore regulari rationem Ordinario reddendam (c. 1182) ; et sedulo caveri can. 1184, ne Consilium fabricae partes aliquas spiritualis muneris usurpet. *Administratio temporalis*

TITULUS X. - DE ORATORIIS

(cc. 1188-1196)

Oratorii notio,

473. - Omnis oratorii haec nota positiva communis est, ut locus sit destinatus divino cultui, cui proin reservandus est, excluso omni domestico usu. (cc. 1188. 1196)

Communi etiam nota negativa qua universi fidelium populi usui deputari negantur, ab *ecclesiis* distinguuntur. (c. 1188, 1)

Divisio.

474. - Triplex autem species oratoriorum (c. 1188, 2) distinguitur :

Publicum, si principaliter erectum sit in commodum alicuius collegii aut etiam privatorum, ita tamen ut omnibus fidelibus, tempore saltem divinorum officiorum, ius sit, legitime comprobatum, illud adeundi.

Semi-publicum, si in commodum alicuius communitatis vel coetus fidelium eo convenientium erectum sit, neque liberum cuique sit illud adire.

Huic assimulatur oratorium Cardinalis et episcopi, etiam titularis. (c. 1189)

Privatum seu *domesticum,* si in privatis aedibus in commodum alicuius tantum familiae vel personae privatae erectum sit.

Quodnam oratorium publicum ;

Divisio oratoriorum in tres species non ita pridem in iure occurrit ; et nescio an origo antiquior quam decretum *S. Rituum Congr.* 23 ian. 1899 ei tribui possit (1). Verum antea oratoria mere in *publica* et in *privata* partiebantur. Quae minus perfecta divisio causa cuiuspiam obscuritatis fuisse videtur. Etenim, cum ab illa notione profectum esset, quae etiam recurrit apud Devoti, et publicum dicit oratorium « quod publicam habet ianuam et quod cuivis e populo patet (2) », mox, fortasse ne nimis multa oratoria ad privata amandare deberent, coeperunt condicionem *publicae ianuae,* quae necessaria praedicabatur, pro sufficienti habere. Unde d'Annibale (III, 3) : « Ex situ publica sunt (oratoria) quorum ianua publicae adiacet viae (3). »

Nunc autem, cum triformis oratoriorum ratio admittatur, nihil nos cogit ut a naturali verborum significatione recedamus. Atque etiam litterae Codicis magis obsequimur si ea sola oratoria dixerimus publica quorum ianua, viae publicae adiacens, re vera saltem tempore divinorum officiorum omnibus aperiatur, vel quorum dominus ingressum tunc iam impedire iuridice non possit, quamvis accessus ad oratorium non habeatur nisi per praedium privatum. (4)

quodnam semi-publicum dicendum sit.

Quare, oratoria, etiam separata, quae prope viam publicam a confraternitate, sodalicio erecta, huius usibus reservantur, inter semi-publica recensebimus.

Semi-publica porro a Codice dicuntur tam ea quae in commodum alicuius communitatis erecta sunt quam ea quo coetus fidelium convenire consuevit. Alterutra itaque condicio sufficit. Idcirco dicemus semi-publicum oratorium, etiam in domo privata erectum, sed quem coetus fidelium frequentare consuevit ; semi-publicum, oratorium in domo religiosa vel seminario erectum mere ut plures sacerdotes com-

---

(1) Decreta authentica n. 4007. — (2) *Institutiones canonicae,* l. 2, t. 7, n. 32. — (3) Cf. etiam Wernz, *Ius Decretalium,* t. 3, n. 450, 451. — (4) Cf. Gatticus, *De oratoriis,* c. 3, n. 2.

modius litare queant. Tale enim etiam in commodum huiusmodi communitatis erectum est. Confirmamur can. 1192, quo minora oratoria convictuum, etc. tacite inter semi-publica computantur, cum in isto canone de oratoriis semi-publicis manifesto agatur.

Quid de oratoriis in navi?

Hinc etiam sacella, in navi publica extra privatas cellas erecta, pro oratoriis semi-publicis valere debere dicemus. Itaque *ex situ* semi-publica sunt quae in domo publica (extra cubicula privata) exstant ; *ex personis* ea frequentantibus, quae etiam alibi cuipiam coetui fidelium inserviunt.

Rationes iuridicae.

475. - 1. « Oratoria *publica* eodem iure quo ecclesiae reguntur. » (c. 1191, 1)

2. Oratoria *semi-publica* Ordinarii auctoritate eriguntur et ad usus profanos convertuntur. (c. 1192)

Ordinarius, pro casu, est Ordinarius loci vel praelatus maior religionis exemptae.

Oratoriorum numerus.

476. - Commendatur ne in convictibus iuventuti instituendis, gymnasiis, arcibus, carceribus, xenodochiis, etc. « praeter oratorium principale, alia minora ne erigantur nisi, Ordinarii iudicio, necessitas aut magna utilitas id exigat ». (c. 1192, 4)

Exempla satis amplae enumerationis ita seliguntur ut omnia referantur ad domos quae ratione personarum ibi habitantium principaliter laicae dicendae sunt. Quare, severitas ista non commendatur in seminariis vel domibus religiosis. Nec iam ad erectionem unius oratorii semi-publici facultas Ordinarii loci in domibus religiosarum restringitur.

Functiones permissae in oratoriis publicis,

477. - 1. In oratoriis *publicis*, omnes per se sacrae functiones celebrari possunt, salvo contrario rubricarum praescripto. [Sic functiones hebdomadae sacrae tabernaculum cum Sanctissimo postulant.] Sed opus est ut per consecrationem aut sollemnem benedictionem, iam divino cultui dedicata sint, ne violetur c. 1165, 1. (c. 1191, 2)

semi-publicis,

2. In *semi-publicis* legitime erectis, licent etiam per se omnes functiones sacrae, « nisi obstent rubricae aut Ordinarius aliqua exceperit ». Condicio benedictionis non exigitur. Sollemnis consecratio vel benedictio Codice non excluditur. Quare per se fieri potest. (Cf. Wernz, *Ius Decretalium*, t, 3, n. 458)

domesticis.

3. In *domesticis oratoriis* per se non permittitur nisi missa, eaque unica ; idque ex indulto apostolico et exclusis festis sollemnioribus. Nova tamen facultas fit Ordinariis loci : a) Permittendi habitualiter etiam plures missas in privatis caemeteriorum aediculis ; — b) Permittendi, *per modum actus*, missam sollemniore festo, in oratorio domestico, dummodo concurrant rationes iustae, *diversae* ab iis ob quas indultum apostolicum concessum est ; c) Permittendi ibidem, sine apostolico indulto, per modum actus, missam, ob iustam ac rationabilem causam, in casu aliquo extraordinario. (cc. 1194, 1195)

Oratorii benedictio.

Oratoria domestica communi tantum locorum benedictione donari possunt. (c. 1196)

TITULUS XI. - DE ALTARIBUS

(cc. 1197-1202)

De titulo isto, haec tantum ad usum nostrum referre videntur.

Altaris exsecratio.

478. - 1. Si ideo tantum altare immobile exsecretur, quia tabula seu mensa a stipite separetur, potest Ordinarius [Ordinarius loci vel Superior maior religionis exemptae] permittere ut presbyter altaris consecrationem rursus perficiat, ritu formulaque breviore. (c. 1200, 1)

Levis fractio operculi non inducit exsecrationem, et quilibet sacerdos potest rimulam caemento firmare. (c. 1200, 3)

Exsecrata ecclesia, non exsecrantur altaria, et vice-versa. (c. 1200, 4)

Altaris titulus.

479. - Titulus *primarius* altaris maioris idem ac titulus ecclesiae esse debet ; titulus altaris mobilis, non item immobilis, de Ordinarii licentia mutari potest. Altaria Beatis, etiam in oratoriis quibus eorum officium et missa concessa sunt, dedicari nequeunt sine Sedis Apostolicae indulto. (c. 1201)

Cadaveris proximitas.

480. - Missam in altari celebrare non licet, nisi remoto cadavere quod infra spatium unius metri prope altare sepultum sit. (c. 1202)

TITULUS XII. - DE SEPULTURA ECCLESIASTICA

(cc. 1203-1242)

481. - Fidelium corpora iuxta traditionem ecclesiasticam in loco sacro pie sepelienda sunt, prorsus reprobata eorum cremationе. (cc. 1203. 1240)

Caput I. - De coemeteriis

Sepultura in ecclesia.

482. - 1. Sepultura in ecclesiis iam reservatur cadaveribus episcoporum residentialium, abbatum vel Praelatorum *nullius* in propria ecclesia sepeliendis, vel R. Pontificis, regalium personarum aut S. R. E. Cardinalium. (c. 1205)

2. Si ius Ecclesiae propria coemeteria possidendi sine spe reparationis violetur, commendatur Ordinariis, « ut coemeteria societatis civilis propria benedicantur si, qui in iis condi solent, sint maiore ex parte catholici ».

De coemeteriis civilibus.

Ubi saltem pars coemeterii civilis specialis et rite benedicenda catholicis reservari nequit, « totiens quotiens benedicantur singuli tumuli ». (c. 1206)

Quamquam Ecclesia, ubi suum ius perfecte prosequi non potest, tolerat ut acatholici quivis, si minore sint numero, in benedicto coemeterio condantur,

excommunicatis vel interdictis « per sententiam declaratoriam, vel condemnatoriam » haec concessio non erit extendenda. Horum enim depositione coemeterium benedictum violaretur. (cc. 1207. 1172, 4°)

Ius coemeterii proprii.

3. Praeter coemeterium proprium paroeciae aut religiosorum exemptorum, etiam « aliae personae morales vel privatae familiae peculiare sepulchrum, de Ordinarii loci licentia, habere possunt ». (c. 1208)

Caput II. - De cadaveris translatione ad ecclesiam, funere ac depositione

Ius praevalens paroeciae.

483. - 1. Ecclesia in quam cadaver pro funere transferendum est, ex iure ordinario est ecclesia propriae defuncti paroeciae, cuius, in dubio, ius semper praevalere debet. (cc. 1216. 1217)

« Si defunctus plures habuerit proprias paroecias, ecclesia funeris est ecclesia paroeciae in cuius territorio decessit. » (c. 1216)

Si quis extra paroeciam moritur, in propriam tamen viciniorem paroeciam est ob funus transferendus, nisi iudicio Ordinarii commode asportari non possit, salvo tamen iure familiae vel haeredum longioris quoque translationis expensas suscipiendi. (c. 1218)

De electione sepulturae.

2. Omnes fideles cum ecclesiam funeris tum coemeterium sepulturae, ab illa distinctum, eligere possunt, praeter religiosos professos cuiuslibet gradus aut dignitatis (exceptis episcopis) ; et praeter impuberes, quorum loco, etiam *post eorum mortem*, eligere possunt parentes aut tutor. (cc. 1223. 1224)

Nulla tamen est electio qua, ad instantiam religiosorum vel clericorum saecularium, in eorum ecclesia vel coemeterio sepultura habenda quovis modo ab aliquo promittatur. (c. 1227)

Seclusa electione in sepulchro maiorum, si quod habeat, fidelis est tumulandus. (c. 1229)

Parochi ius levandi corpus

3. Proprius defuncti parochus non solum ius sed officium habet, excepto gravis necessitatis casu, levandi per se vel per alium cadaver, illud comitandi ad suam ecclesiam paroecialem, ibique exsequias persolvendi, etiamsi mors in loco alienae (non propriae defuncti) paroeciae acciderit.

et exsequias celebrandi.

Eodem iure pollet, praemonito loci parocho, si defunctus ex loco in quo mortuus est commode potest asportari. Si ecclesia funeris est exempta a iurisdictione parochi, eius rector exsequias celebrat ; secus, salvo peculiari privilegio celebratio pertinet ad parochum in cuius territorio sita est. (c. 1230, 2-4)

Ius cappellani religiosarum.

4. Religiosas et novicias, a parochi iurisdictione exemptas, in religiosa domo defunctas, a clausurae limine ad earum ecclesiam vel oratorium cappellanus deducit ibique exsequias celebrat ; non exemptarum funus ad parochum pertinet. (c. 1230, 5)

De tumulatione extra paroeciam.

5. Vi principii « ubi tumulus, ibi funus », illius est parochi exsequias celebrare in cuius coemeterio defunctus deponitur. Facta ergo tumuli electio electionem ecclesiae funeris secum fert, nisi defunctus eas seiunxerit. In pluribus tamen dioecesibus Belgii (saltem in Mechliniensi, Leodiensi et, ut videtur, in Tornacensi et Namurcensi), viget consuetudo contraria ; scil. nisi defunctus aliter statuerit, in eius propria paroecia exsequiae celebrantur etiamsi alibi sepulchrum electum vel maiorum habeat. Iam vero consuetudo nulla hic reprobatur.

Quid, si defunctus extra paroeciam mittatur?

Defuncti, qui seclusa electione, mittatur extra propriam paroeciam, sepultura ad ecclesiam cathedralem loci pertinet ; si desit, ad ecclesiam paroeciae in qua coemeterium situm est, salvis consuetudine aut statutis dioecesanis. (c. 1230)

Determinatio « portionis paroecialis ».

6. Episcopi iubentur portionis paroecialis (sc. quartae funeralis) quantitatem determinare et indicem taxarum funeralium constituere : ultra statutam summam quidquam exigi districte prohibetur. (cc. 1234. 1237)

Modo primum officium intra mensem completum a die tumulationis fiat, portio paroecialis ex huius quoque funeris emolumentis debetur.

Si ecclesiae ad diversas dioeceses pertineant, funerantis taxa est attendenda in determinanda portione paroeciali. (c. 1237)

Caput III. - De iis quibus sepultura ecclesiastica concedenda est aut neganda

Quibusnam sepultura ecclesiastica deneganda

484. - Ad sepulturam non sunt admittendi qui sine baptismo decesserint, nisi id catechumeno sine eius culpa acciderit. (c. 1239)

Cum peccatores omnes « publici et manifesti » sepultura ecclesiastica privandi dicantur, casuum specialium enumeratio vix est necessaria, nisi forte eorum « qui mandaverint suum corpus cremationi tradi ».

vel concedenda ?

Nemini autem deneganda est, qui paenitentiae signa ante mortem dederit. In dubio, consulatur Ordinarius, si tempus sinat ; quod si dubium permanserit, remoto scandalo, sepultura concedenda est. (c. 1240)

Quid, de duellantibus ?

Duellantes ergo beneficio sepulturae ecclesiae non iam prohibentur, si ante mortem paenitentiae signa dederint : quod iure particulari in quibusdam locis vigebat.

SECTIO II. - DE TEMPORIBUS SACRIS

Introductio

(cc. 1243-1246)

Notio.

485. - « Tempora sacra sunt dies festi ; iisque accensentur dies abstinentiae et ieiunii. » (c. 1243)

Similis definitio in iure nondum occurrebat.

Potestas indicendi.

Reservata supremae auctoritati non sola institutione et abrogatione, sed etiam translatione temporis sacri communis Ecclesiae, *Ordinariis locorum* conceditur ut per modum actus suis *dioecesibus* seu *locis* tempora sacra imperent. (c. 1244)

Sic media via inceditur inter antiquiorem disciplinam, qua Ordinarii plenam potestatem, et recentiorem, qua nullam indicendi tempora sacra potestatem exercere permittebantur.

Nec prohibentur cuidam regioni seu loco dioecesis peculiare festum vel ieiunium per modum actus praescribere : facultas ista ipsis verbis « dioecesibus seu locis » insinuatur.

Potestas dispensandi.

486. - 1. A temporibus sacris servandis possunt *Ordinarii locorum* et *parochi* in casibus singularibus dispensare tum subiectos sibi singulos fideles singulasve familias, etiam extra territorium, atque in suo territorio, etiam peregrinos. (c. 1245)

Verba : « in suo territorio » usum iurisdictionis non autem usum dispensationis obtentae coartant.

Sed familiae peregrini, nisi ipsa sit in suo territorio, parochus non videtur dispensationem concedere posse.

Verum, hoc omisso, dispensatio Ordinarii et parochi totam familiam per modum unius, si ratio communis habeatur, iam attingere potest.

2. Immo, Ordinarii locorum possunt, ex *causa peculiari* magni concursus populi aut publicae valetudinis, totam dioecesim vel locum a ieiunio et abstinentia dispensare. (c. 1245, 2)

Novae istius facultatis usus causam peculiarem postulat, ita ut concursus populi consuetus, quamvis magnus, non sufficiat. Cum haec facultas sit exceptio a iure communi exorbitans, neque ad alia dispensanda, v. g. requiem festivam, neque ad alias causas extendi potest ; sed causa peculiaris quotannis recurrere potest.

3. *Superiores* in religione clericali *exempta* potestatem habent *ad modum parochi*, quod ad subditos religiosos et aequiperatos canone 514, 1.

Superiores etiam *locales* haec possunt. Possunt ad *modum parochi* (c. 1245, 3). Ergo religiosos sui Ordinis peregrinos in sua domo dispensare poterunt, atque, ut videtur, collective dispensare poterunt minores suae communitatis partes quae familiae comparari possunt, quatenus vel facile communem dispensationis rationem habeant, vel dispensatio uni concessa aut concedenda observantiam aliis impeditiorem reddat.

Temporis supputatio.

487. - Supputatio diei facienda est a media nocte ad mediam noctem, ita tamen ut praescripta lucrandis indulgentiis *visitatio* semper a meridie praecedentis diei fieri possit. (cc. 1246. 923)

TITULUS XIII. - DE DIEBUS FESTIS

(cc. 1247-1249)

Catalogus dierum festorum.

488. - « Dies festi sub praecepto in universa Ecclesia sunt tantum : Omnes et singuli dies dominici, festa nativitatis, circumcisionis, epiphaniae, ascensionis et Sanctissimi Corporis Christi, Immaculatae Conceptionis et Assumptionis Almae Genitricis Dei Mariae, sancti Joseph, eius Sponsi, BB. Petri et Pauli apostolorum, Omnium denique Sanctorum. » (c. 1247, 1)

Dies festi *patronorum* non sunt de praecepto ; locorum autem Ordinarii sollemnitatem exteriorem ad dominicam proxime sequentem transferre possunt. (c. 1247, 2)

Sicubi aliquod festum ex enumeratis legitime sit abolitum vel translatum, nihil inconsulta Sede Apostolica innovetur. (c. 1247, 3)

Vis universalis novi catalogi.

Catalogus iste multa festa a catalogo Urbani VIII demit ; reductionem autem recentiorem, quae Motu proprio *Supremi disciplinae*, Pii X, 2 iul. 1911, continetur (1), ex parte confirmat, ex parte reformat, quatenus festum SS. Corporis Christi et s. Ioseph restaurat.

In hoc tamen differt novus catalogus a catalogo Pii X, quod Pius X ad solas fidelium obligationes vim suae reductionis restringebat, dum nunc absolute pronuntiatur : « Sub praecepto in universa Ecclesia sunt tantum » festa enumerata. Ceterum, ex ipso fine novi Codicis oportet ut catalogus iste vim exclusivam obtineat. Quare, non tantum indicat nobis dies quibus missa audienda est et cessandum est a labore servili, ex canone 1248 ; sed etiam dies quibus ex canone 1024 banna regulariter proclamanda sunt ; et dies quibus sacri ordines extra tempora conferri, ex privilegio, possunt. Missa pro populo ex canone 339 dicenda est festis etiam suppressis. Quare, ex responso 17 febr. 1918, nihil in disciplina vigente de hac re mutatum est.

Festum autem s. Ioseph, quod instauratur, procul dubio, ut affirmant etiam Ephemerides liturgicae (2), de festo 19 martii intellegendum est, quippe quod solum hoc nomine appellatum sit.

Quo anno festum patroni loci in dominicam inciderit, de transferenda sollemnitate sermo non habebitur.

Noluit tamen legislator ut, inconsulta S. Sede, innovetur quidpiam in locis ubi aliquod festum ex enumeratis legitime abolitum sit aut translatum. Regiones istae suam interea particularem disciplinam servabunt.

Clausula tamen haec difficultatem efficit. Exceptis enim locis quibus, post decretum Pii X, festum Corporis Christi, petitione facta, servatum est, iam ubique

---

(1) Cf. Per. t. 6, p. 80, ss.

(2) 15 oct. 1917. Dein, in consultatione liturgica, p. 640, haec addunt : « Praesumendum est post hanc Codicis dispositionem fore ut festum s. Ioseph redeat duplex primae classis... Quod autem restituatur appellatio *Patrocinii* s. Ioseph loco *Sollemnitatis*, tum est in votis ». Ac decreto 12 dec. 1917 re vera festum s. Ioseph et festum s. Michaëlis ad ritum duplicem primae classis evecta sunt.

abolitum est. Perinde dicendum est de festo s. Ioseph, nisi quod eius paene universalis suppressio ab antiquiore memoria repetenda est. Videtur ergo legislator nolle ut suum decretum in hac parte urgeatur, nisi ubi prudenter festa ista denuo introduci possint vel hactenus vigeant.

Vis itaque restitutionis amborum festorum haec erit, ut ubi bina festa ex iure particulari celebrabantur, iam ex iure communi vigere iterum incipiant ; alibi vero stimulus liberae devotioni addatur ; et, pro populi fervore et adiunctis, prudens eorum instauratio praeparetur. Ubique tamen erit, his duobus diebus, litandum pro grege ; et ordinationes sacrae, extra tempora permissae, poterunt etiam tunc fieri.

Notemus praeterea, iam a die 20 aug. 1917 canonem istum de festis de praecepto applicari posse. (Cfr. n. 6)

In Belgio festa de praecepto, decreto C. Caprara *Cum Sanctissimus*, 9 apr. 1802, extra dominicam in foro celebranda, ad quattuor sunt redacta. Et quia decretum istud cohaeret cum Concordato anni 1801, procul dubio nec in Belgio nec in Gallia fideles ulla obligatione celebrandi festa nova adigentur.

Fidelium obligatio.

489. - « Festis de praecepto diebus, missa audienda est ; et abstinendum ab operibus servilibus, actibus forensibus, itemque, nisi aliud ferant legitimae consuetudines aut peculiaria indulta, publico mercatu, nundinis, aliisque publicis emptionibus et venditionibus. » (c. 1248)

Publicae emptiones hae tantum esse videntur, quae vulgo auctiones (*vente aux enchères*) vocantur, non autem privatae quae in publicis tabernis fiunt.

Ubinam missa audienda.

490. - Ex c. 1249, praecepto de audiendo sacro satisfit quocumque catholico ritu celebretur, sub dio, aut in quolibet oratorio publico, semi-publico et in privatis coemeteriorum aediculis, non autem in aliis oratoriis privatis.

Quid ergo, si ex privilegio vel indulto celebretur extra oratorium ? Puto naturam loci considerandam esse. Quo nomine appellaretur oratorium quod ibi exsisteret ? Si publicum vel semi-publicum foret, qui missam tali loco celebratam audit praeceptum satisfaciet, secus autem si oratorium privatum diceretur. Sic, v. g. satisfaciet audiendo missam in communi navis aula, non autem in privata itinerantis cella.

N. B. Canon 1247 quo catalogus festorum de praecepto continetur iam a die 20 aug. 1917 vigere incepit.

TITULUS XIV. - DE ABSTINENTIA ET IEIUNIO

(cc. 1250-1254)

Lex abstinentiae.

491. - « Abstinentiae lex vetat carne iureque ex carne vesci, non autem ovis, lacticiniis et quibuslibet condimentis etiam ex adipe animalium. » (c. 1250)

Itaque iam *nulla dies* est in anno, ne feria VI quidem in Parasceve, quo, ex iure communi Ecclesiae, cibis qui dicebantur esuriales seu quadragesimales (*maigre strict*) vel lacticiniis contentus esse debeas.

Dum quaelibet condimenta permittuntur, non iam quaerendum est de origine adhibitae sic dictae « *gélatine* », quae e pisce vel ex ossibus vitelli educitur.

Lex ieiunii

492. - 1. « Lex iciunii praescribit ut non nisi unica per diem comestio fiat ; sed non vetat aliquid cibi mane et vespere sumere, servata tamen circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine. » (c. 1251)

Itaque frustulum matutinum praeter caenulam vespertinam iam formali lege permittitur. Cum de ipsa ciborum qualitate probata consuetudo confirmetur, strictior plerumque abstinentia quam in principali dierum abstinentiae refectione, erit mane et vespere servanda. Loca enim sunt ubi tunc soli cibi esuriales, alia, ubi sola lacticinia admittuntur ; in paucis ova permittuntur. Ipsa autem consuetudo qua haec reguntur, ea quoque videtur esse posse quae consuetis indultis inducta sit. Sic, in Belgio, episcopi, annuis litteris permittebant ut pluries in die, etiam ieiunantibus, apponerentur lacticinia : usus inde exortus sumendi etiam vespere lacticinia, servari poterit.

2. « Non vetitum est carnes ac pisces in eadem refectione permiscere ; nec serotinam refectionem cum prandio permutare. » (c. 1251, 2)

Lex itaque qua Benedictus XIV, (C. *In suprema*, 22 aug. 1741) permixtionem ciborum diebus iciunii vetuerat, iam penitus aboletur. Ac cessant quaestiones et difficultates de *ostreis*, quae in conviviis festivis ante carnes offerri consueverunt.

Quinam sint dies ieiunii et abstinentiae.

493. - 1. Lex solius abstinentiae (quae olim, ex lege communi, omnibus Quadragesimae diebus etiam dominicis solos cibos esuriales admittebat) iam non obligat nisi singulis feriis VI. (c. 1252, 1)

2. « Lex abstinentiae et ieiunii servanda est feria IV Cinerum, feriis VI et sabbatis Quadragesimae et feriis Quattuor Temporum, pervigiliis Pentecostes, Deiparae in caelum assumptae, Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini. » (c. 1252, 2)

Quid de precibus pro dispensatione ?

Iure superiori, ieiunium et abstinentia rigorosa servanda erant, praeter dies modo numeratos, singulis feriis Quadragesimae atque in pervigilio SS. Apostolorum Petri et Pauli.

Nunc autem mitior est abstinentiae disciplina, et paucioribus diebus imponitur. Quare, ubi episcopi preces imponere consueverunt recitandas singulis diebus quibus quis dispensationibus generalibus abstinentiae per quadragesimale tempus utatur, hae non iam singulis diebus quibus rigososa abstinentia non servetur, ut antea, sed tantum feria VI et sabbato ; et feria IV in die Cinerum et Quattuor Temporum Quadragesimae, recitandae erunt, si his diebus carnibus vescaris.

3. « Lex solius ieiunii servanda est reliquis omnibus Quadragesimae diebus. » (c. 1252, 3)

« Diebus dominicis vel festis de praecepto, lex abstinentiae, vel abstinentiae et ieiunii vel ieiunii tantum cessat, excepto festo, tempore Quadragesimae, nec pervigilia anticipantur ; item cessat sabbato sancto post meridiem. » (c. 1252, 4)

Regula itaque ponitur generalis. Quotiescumque dies vel abstinentiae vel ieiunii vel abstinentiae et ieiunii incidat in dominicam vel festum de praecepto, obligatio tollitur. Ac regula ista tenet, sive ex lege generali, sive ex statuto peculiari festum servandum sit ; sed in locis ubi non vigent omnia festa praecepta lege communi, festis suppressis non prodest. Sic v. g. in Belgio, anno quo festum Epiphaniae feria VI occurrerit, carnibus abstinendum erit. (Cfr. resp. S. C. *Concilii*, 28 aug. 1911,

ad arch. Mechliniensem datis. (Per. t. 9, p. 92.) resp. S. C. *Concilii*, 21 nov. 1912, ad Asturicensem (Per. t. 7, p. 226).

Absoluta porro ratio qua in editione Codicis officiali dominicae et festa ieiunii et abstinentiae legem excludebant, temperata est litt. *Secretariae Status*, 17 oct. 1917, ex quibus in § 4 inserenda fuerunt verba « *excepto tempore Quadragesimae* ». Verum, cum sic dixisses legem ieiunii etiam dominicis Quadragesimae esse impositam (quod inauditum fuisset), novo monito *Secretariae Status*, contento in A. A. S., 1 dec. 1917 (p. 589), ipsa exceptio ad sola festa est limitata. Ergo etiam ubi viget festum s. Ioseph, erit die 19 martii ieiunandum, et, si inciderit in feriam VI vel sabbatum, erit carnibus abstinendum.

Nova disciplina de vigilia.

Novo beneficio, *pervigilia*, quod attinet ad ieiunium et abstinentiam, non anticipantur. Itaque, si festum Assumptionis occurrerit feria II, ieiunium et abstinentia pervigilii, quae die dominica impediuntur, nec sabbato praecedente observanda iam sunt.

Tertiae gratiae, de *sabbato sancto*, prorsus novae, is erit usus rationabilis, ut dicas, sabbato sancto, toto mane, *more consueto* ieiunandum esse, ita ut solum frustulum permittatur ; a transacta meridie autem, id est post pulsatam horam duodecimam, ab inchoato ieiunio et abstinentia cessari posse. Non itaque licebit, ista die, plenam refectionem, quasi unicam permissam, mane sumere. Ut aliis utamur verbis : lex non est ieiunii servandi per dimidium diem ; sed facultas facta est finiendi, a meridie, ieiunium (cum abstinentia) quod totum diem per se afficiebat.

Quinam abstinentia et ieiunio teneantur.

494. - « Abstinentiae lege tenentur omnes qui septimum aetatis annum expleverint ; — lege ieiunii astringuntur omnes ab expleto vigesimo primo aetatis anno, ad inceptum sexagesimum. » (c. 1254)

Lege sic firmatur exemptio minorum et eorum qui sexagesimum aetatis annum inchoarunt, dum antea exemptiones istae sola consuetudine nitebantur. Mirum privilegium, quod quidam pro mulieribus quinquagenariis, sine ratione, addere volebant, ipso Codicis silentio reicitur.

Manent indulta, vota, Constitutiones.

495. - Canone 1254, monemur canonibus de ieiunio et abstinentia nihil immutari de indultis, votis, Constitutionibus ac regulis personarum physicarum vel moralium.

Itaque Hispania et America latina suas bullas Cruciatae servant, sicut Lusitaniae regiones ; religiosi autem Minimorum voto vitae quadragesimalis sicut ante tenebuntur.

N. B. Canones de ieiunio et abstinentia iam a die 20 aug. 1917 vigere inceperunt.

PARS TERTIA. - DE CULTU DIVINO

Introductio

(cc. 1255-1264)

Ex introductione, haec notabilia colligimus.

Communicatio in sacris acatholicorum.

496. - Dum omnis activa participatio in sacris acatholicorum illicita declaratur, « passiva seu mere materialis praesentia, civilis officii vel honoris causa, ob gravem rationem ab episcopo in casu dubii probandam, in acatholicorum funeribus, nuptiis similibusque sollemniis, dummodo perversionis et scandali periculum absit », tolerari posse dicitur. (c. 1258)

Agitur ibi, ut manifestum est, de praesentia personae cognitae, quae animadvertitur, quae proin sollemnitati exteriori aliquid splendoris addat. Casus ignoti peregrini qui, curiositatis causa, caerimonias observare velit, canone isto non attingitur.

Vigilantia Ordinarii in sacras functiones.

497. - 1. « Orationes et pietatis exercitia ne permittantur in ecclesiis vel oratoriis, sine revisione et expressa Ordinarii licentia, qui in casibus difficilioribus rem totam Sedi Apostolicae subiciat. » (c. 1259, 1)

In canone isto, cuius significatio non valde aperta cuipiam videri potest, agi arbitramur de ipsa forma precandi seu de formulis precatoriis et exercitiorum ordinatione. Si formula nondum sit approbata, si ordinatio extraordinaria seu nova fuerit (non itaque, salva nova Ordinarii praescriptione, si consueta ratione via crucis, novemdialis devotio, instituatur) expressa licentia Ordinarii loci obtinenda erit. Immo supponitur casus difficilior fieri posse quam ut ab ipso Ordinario solvatur, ita ut S. Sedi subiciendus sit ; nec pro *publica recitatione* Ordinarius novas litanias approbare potest.

Huc itaque redit iste canon : Nihil recitetur nisi quod tunc vel olim expresse probatum fuerit ; nihil insolitum fiat sine expressa Ordinarii licentia, qui maiores cautiones praecipere potest.

Canon autem iste etiam in ecclesiis et oratoriis religiosorum exemptorum observandus est.

2. Cura committitur Ordinario loci providendi, etiam per leges quae ipsis religiosis exemptis observandae sunt : a) Ut sacrorum canonum praescripta de divino cultu sedulo observentur ; b) Ut a cultu et a vita fidelium omnis abigatur superstitio ; c) Ut nihil a fide alienum, ab ecclesiastica traditione absonum, vel turpis quaestus speciem praeferens, admittatur. (c. 1261)

Atque « ecclesias, et publica oratoria religiosorum exemptorum in hunc finem Ordinarius loci visitare potest ». (c. 1261, 2)

Habitus et locus fidelium in ecclesia.

498. - 1. Codex optat in ecclesiis separatum locum mulieribus et viris ; praecipit autem ut viri, nisi aliud ferant probati populorum mores aut peculiaria rerum adiuncta, dum sacris ritibus assistunt intra vel extra ecclesiam, nudo capite sint ; mulieres autem « capite cooperto et modeste vestitae, maxime cum ad mensam Domini accedunt ». (c. 1362)

2. Magistratibus locus distinctus in ecclesia esse potest, « ad normam legum liturgicarum » ; concessio loci qui fideli suisque in ecclesia reservetur postulat consensum Ordinarii ; et precaria tantum concessio admittitur. (c. 1263)

499. - Leges liturgicae de musica sacra observandae sunt. Et si religiosae mulieres in propria ecclesia aut oratorio publico canere permittantur, tali e loco canant ubi a populo conspici nequeant. (c. 1264) *Musica sacra.*

TITULUS XV. - DE CUSTODIA ET CULTU SS. EUCHARISTIAE

(cc. 1265-1275)

500. - 1. Sub hac duplici condicione ut sit qui eius curam habeat, et missa saltem *hebdomadaria* regulariter in sacro loco celebretur : *Leges custodiae ss. eucharistiae, in ecclesiis vel oratoriis ;*

a) *Praecipitur* custodia ss. eucharistiae in ecclesia cathedrali, in ecclesia principe quasi-dioecesis, in qualibet ecclesia paroeciali seu quasi-tali ; in ecclesia annexa domui religiosorum exemptorum, sive virorum sive mulierum.

b) *Permittitur*, accedente licentia Ordinarii loci, in ecclesia collegiata et in oratorio principali sive publico sive semi-publico tum domus piae aut religiosae, tum collegii ecclesiastici quod a clericis saecularibus vel a religiosis regatur.

c) Alibi *indulto apostolico* opus est. Ecclesiae tamen aut oratorio *publico* Ordinarius hanc licentiam ex iusta causa et per modum actus concedere potest. (c. 1265, 1 et 2)

2. « Revocato quolibet contrario privilegio, in ipsa religiosa vel pia domo, ss. eucharistia custodiri nequit, nisi vel in ecclesia vel in principali oratorio ; nec apud moniales intra chorum vel saepta monasterii. » (c. 1267)

3. Nemini licet ss. eucharistiam apud se retinere aut secum in itinere deferre. (c. 1265, 3) *apud propriam personam,*

Istis canonibus multiplicantur ecclesiae vel oratoria in quibus ipso iure ss. eucharistia asservari iubetur vel permittitur. C. 1267 excluduntur oratoria secundaria potius quam, ex privilegio, pluralis ss. eucharistiae asservatio. Vetitum ne moniales ss. eucharistiam intra chorum vel saepta habeant (1), disciplina clausurae explicandum videtur.

501. - 1. De unicitate altaris in quo servatur ss. eucharistia et apta eius electione confirmantur leges praecedentis iuris ; sed curandum dicitur ut altare istud « sit prae omnibus aliis ornatum, ita ut suo apparatu magis moveat fidelium pietatem ac devotionem ». (c. 1268, 4) *in altari*

Non reprobatur, ob gravem causam ab Ordinario probatam, asservatio nocturna in loco tutiore et decenti, cum lampade accensa. (c. 1269, 3) *Variae commendationes.*

(1) Id iam prohibebat C. Tridentinum, s. XXV, c. 10, *de Regul.* etc.

Clavis tabernaculi.

2. « Clavis tabernaculi... diligentissime custodiri debet, onerata graviter conscientia sacerdotis qui ecclesiae vel oratorii curam habet. » (c. 1269, 4)

Itaque non iam praecipit, quod *S. Rituum Congr.* frustra urgere conata est, ut clavis ab ipso sacerdote servetur ; sed diligentissima custodia eius curis committitur.

Renovandae species. Devotio ad SS. Euch. Expositiones SS.

3. De frequenti sacrarum specierum renovatione, instructiones Ordinarii loci sedulo servandae dicuntur. (c. 1272)

4. Pietas erga ss. eucharistiam, frequens assistentia missae et sanctissimi sacramenti visitatio valde commendantur.

502. - 1. Expositio *privata*, seu cum *pyxide*, ex qualibet causa sine Ordinarii licentia ; *publica* seu cum *ostensorio*, die festo Corporis Christi et intra octavam fieri potest in omnibus ecclesiis inter missarum sollemnia et ad vesperas ; aliis vero temporibus non nisi ex iusta et gravi causa, praesertim publica, et de Ordinarii loci licentia, licet ecclesia ad religionem exemptam pertineat. » (c. 1274, 4)

Docemur denique clare quid *privata*, quid *publica* sit expositio : ex adhibita pyxide vel ostensorio utraque distinguitur. Rubrica dein exigit ut pyxis extra tabernaculum non extrahatur. In ecclesiis ergo ubi s. pyxis in quodam throno proponitur, expositionem dicemus privatam et simul irregularem.

2. Ubi supplicatio XL horarum haberi nequeat, Ordinarius loci curare debet ut saltem per aliquot continuas horas, statis diebus, ss. sacramentum sollemniore ritu exponatur. (c. 1275)

3. Quamvis non sit benedictionis eucharisticae minister, diaconus qui Viaticum legitime detulerit, eam impertire permittitur. (c. 1274, 2)

TITULUS XVI. - DE CULTU SANCTORUM, SACRARUM IMAGINUM ET RELIQUIARUM

(cc. 1276-1289)

Sollemnis benedictio.

503. - 1. *Sollemnis* benedictio imaginis publicae venerationi expositae Ordinario reservatur, qui eam tamen cuilibet sacerdoti committere potest. (c. 1279, 4)

Cum in ceteris paragraphis istius canonis sermo sit de Ordinario *loci*, hunc esse cui benedictio reservetur cuipiam videri possit. Sed si ipsa propriae ecclesiae sollemnis benedictio Superiori maiori religionis exemptae adicitur, multo magis haec benedictio ab ipso abiudicari nequit.

Insignes reliquiae Imago pretiosa.

504. - *Insignes reliquiae* « sunt corpus, caput, brachium, antibrachium, cor, lingua, manus, crus aut illa pars corporis in qua passus est martyr, dummodo sit integra et non parva ». (c. 1281, 2)

Ampliatur hac enumeratione notio insignis reliquiae. Responsa enim *S. Rituum Cong.* cor, linguam, manum inter insignes reliquias non reponebant nisi ex miraculo intactae servarentur. Cf. *Coll.* n. 1334, ad 3 ; n. 4041.

Insignes reliquiae nequeunt in aedibus vel oratoriis privatis asservari sine expressa Ordinarii loci licentia. (c. 1282, 1)

2. Imagines *pretiosae* eae sunt quae vetustate, arte aut cultu praestantes sunt. Hae, si quando reparatione indigeant, « numquam restaurentur sine dato scriptis consensu ab Ordinario, qui, ante quam licentiam concedat, prudentes ac peritos viros consulat. (c. 1280)

Alienatio ; Translatio.

« Insignes reliquiae aut imagines pretiosae, itemque aliae reliquiae aut imagines quae in aliqua ecclesia magna populi veneratione honorentur, nequeunt valide *alienari* neque in aliam ecclesiam perpetuo *transferri* sine Apostolicae Sedis permissu. » (c. 1281)

Reliquiarum veneratio.

505. - 1. Vult expresse Codex ut Ordinarii locorum « reliquiam quam certo non esse authenticam norint, a fidelium cultu prudenter removeant ». (c. 1284)

Valde interest inter *certo non authenticam* et *non certo authenticam.* Ad mentem autem enc. *Pascendi,* ubi falsitas non constet, Codex servat antiquis reliquiis honorem quem possident ; monet Ordinarios ne indecoro modo vel in sacris contionibus aut libris fovendae pietati destinatis, de sacrarum reliquiarum authenticitate quaestiones agitari sinant. (cc. 1284-1286)

2. Diligens custodia sacrarum reliquiarum rectoribus ecclesiarum aliisque ad quos spectat inculcatur ; earumque venditio prohibetur. (c. 1289)

Reliquia S. Crucis.

3. *S. Crucis* reliquiae in separata theca publicae venerationi exponi debent. Quas autem episcopus in cruce pectorali deferat, obtinet, post eius mortem, ecclesia cathedralis, ut successori transmittantur ; si pluribus autem praefuerit dioecesibus, reliquiae illae cedunt ecclesiae cathedrali dioecesis in cuius territorio defunctus est ; et si extra dioecesim mortuus est, ex qua ultimo discessit. (c. 1288)

Regulam illam valere arbitramur, sive simul sive successive plures dioeceses obtinuerit.

TITULUS XVII. - DE SACRIS PROCESSIONIBUS

(cc. 1290-1295)

506. Haec notasse satis erit.

Processiones permissae, praeceptae.

1. Excepta immemorabili consuetudine, vel si locorum circumstantiae, prudenti episcopi iudicio, aliud exigant, die festo Corporis Christi, unica tantum et sollemnis a digniore ecclesia facienda est processio. (c. 1291, 1)

2. Ceterae paroeciae et ecclesiae etiam regulares possunt, intra octavam, proprias processiones, extra ambitum ecclesiae agere ;

sed ubi plures sunt ecclesiae, Ordinarius loci singulis dies, horas ac vias praestituit. (c. 1291, 2)

3. Ex publica causa potest Ordinarius loci, audito capitulo cathedrali, extraordinariam processionem indicere, cui interesse debent quotquot processioni Corporis Christi assistere debent. (c. 1293)

TITULUS XVIII. - DE SACRA SUPELLECTILI

(cc. 1296-1306)

Cuinam post obitum cedat sacra supellex.

507. - Salva pia donatione vel legato Cardinalis in Urbe domiciliati, omnis eius sacra supellex, exceptis anulis cum crucibus pectoralibus et sacris reliquiis, cedit sacrario pontificali. (c. 1298)

Sacra supellex tum episcopi residentialis tum clerici beneficiati (c. 1300) reditibus ecclesiae suae comparata praesumitur. Quare, nisi de alia origine constet, post ipsorum mortem cedit ecclesiae vel ecclesiis quas administrarunt, ita ut si constet cuiusnam ecclesiae reditibus acquisita fuerit, haec supellectilem recipiat ; si hoc non constet, dividatur inter ecclesias administratas vel acquis partibus, si reditus ecclesiarum unam massam constituebant ; vel pro ratione fructuum quos in singulis ecclesiis perceperint et temporis quo eas administrarint. (cc. 1299. 1300.)

Inventarium. Testamentum.

508. - Quare tum episcopus tum beneficiatus debent authentico inventario sacrae supellectilis originem describere ; ipsique et etiam Cardinalis Urbis debent testamento civiliter valido procurare ut canonica praescripta de sacrae supellectilis attributione effectum suum habere possint. (c. 1301, 1)

Iidem debent quoque tempestive forma civiliter valida, personam fidam designare quae non solum sacram supellectilem sed etiam libros, documentaque alia quae ad ecclesiam pertinent et in eorum domo reperiuntur, post eorum mortem occupet et cui debentur remittat. (c. 1301, 2)

Obligatio cathedralis ecclesiae.

509. - 1. Cathedralis ecclesia debet episcopo celebranti in ecclesia cathedrali vel aliis civitatis aut suburbii ecclesiis sacram supellectilem gratis subministrare.

Quo modo ecclesiae pauperi consulatur.

2. Si ecclesia paupertate laboret, potest Ordinarius (i. e. Ordinarius loci vel Superior maior religionis exemptae) permittere ut a sacerdotibus, inibi in proprium commodum celebrantibus, propter utensilia et alia necessaria, moderata stipes, quam episcopus (non autem Vicarius capitularis aut Vicarius generalis sine speciali mandato) definierit vel in synodo vel extra synodum, audito capitulo. (c. 1303)

510. - Facultas benedicendi sacram supellectilem omnibus Cardinalibus et episcopis illimitate conceditur vel confirmatur ; verum potestas ipsis non iam reservatur. *Benedictio sacrae supellectilis.*

Praeterea enim eam benedicere possunt :

1. Locorum Ordinarii, charactere episcopali carentes, pro ecclesiis et oratoriis proprii territorii ;

2. Parochi, pro ecclesiis et oratoriis in suo territorio positis ; et rectores ecclesiarum pro suis ecclesiis ;

3. Sacerdotes a loci Ordinario delegati, intra fines delegationis et iurisdictionis delegantis ;

4. Superiores religiosi et sacerdotes eiusdem religionis ab ipsis delegati, pro propriis ecclesiis, et oratoriis ac pro ecclesiis monialium sibi subiectarum. (c. 1304)

Extra hos fines datae benedictiones a sacerdotibus, illicitae quidem sunt ; sed, ex principio canonis 1147, validae videntur.

511. - Sive benedicta sive consecrata fuerit, *exsecratur* supellex, non tantum, sicut antea, quando pristinam formam amiserit et ad suos usus non habeatur idonea : verum etiam si ad usus indecoros adhibita vel *publicae* venditioni exposita fuerit. (c. 1305, 1) *Sacrae supellectilis exsecratio.*

Calix autem et patena ob consumptionem vel renovationem inauraturae suam consecrationem non amittunt. Manet tamen gravis obligatio ea rursus inaurandi. (c. 1305, 2)

Quae autem consecrationem vel benedictionem amiserint libere acquiri possunt ad usus profanos, non tamen sordidos. (c. 1510) *Usus profanus licitus.*

De tactu et lotione sacrae supellectilis nihil notandum est ex c. 1306. *Tactus et lotio.*

TITULUS XIX. - DE VOTO ET IUREIURANDO

(cc. 1307-1321)

Caput I. - De voto

Canonibus 1307-1315 plura de voti definitione, divisione, vi et relaxatione repetuntur quae omnibus ex theologia morali nota sunt ; verum haec alia probe cognoscenda sunt :

512. - Votum *publicum* dicitur, quatenus opponitur *privato* ; estque omne votum quod nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ecclesiastico acceptatur. Secus est *privatum.* (c. 1308, 1) *Voti divisio.*

Est « sollemne, si ab Ecclesia uti tale fuerit agnitum ; secus *simplex* ». (c. 1308, 2)

Vota reservata.

513. - Inter vota reservata, nulla iam peregrinatio recensetur ; sed, ex votis *privatis* (namque publica sunt de se reservata), reservantur tantum votum perfectae ac perpetuae castitatis et votum ingrediendi in religionem votorum sollemnium. Atque, ut reserventur, requiritur ut emissa fuerint absolute et, quod plane novum, post completum decimum octavum aetatis annum. (c. 1309)

Voti obligatio.

514. - « Votum non obligat, ratione sui, nisi emittentem.

« Voti realis obligatio transit ad heredes ; item obligatio voti mixti, pro parte qua reale est. » (c. 1310)

Quatenus, vi istius canonis, votum ad ipsum transit, obligatio heredis ex religione esse videtur ; sed vovens obligationem legando, iustitiae necessitatem inducere potest (1).

515. - Potestatem *irritandi* in perpetuum vota habent quotquot ipsi voluntati voventis legitime dominantur ; *suspendendi*, quamdiu voti exsecutio ipsis noceat, qui in voti materiam potestatem habent

Pro *irritatione indirecta* Codex potestatem *suspendendi* inducit. — Cum vero potestas quam civilis lex parentibus in filios minores natu tribuit admittatur parentes vota filiorum non tantum impuberum sed etiam minorum non emancipatorum irritare posse videntur. (Cf. 88. 89)

Dispensandi potestas.

516. - *Ipso iure*, dummodo ne laedant ius aliis quaesitum, et ex iusta causa, vota non reservata dispensare possunt : locorum Ordinarii, quod ad subditos omnes atque etiam peregrinos ; et Superiores religionis exemptae, quod ad religiosos et aequiperatos contubernales ex c. 514, 1.

Utraque potestas, cum ordinaria sit, delegandi facultatem simul confert.

Facultas commutandi.

517. - Commutatio voti non reservati in opus non solum melius sed etiam *in aequale* ipsi voventi permittitur. (c. 1314, 1)

Effectus vitae religiosae.

518. - « Vota ante professionem religiosam emissa suspenduntur, donec vovens in religione permanserit. » (c. 1315)

Tacite ergo tollitur positiva iuris dispositio qua vota omnia, antea facta, sollemni professione religiosa extinguebantur ; sed, sine professionis distinctione, conceditur votorum ante professionem factorum *suspensio*, quae magis cum permansione in religione quam cum ipsa professione coniungi videtur. Quare, probabile est vota, ante ingressum facta, ipsis noviciis suspendi. Ipsi enim etiam in religione permanent, et privilegia professorum participant.

Caput II. - De iureiurando

Condicio valoris.

519. - Ius iurandum iuridicum, i. e. quod canones exigunt aut admittunt, valide per procuratorem praestari non potest. (c. 1316)

---

(1) Cf. VERMEERSCH, *Quaestiones de virtutibus religionis et pietatis*, n. 138.

520. - Contra ac de voto can. 1307, 3, dicebatur, « iusiurandum per vim aut metum gravem extortum valet, sed a Superiore relaxari potest » ; illud autem « nec vi nec dolo praestitum quo quis privato bono aut favori renuntiat lege ipsi concesso » servandum dicitur quotiens sine peccato servari potest. (c. 1317) *Effectus metus. Obligatio*

Severus iste canon, ex communi ceterum sententia scriptus, componendus tamen est cum sequenti (c. 1318) ex quo : « Iusiurandum promissorium sequitur naturam et condiciones actus cui adicitur » ; et actus qui in damnum aliorum aut in praeiudicium boni publici vel salutis aeternae directe vergit, nullam ex adiecto iuramento vim consequi dicitur.

Quocirca, si minor, adhuc minor, iuravit se non rescissurum pactionem nullam aut rescindibilem a se factam, cum lex nostra istam confirmationem irritet, nulla dispensatione stricte egere videtur. Et sane dispensatio, si danda videatur, nullum ius quaesitum tollit, ita ut ab omni sacerdote habili concedi possit.

Si quaeras autem cur metus vota non autem iuramenta irritet, ratio haec dari potest :

Ista vis irritandi vota ex iure positivo, non autem naturali repetenda est. Et cum iuramenta frequentius quam vota rebus humanis inserantur, ne allegata metus excusatione, causa detur peierandi, Ecclesia aliter de iuramento ac de voto statuit. (Cf. Reiffenstuel, l. 1, t. 40, n. 58. 59.)

521. - Canone 1320, potestas in vota expresse ad iuramenta transfertur. *Potestas relaxandi.*

522. - Ad notam regulam strictae interpretationis iuramentorum, c. 1321 hanc addit [pro solo foro externo, ni fallimur] : si iurans dolo egerit, iusiurandum interpretandum est « secundum intentionem illius cui iuratur ». *Interpretatio.*

PARS QUARTA
DE MAGISTERIO ECCLESIASTICO

Introductio

(cc. 1322-1326)

523. - Tanti momenti, pro clericorum usu, nobis videntur principia quae in prioribus huius partis quartae canonibus memorantur, ut, quamvis nova non sint, eadem breviter referre opportunum existimaverimus. Itaque : *Canonum summa.*

1. Propter depositum fidei quod Christus Ecclesiae concredidit, haec ius et officium habet a qualibet civili potestate independens, gentes omnes docendi evangelicam doctrinam quam, divina lege, rite ediscere sicut veram Dei Ecclesiam amplecti omnes debent. (c. 1322) *Ecclesiae missio evangelizandi.*

2. Tum sollemni iudicio sive Concilii oecumenici sive R. Pontificis ex cathedra loquentis tum ordinario et universali magisterio, *Quaenam credenda sint.*

ab Ecclesia proponuntur quae fide divina et catholica credenda sunt, ita tamen ut nulla res declarata seu definita dogmatice intellegatur, « nisi id manifeste constiterit ». (c. 1323)

Episcopi doctores sunt.

3. Episcopi, « licet singuli vel etiam in conciliis particularibus congregati infallibilitate docendi non polleant, fidelium tamen suis curis commissorum, sub auctoritate R. Pontificis, veri doctores seu magistri sunt ». (c. 1326)

Oboedientia doctrinalis.

4. Satis autem « non est haereticam pravitatem devitare, sed oportet illos quoque errores diligenter fugere qui ad illam plus minusve accedunt ; quare debent etiam constitutiones et decreta servare quibus pravae huiusmodi opiniones a S. Sede proscriptae et prohibitae sunt ». (c. 1324)

Quandonam fides profitenda sit.

5. Aperta fidei professio fidelibus praecepta est « quotiens eorum silentium, tergiversatio aut ratio agendi secum ferrent implicitam fidei negationem, contemptum religionis, iniuriam Dei vel scandalum proximi ». (c. 1325, 1)

Quisnam haereticus, apostata, schismaticus.

6. « Post receptum baptismum, si quis, nomen retinens christianum, pertinaciter aliquam ex veritatibus fide divina et catholica credendis denegat aut de ea dubitat, *haereticus ;* si a fide christiana totaliter recedit, *apostata ;* si denique subesse renuit Summo Pontifici aut cum membris Ecclesiae ei subiectis communicare recusat, *schismaticus* est. » (c. 1325, 1)

Observes ergo *canonice* neminem vel haereticum vel apostatam vel schismaticum esse posse, nisi prius baptismum receperit. Quare, in dubio de baptismo, haec etiam dubia forent, nisi ex canonica praesumptione baptismus dubius pro valido haberetur.

Vetitae collationes cum acatholicis.

524. - « Caveant catholici ne disputationes vel collationes, publicas praesertim, cum acatholicis habeant, sine venia S. Sedis, aut si casus urgeat, loci Ordinarii. » (c. 1325, 1)

Agitur ibi de disputatione quae *ex professo* ineatur de re dogmatica quam acatholici negant. Dixeris quasi concertationem seu duellum doctrinale et orale, veluti inter aequales, non directe ad conversionem haeretici ordinatum. Quare non attinguntur controversiae scriptae, nec disputationes quae obiter, ex tempore, occasione data, fiunt, nec collationes privatae quae non ad vincendam personam sed ad eam convertendam diriguntur : ibi catholicus *docet*, alter docetur. Quamquam, in his omnibus, prudenter agendum est.

Antea, publica disputatio cum haereticis, sine expressa licentia S. Sedis, interdicta est a S. C. *Concilii* 8 mart. 1658 ; atque etiam privatam laicis prohibitam dicebant, contraria tamen consuetudine, ob frequentem necessitatem adiunctorum, toleratam seu permissam. (Cf. Lehmkuhl, I, 410, 2)

TITULUS XX. - DE DIVINI VERBI PRAEDICATIONE

(cc. 1327-1351)

Cuinam praedicatio incumbat.

525. - Ab hoc principio fit initium : Munus praedicandae fidei catholicae, R. Pontifici et episcopis praecipue commissum, in aliis missionem supponit, quam Superior legitimus, vel facultate peculiari vel collato officio cui munus praedicandi ex sacris canonibus coniungitur, tribuere potest. (cc. 1327. 1328)

Caput I. - De catechetica institutione

Potestas Ordinarii loci quod ad religiosos.

526. - In pulchris monitis quae Codex de catechetica institutione habet, sola potestas Ordinarii loci quod ad ipsos religiosos nobis notanda videtur. Duobus porro canonibus exhibetur :

1. « Si Ordinarii loci iudicio, religiosorum auxilium ad catecheticam populi institutionem sit necessarium, Superiores religiosi, etiam exempti, ab eodem Ordinario requisiti, tenentur per se vel per suos subditos religiosos, sine tamen regularis disciplinae detrimento, illam populo tradere, praesertim in propriis ecclesiis. » (c. 1334)

2. « Ordinarii loci est omnia in sua dioecesi edicere quae ad populum in christiana doctrina instituendum spectent ; et etiam religiosi exempti, quotiens non exemptos docent, eadem servare tenentur. »

Non - exempti intellegendi videntur sicut c. 1338, i. e. omnes fideles praeter religiosos exemptos et contubernales assimulatos, de quibus canon 314, 1.

Caput II. - De sacris contionibus

Contionatoris approbatio.

527. - 1. Solus loci Ordinarius facultatem contionandi pro suo territorio facit clericis saecularibus et religiosis non exemptis (c. 1337) ; cum vero contio fit ad religiosos exemptos vel assimulatos contubernales, Superior proprius, secundum Constitutiones ; potestque eam etiam saecularibus vel aliis religiosis concedere, dummodo a proprio Ordinario vel Superiore idonei iudicati fuerint. (c. 1338, 1)

2. Si contio ad alios fiat, etiam ad moniales regularibus subiectas, « facultatem religiosis quoque exemptis impertit Ordinarius loci in quo contio fiet. Contionator autem verba facturus monialibus exemptis licentia Superioris regularis praeterea indiget », sicut apud sodales religionis laicalis *exemptae*, assensus Superioris religiosi necessarius est. (c. 1338, 2. 3)

Contionator vero religiosus, qua religiosus iam licentia sui Superioris semper indiget (c. 1339).

Facultatis modus.

528. - 1. Praesentatis a Superiore religiosis Ordinarii locorum facultatem nec denegent nec subtrahant sine gravi causa, praesertim omnibus simul religiosis unius domus. (c. 1339)

2. Graviter oneratur conscientia tum Ordinarii loci tum Superioris ne facultatem vel licentiam dent nisi viris bene moratis et idoneis. Quae idoneitas *regulariter* (sicut ad confessiones audiendas) per examen demonstranda est. (c. 1340, 1)

Revocandus vero ille est in quo dotes necessariae desiderari compererint ; in dubio vero, certis argumentis, v. g. novo examine, dubitationem excutere debent. Recursus non datur nisi in devolutivo. (c. 1340, 2. 3)

3. Habitualis facultas solis sacerdotibus vel diaconis fiat ; ceteris clericis tantum in casibus singularibus ob causam quam Ordinarius [id est, vel Ordinarius loci vel Superior maior religionis clericalis exemptae] rationabilem iudicaverint. Laicis vero, etiam religiosis, contio in ecclesia vetatur. (c. 1342)

Ex contexta oratione, ubi respectus fit ordinis recepti, laici dicendi sunt etiam aspirantes ad sacerdotium sed nondum tonsurati.

Quia autem catechetica institutio a sacris contionibus ipso Codice distinguitur, prohibitio ad illam extendenda non videtur. Cf. c. 1334.

Quid de extra dioecesanis ?

529. - Priusquam invitentur extradioecesani, etiam religiosi, licentia obtinenda est ab Ordinario loci contionis. Is eam non concedet nisi iis quos ipse noverit idoneos, vel ex testimonio proprii Ordinarii tales prudenter existimare possit.

Licentiam tempestive petere debent parochus, rector ecclesiae sui iuris, prima dignitas capituli, de huius consensu, moderator seu cappellanus confraternitatis, pro vario loco contionis habendae. Si paroecialis ecclesia sit simul capitularis aut confraternitatis propria, ille petat qui sacras functiones iure peragit. (c. 1341)

Privilegium episcopi.

530. - Episcopus ius habet contionandi etiam in exemptis sui territorii ecclesiis, et, nisi de magnis civitatibus agatur, prohibendi ne alii in eodem loco contionentur dum ipse contionem habet vel coram se, ex causa publica et extraordinaria, convocatis fidelibus, habendam curat. (c. 1343)

Homilia parochialis.

531. - Consueta homilia praescribitur parochis facienda et *habitualiter* quidem *per se*, nisi ob iustam causam ab Ordinario probatam. (c. 1344)

Brevis allocutio dominicalis.

532. - Optat legislator ut diebus festis de praecepto in omnibus ecclesiis vel oratoriis publicis fiat, astantibus fidelibus, brevis explanatio evangelii vel doctrinae christianae. Quae de ista re praeceperit Ordinarius loci, debent etiam in suis ecclesiis religiosi exempti servare. (c. 1345)

Contiones quadragesimae, adventus.

533. - Curent loci Ordinarii ut per Quadragesimam et, si id expediat, etiam per Adventum, frequentiores contiones fiant in ecclesiis cathedralibus et paroecialibus.

Contioni quae in propria ecclesia continuo post chorum habetur,

canonici iuste non impediti interesse debent ; ad quod etiam poenis compelli possunt. (c. 1346)

534. - Contio sit genere supernaturalis. Quae fideles credere et facere ad salutem debent in primis exponenda sunt. (c. 1347) *Genus contionis.*

Vigilare debent Ordinarii ut decimo saltem quoque anno, parochi sacram missionem ad populum habendam curent. (c. 1349) *Missiones.*

535. - Ordinariis locorum et parochis in proprio territorio cura acatholicorum commendatur ; alibi reservatur Sedi Apostolicae. (c. 1350) *Cura acatholicorum. Susceptio fidei catholicae.*

« Ad amplexandam fidem catholicam nemo invitus cogatur. » (c. 1351)

TITULUS XXI. - DE SEMINARIIS

(cc. 1352-1371)

Cum argumentum istud auctoritates ecclesiasticas potius quam universum clerum respiciat, et sustentationi Seminarii aliter in Belgio ac per tributa provisum sit, ea commemorare satis erit quorum notitia generaliorem utilitatem habere videtur. Itaque :

536. - Sacerdotibus, praecipue parochis, commendatur ut semina vocationis ecclesiasticae in pueris excolant. (c. 1353) *Vocationes fovendae.*

537. - Seminarium distinguitur *dioecesanum* et *interdioecesanum*, seu *regionale*. Illud ab episcopo dioecesis, hoc a S. Sede normas regiminis et administrationis accipit. (c. 1357) *Duplex seminariorum genus.*

538. - Semel saltem in hebdomada alumni ad sacramentum paenitentiae accedant. Non magis quam magistro noviciorum, licet Superiori seminarii, excepta accidentali et spontanea postulatione cum gravi causa, alumnorum confessiones audire ; sed, praeter confessarios ordinarios, alii designandi sunt qui ita alumnis praesto sint, ut, si in seminario habitent, libere, salva seminarii disciplina, adiri possint ; vel facile arcessantur a rectore quotiescumque alumnus id postulet. Numquam autem votum confessariorum exquiri potest, cum agitur de admissione ad ordines vel expulsione. (c. 1360. 1361. 1367) *Disciplina confessionis.*

539. - « Reditus legati pro *clericis* instituendis tribui possunt alumnis in seminarium sive maius sive minus rite receptis, licet nondum clericali tonsura initiatis, nisi aliud in tabulis fundationis expresse caveatur ». (c. 1362) *Legati pro clericis interpretatio.*

Canon iste necessarius fuit ob novam legem qua clericalis tonsura in initium studiorum theologiae differtur.

540. - Salva diversa Apostolicae Sedis constitutione, Seminarium eximitur iurisdictione parochiali, et, excepto munere confessarii et materia matrimoniali, officium parochi a rectore seminarii vel eius delegato exercetur. (c. 1368) *Exemptio a parocho.*

TITULUS XXII. - DE SCHOLIS

(cc. 1372-1383)

Canonibus omissis quibus ius ecclesiae vindicatur et commendationes fiunt quas quisque exspectarit, hi soli commemorandi restant :

Frequentatio scholae periculosae.

541. - « Solius Ordinarii loci est decernere, ad normam instructionum Sedis Apostolicae, in quibus rerum adiunctis et quibus adhibitis cautelis, ut periculum perversionis vitetur, tolerari possit ut » scholae acatholicae, neutrae, mixtae, id est quae etiam acatholicis patent, a pueris catholicis frequententur. (c. 1374)

Universitas catholica.

542. - « Canonica institutio catholicae studiorum Universitatis vel Facultatis, Sedi Apostolicae reservatur.

« Universitas vel Facultas catholica, etiam religiosis familiis quibuslibet concredita, sua debet habere statuta a Sede Apostolica probata. » (c. 1376)

Cura erectionis scholarum et facultatum catholicarum.

543. - Curandum dicitur ut scholae catholicae sive elementares sive mediae condantur ubi desint ; optandumque, ubi publicae studiorum universitates doctrina sensuque catholico imbutae non sint, ut in natione vel regione Universitas catholica condatur. (c. 1379, 1. 2)

« Fideles ne omittant adiutricem operam pro viribus conferre in catholicas scholas condendas et sustentandas. » (c. 1379, 3.)

Visitatio scholarum.

544. - Ordinariis locorum ius tribuitur visitandi sive per se sive per alios, in iis quae ad religiosam et moralem institutionem spectant, scholas quaslibet, oratoria, recreatoria, patronatus, etc. « a qua visitatione quorumlibet religiosorum scholae exemptae non sunt, nisi agatur de scholis internis pro professis religionis exemptae ». (c. 1382)

Etiam exemptae dicendae sunt scholae quae noviciis proponuntur, cum ex c. 567 privilegia religionis participent ; sed de ipsis tacetur, cum scholas proprie dictas novicii frequentare non soleant.

Observes hic exemptionis beneficium ne quidem ad contubernales de quibus c. 514, 1 extendi posse, cum can. 1382 solos religiosos eximat.

TITULUS XXIII. - DE PRAEVIA CENSURA LIBRORUM EORUMQUE PROHIBITIONE

(cc. 1384. 1405)

Novae legis ad veterem relatio.

545. - 1. Nova lex cum decretis generalibus Const. *Officiorum ac munerum*, Leonis PP. XIII (25 ian. 1897) (1) plerumque concordat. De Const. *Sollicita ac provida*, Benedicti XIV circa munus censorum omnino siletur : immo in canone 1393, 2, quo officia censorum ad eius mentem describuntur et a. 39 « O. M. » respondet, eius mentio est expuncta.

(1) Hanc Constitutionem signo « O. M. » allegabimus.

Indicis seu catalogi librorum prohibitorum nova editio, iussu Benedicti XV facta, nuntiatur. Videndum erit utrum necne principia quaedam interpretationis in praefatione prioris indicis auctoritative tradita suam vim servatura sint.

2. Initio novae legis statuitur principium quo lex clarior simul ac paulo severior redditur, nempe : « quae sub hoc titulo de libris praescribuntur publicationibus diariis, periodicis et aliis editis scriptis quibuslibet applicentur, nisi aliud constet ». (c. 1384) *Quid nomine « libri » veniat.*

Ultimis verbis exceptio clare insinuatur, quae ex probatis commentariis vel ex natura rei vel adhibitis verbis erui poterit. Si v. g. agatur de censura folii vel parvi libelli, non adeo stricte servanda regula videtur de iudicio scripto dando. Distinguere quoque licebit ubi eiusdem canonis vel saltem paragraphi alia in aliis partibus verba adhibentur, v. g. c. 1385, 1, 2° « Libri qui divinas Scripturas... spectant ; *libri ac libelli* precum.. ; ac generaliter scripta omnia.. ». (Cf. c. 488, 7° « nisi ex rei natura vel ex contextu sermonis aliud constet ».)

Caput I. - De praevia librorum censura

546. - « Nisi censura ecclesiastica praecesserit, ne edantur etiam a laicis : *Opera censurae subicienda.*

1°. « Libri S. Scripturarum vel eorumdem annotationes et commentaria ; (c. 1385)

2°. « Libri qui divinas Scripturas, sacram theologiam, historiam ecclesiasticam, ius canonicum, theologiam naturalem, ethicen aliasve huiusmodi religiosas ac morales disciplinas, spectant ; libri ac libelli precum, devotionis vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae aliique huiusmodi... ; ac generaliter scripta in quibus aliquid sit quod religionis ac morum honestatis peculiariter intersit ; (c. 1385)

Quid religionis ac morum honestatis *peculiariter* intersit, ex adiunctis loci vel temporis saepe erit diiudicandum — Accidit enim haud ita raro ut quaestio politici regiminis vel socialis ob adiuncta regionis in hanc vel in illam partem non possit solvi quin ipsa religio multum utilitatis vel detrimenti inde capiat. Ordinariorum iudicio, ut patet, in hac re standum erit, quamquam recursus ad S. Sedem, saltem in devolutivo, semper patebit.

3°. « Imagines sacrae quovis modo imprimendae, sive preces adiunctas habeant, sive sine illis edantur. » (c. 1385)

Iam *omnes* imagines sacrae, non novae tantum (O. M. 15) censurae sunt subiciendae. Sacra dicenda est imago quae ad cultum vel fovendam pietatem editur ; si enim tamquam specimina eximiae artis et opera clarorum artificum proponantur, non est cur, cessante omnino fine legis, a Superioribus ecclesiasticis approbandae sint.

4°. « Quae ad causas beatificationum et canonizationum servorum Dei quoquo modo pertinent... ; (c. 1387)

5°. « Indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc. » ; (c. 1388)

6°. Collectiones decretorum romanarum Congregationum rursus edendae ; (c. 1389)

7°. Libri liturgici eorumque partes, item litaniae a S. Sede approbatae ; (c. 1390)

8°. Omnis nova editio aut translatio in aliam linguam approbati operis. (c. 1392)

Notat ipse Codex excerpta e periodicis capita seorsim edita pro nova editione non esse habenda.

547. - *De auctore licentiae concedendae.*

Licentiam concedit Ordinarius loci auctoris, editionis, impressionis.

1. Nisi approbatio pro materiae qualitate magis reservetur (v. g. pro libris liturgicis, summariis indulgentiarum apostolicarum), « licentiam edendi libros et imagines... dare potest vel loci Ordinarius *proprius auctoris* vel Ordinarius loci in quo libri vel imagines *publici iuris fiant* vel in quo *imprimantur* »... ; « ita tamen ut si quis ex iis Ordinariis licentiam denegaverit, eam ab alio Ordinario auctor petere nequeat, nisi eundem certiorem fecerit de denegata ab alio licentia ». (c. 1395)

Denegatae licentiae motiva indicanda.

2. « Si licentia deneganda videtur, roganti auctori, nisi gravis causa aliud exigat, rationes indicentur. » (c. 1394, 2)

Praetermittitur obligatio, si qua revera fuit, pro auctoribus qui in Urbe degunt impetrandi approbationem Card. Urbis Vicarii vel Magistri S. Palatii. (O. M. 37)

548. - *De censorum munere.* (c. 1393)

De qua re et quomodo iudicium est ferendum.

Censoris munus, si sola canonis verba respicias, est de doctrina libri iudicare, non de eius opportunitate ; sententiam autem scripto dare debet. Renovatur commendatio ut censores in ferendo iudicio non privatas aut suae scholae opiniones sed doctrinam communem catholicorum et probatorum auctorum, omni personarum acceptione seposita, sequantur.

Mentio censoris facienda.

Licentiae edendi praeponatur censoris iudicium et, exceptis rarissimis casibus, eius nomen. Hoc tamen auctori numquam patefiat antequam tulerit faventem sententiam.

549. - *De personis vel causis quae speciali licentia indigent.*

Participatio in scriptis periodicis relig.cath. vel mores impetentibus.

1. Ordinario loci reservatur iudicium de iusta ac rationabili causa, ob quam etiam laici catholici « in diariis, foliis vel libellis periodicis, qui religionem catholicam aut bonos mores impetere solent, quidpiam conscribant ». (c. 1386, 2)

In casu urgente praesumere approbationem licebit, ut nobis videtur.

Obligatio clericorum,

2. « Vetantur clerici saeculares sine consensu suorum Ordinariorum..., libros quoque qui de rebus profanis tractant, edere et in diariis, foliis vel libellis periodicis scribere vel eadem moderari. » (c. 1386)

religiosorum.

3. Religiosi, ut librum de quacumque materia aut in diariis,

foliis vel libellis periodicis scribant eave moderentur, sui Superioris maioris licentia indigent et Ordinarii loci. (cc. 1385. 1386)

Auctam legis severitatem omnes facile perspicient. Iudicio enim Ordinarii subicitur causa *quidpiam conscribendi* in periodicis quae religioni vel bonis moribus sunt infesti. Clericis prohibitio olim facta diaria vel periodica *moderandi* nunc ad omnem *cooperationem* alicuius momenti extenditur quae v. g. repetitis etiam minoribus elucubrationibus habebitur. Ita enim interpretamur verbum « scribere », cum ipse Codex alia verba pro malis ac pro bonis periodicis adhibeat. Ne tamen quis hac interpretatione abutatur, notanda est prohibitio supra facta (c. 545, 2°) sine praevia censura edendi quidquid « religionis ac morum honestatis peculiariter intersit ».

Tandem Religiosi *omnes* clericis saecularibus in hac materia assimulantur, quae veteris legis extensio est cum quod ad res tum quod ad personas. (O. M. 42.) Loci Ordinarius cuius licentia indigent religiosi, videtur unus e tribus illis esse qui in canone superiore indicantur.

550. - *De modo concedendi licentiam eiusque usu.* *Forma licentiae.*

De communicando vel tacendo nomine censoris iam diximus. « Licentia qua Ordinarius potestatem edendi facit, in scriptis concedatur, in principio aut in fine libri, folii vel imaginis imprimenda, expresso nomine concedentis, itemque loco et tempore concessionis. » (c. 1394)

Suppressa est autem obligatio imprimendi in titulo libri approbati nomen et cognomen tum auctoris, tum editoris, locum insuper et annum impressionis atque editionis. (O. M. 43) *Anonymorum editio licita.*

Caput II. - De prohibitione librorum

551. - *De iure libros prohibendi.* (c. 1385)

Ius et officium libros ex iusta causa prohibendi competit : *De potestate in omnes fideles,*

1) Romano Pontifici (per se vel per SS. CC.) et Conciliis generalibus pro universa Ecclesia ;

2) Conciliis particularibus et locorum Ordinariis pro suis subditis. *in dioecesanos.*

A prohibitione Ordinarii immunes esse religiosos *exemptos* eo probabilius nunc est quod iam de facultate agendi « tamquam S. Sedis delegati » tacetur. Praeterea « pro suis subditis » dicuntur valere Ordinariorum prohibitiones.

3) Abbati monasterii sui iuris et supremo Moderatori religionis clericalis exemptae cum suo capitulo vel Consilio pro suis subditis, « idemque, si periculum sit in mora, possunt alii Superiores maiores cum suo Consilio, ea tamen lege ut rem quantocius deferant ad supremum Moderatorem ». *in religiosos.*

Prohibitionem a qua quis ad S. Sedem appellaverit, observare debet, donec in suum favorem res dirimatur.

552. - *De vi prohibitionis.*

Quae passim nec complete dicebantur in veteri iure, nunc clare proponuntur : « Prohibitio librorum id efficit ut liber sine debita *Actus prohibiti.*

licentia nec edi, nec legi, nec retineri, nec vendi, nec in aliam linguam verti, nec ullo modo cum aliis communicari possit ».

Libri prohibiti nova editio.

« Liber quoquo modo prohibitus rursus in lucem edi nequit, nisi, factis correctionibus, licentiam is dederit qui librum prohibuerat eiusve Superior vel successor. » (c. 1389)

Vendere librum prohibitum cuinam licet?

Vendere libros non idem est atque eos venales habere. Venditio libri ei qui licentiam legendi et retinendi libros prohibitos habeat non prohibetur. *Venales* autem habere libros prohibitos nemo potest nisi debitam licentiam a Sede Apostolica impetraverit ; nec tunc cuiquam vendat libros prohibitos, nisi prudenter existimare possit ab emptore legitime peti. Excluduntur praeterea libri ex professo obscoeni. (c. 1404)

553. - *De libris qui ipso iure prohibentur.* (c. 1399)

De libris ante a. MDC editis.

Cum libri ante annum MDC editi solis regulis generalibus subderentur, eorum iam mentio omissa est.

Quinam libri sunt prohibiti?

Ipso iure prohibentur *praecipue* :

1°. Sacrae scripturae editio textus vel cuiusvis versionis ab acatholicis confecta vel publicata ;

2°. Libri *quorumvis* acatholicorum, qui ex professo de religione tractant, nisi constet in iis nihil contra fidem catholicam contineri ;

3°. Nisi debitam approbationem prae se ferant :

a) Textus, annotationes, commentaria, versiones S. Scripturarum ;

b) Libri ac libelli qui novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula enarrant ;

Igitur, ob *solum* approbationis defectum, non iam prohibentur libri ac libelli precum aut qui de scientiis sacris agunt vel institutionem asceticam aut mysticam tradunt.

4°. Libri qui quodlibet ex catholicis dogmatibus impugnant vel deridet, qui errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur, qui cultui divino detrahunt, qui disciplinam ecclesiasticam evertere contendunt, et qui, *data opera*, ecclesiasticam hierarchiam, aut statum clericalem vel religiosum probris afficiunt, aut religionem vel bonos mores impetunt.

Quot libri ac libelli, periodica vel diaria folia ex hoc capite prohibeantur, facile quisque perspiciet.

5°. « Libri qui res lascivas seu obscoenas *ex professo* tractant, narrant aut docent » ;

6°. Imagines piae « quoquo modo impressae » ab Ecclesiae sensu et decretis alienae.

Silet Codex de libris « in quibus conceptus inspirationis S. Scripturae pervertitur aut eius extensio nimis coartatur » (O. M. 11). Recte quidem : nam si perversio revera adest, vix non defenditur error a S. Sede proscriptus vel dogma aliquod impugnatur ; si nimia libertate dicendi peccatur, competentis Superioris erit bono fidelium opportuna speciali prohibitione providere.

554. - *De personis a lege exemptis.*

1. « S. R. E. Cardinales, episcopi, etiam titulares, aliique Ordinarii, necessariis adhibitis cautelis, ecclesiastica prohibitione librorum non astringuntur. » (c. 1401)

Eximuntur cardinales, episcopi, Ordinarii ; qui theologicis vel biblicis studiis dant operam.

2. Qui theologicis vel biblicis studiis *quovis modo* operam dant, possunt, ut antea, uti textibus et versionibus quibuslibet S. Scripturae, modo dogmata catholicae fidei in prolegomenis aut annotationibus non impugnentur et « iidem libri (sc. textus et versiones s. script.) fideliter et integre sint editi ». (c. 1400)

Quae facultas ad omnes fere sacerdotes videtur extendi posse, si praescriptis et commendationibus iuris morem gerentes, quae in theologicis studiis didicerint privato studio et lectionibus colere et augere pergant. Facultas enim conceditur iis qui « quovis modo » eiusmodi studiis operam dant.

Libri classici obscoeni nemini generaliter permittuntur.

N. B. Licentia generalis legendi libros classicos, etiam obscoenos, iis quos magisterii aut officii ratio excusat, olim concessa, iam silentio premitur. Quam omissionem sic interpretari licet. Ubi copia non est petendae licentiae particularis (generalis, saltem ad hunc diem, non concedebatur), si officii aut magisterii ratio huiusmodi lectionem quasi necessariam facit, lex *positiva* desinit obligare, sive quia nimium creat incommodum, sive quia eius finis cessat tunc contrarie. Suppressa autem generali licentia, magis attenti fiunt omnes in gravem causam requisitam ut quis libros ex professo obscoenos legat, et libertas, qua forte non nulli, muneris ratione decepti, abuti poterant, magis restringitur.

Servanda lex naturalis.

Ceterum canone 1405 regula in hac materia semper servanda opportune in memoriam revocatur : « Licentia a quovis obtenta nullo modo quis eximitur a prohibitione iuris naturalis legendi libros qui ipsi proximum periculum spirituale praestant. »

555. - *De auctore licentiae legendi libros prohibitos.*

De facultate Ordinariorum.

Recurrendum est ad S. Officium vel ad Ordinarium. Quo verbo designantur quoque Vicarius generalis, Vicarius capitularis, Superiores maiores religionis clericalis exemptae. Ordinarius, secluso speciali privilegio, facultatem concedere valet « pro singulis tantum libris atque in casibus dumtaxat urgentioribus ». (c. 1402)

Neque hanc restrictam licentiam Superiores locales religiosorum exemptorum, praeter Abbates monasterii sui iuris, facultate saltem *ordinaria*, concedere valent.

556. - *De poenis in violatores legis.* (c. 2318)

Excommunicatio l. s. R. P. specialiter reservata.

1. Excommunicationem l. s. R. Pontifici speciali modo reservatam incurrunt « opere publici iuris facto, editores librorum apostatarum, haereticorum *et schismaticorum*, qui apostasiam, haeresim, *schisma* propugnant, itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes ».

Verba a nobis italice impressa sunt nova : et verbum « *scienter* » in « defendentes » iam non cadit, quae est duplex extensio legis poenalis.

Excommunicatio l. s. nemini reservata.

2. Excommunicationem autem l. s. nemini reservatam incurrunt non imprimentes, sed tantum « auctores et editores qui, sine debita licentia, s. scripturarum libros vel earum annotationes aut commentarios imprimi curant ». Sic confirmatur benignior interpretatio iam antea vigens.

TITULUS XXIV. - DE FIDEI PROFESSIONE

(cc. 1406-1408)

Quaenam professio, quanam formula exigatur.

557. - Sola fidei professio, secundum formulam a Sede Apostolica probatam, imponitur. Ex resp. S. Officii 22 mart. 1918 praescriptae abiurationes modernismi in vigore manent donec S. Sedes aliter statuerit.

Quae autem professio fidei praecipitur, per alium vel coram laico valide praestari nequit. (c. 1407)

Sanctio autem non faciendi fructus suos, quae antea addebatur, cum silentio praetereatur, ex c. 6, 5° abrogata dicenda est.

558. - Ex c. 1406, § 1, Fidei professionem facere secundum formulam a Sede Apostolica probatam debent :

Coram quibus quinam fidem profiteri debeat.

1°. Coram praeside eiusve delegato : quicumque Concilio vel synodo, etiam cum solo voto consultivo intersunt ; praeses autem coram eodem Concilio vel synodo.

2°. Coram sacri collegii decano, Cardinalibus primis in ordine presbyterorum et diaconorum et S. R. E. camerario, promoti ad cardinalitiam dignitatem ;

3°. Coram delegato ab Apostolica Sede : promoti ad sedem episcopalem etiam non residentialem, vel ad regimen abbatiae vel praelaturae *nullius*, vicariatus Apostolici, praefecturae Apostolicae ;

4°. Coram capitulo cathedrali Vicarius capitularis ;

5°. Coram loci Ordinario eiusve delegato et coram aliis consultoribus, assumpti ad officium consultorum dioecesanorum ;

6°. Coram loci Ordinario eiusve delegato et coram capitulo, qui ad dignitatem vel canonicatum promoti sunt ;

7°. Coram loci Ordinario eiusve delegato : Vicarius generalis, parochi et ii quibus provisum fuit de beneficiis quibusvis, etiam manualibus, curam animarum habentibus ; rector, professores sacrae theologiae, iuris canonici et philosophiae in seminariis, initio cuiuslibet anni scholastici, vel saltem initio suscepti muneris ; omnes promovendi ad ordinem subdiaconatus ; librorum censores, de quibus in c. 1393 ; sacerdotes confessionibus excipiendis destinati et sacri contionatores, antequam facultate donentur ea munia exercendi ;

8°. Coram Ordinario eiusve delegato : rector Universitatis vel Facultatis ; coram rectore vero Universitatis vel Facultatis eiusve delegato : professores omnes in Universitate seu Facultate canonice erecta, initio cuiusque anni scholastici vel saltem initio suscepti muneris ; itemque qui, periculo facto, academicis gradibus donantur ;

9°. Coram capitulo vel Superiore qui eos nominavit eorumve delegato : Superiores in religionibus clericalibus.

Quid, si titulus recurrat.

§ 2. « Qui priore dimisso, aliud officium vel beneficium aut dignitatem etiam eiusdem speciei consequuntur, rursus debent fidei professionem emittere ad normam huius canonis. »

Canonis explicatio.

De quo canone haec observanda veniunt :

a) Personae singulares coram quibus fides profitenda est et etiam capitulum religiosum, alium sacerdotem ad recipiendam professionem fidei delegare possunt : quod olim invalide sine indulto factum esset. Hoc valet, sive nomine proprio sive tamquam delegati ab Apostolica Sede professionem excipiant, cum delegatus Apostolicae Sedis suam iurisdictionem subdelegare possit. Alia autem subdelegatio fieri nequit, nisi delegatio ad universitatem causarum facta sit. Cf. c. 199.

b) Tenentur professione fidei omnes professores, etiam laici, Universitatis vel Facultatis catholicae, si, qualis regulariter ex c. 1376 esse debet, canonice erecta sit.

c) Qui *honoris causa* doctores creantur, obligationem non habent, cum nullum *periculum* fecerint ; periculum autem fieri debet ad gradus academicos consequendos. Gradus porro academicos non obtinent qui in Belgio examina subeunt lege civili praescripta, sed qui coram facultate Universitatis catholicae evadunt, periculo tentato, baccalaurei, licentiati (prolytae), doctores theologiae, iuris, etc.

d) Iam non ante singulos maiores ordines (quod prius praeceptum, dein arbitrio episcopi relictum est) sed ante solum subdiaconatum fides profitenda est.

e) Domus studiorum religiosorum nec proprie sunt nec in Codice vocantur seminaria. Quare canonica professionis fidei obligatione Superiores clericalis religionis quidem, non autem professores etiam theologiae obligantur.

f) Nec quilibet ad confessionem audiendam vel contionem habendam admissi iam fidem profiteri debent, sed qui habitualem facultatem consequuntur, ut dicantur *destinati* confessionibus audiendis, vel *munus* contionatoris suscipere. Et qui in una dioecesi iam fidem professi sunt, non videntur eam renovare debere cum in alia habilitantur.

Legis severitas.

559. - « Reprobatur quaelibet consuetudo contra canones huius tituli. » (1408)

Nulla ergo regio vel institutio consuetudinem etiam immemorabilem excusare potest ad obligationem declinandam ; nec, in praesenti, nova consuetudo induci permittitur.

PARS QUINTA
DE BENEFICIIS ALIISQUE INSTITUTIS ECCLESIASTICIS NON COLLEGIALIBUS

TITULUS XXV. - DE BENEFICIIS ECCLESIASTICIS
(cc. 1409-1488)

Notiones.

560. - Specialis beneficiorum condicio in Belgio, ubi, praeter episcopatus, non habentur nisi canonicatus et parochiae, atque ita quidem ut fere omnis dos in annua pensione quam Status solvere debet consistat, sinit ut valde pauca de isto titulo tradamus. Itaque :

Definitio.

Codex beneficium his verbis definit : « Ens iuridicum a competente ecclesiastica auctoritate in perpetuum constitutum seu erectum, constans officio sacro et iure percipiendi reditus ex dote officio annexa ». (c. 1409)

Itaque sola iam perpetuitas erectionis beneficii, non autem collationis, ad definitionem beneficii pertinere dicenda est.

Auctoritas erigens.

561. - Beneficia erigere potest in primis R. Pontifex ; dein, exceptis beneficiis consistorialibus et capituli dignitatibus, Ordinarius territorii ; demum, in proprio titulo vel diaconia, nisi ecclesia sit religionis clericalis exemptae, Cardinalis, dummodo beneficia ne sint curata. (cc. 1414. 394)

Divisio.

562. - Omissis aliis divisionibus, iuvat hanc claram notionem beneficii *duplicis* retinere, qua assimulatur *residentiali*, et illud esse dicitur cui, praeter officium beneficiale, saltem obligatio residendi annexa est. (c. 1411)

Beneficii collatio.

563. - S. Sedi haec *sola* beneficia reservantur, quorum proin collatio, ab altero facta, invalida fuerit :

Quaenam S. Sedi reserventur.

Beneficia consistorialia (i. e. quae in consistorio conferuntur, v. g. episcopatus) ; — omnes dignitates ecclesiarum cathedralium et collegiatarum ; — beneficia quae vacant per obitum, promotionem, renuntiationem aut translationem Cardinalium, Legatorum R. Pontificis, officialium maiorum curiae romanae, et Familiarium, etiam honoris causa tantum, S. Pontificis, tempore vacationis beneficii ; — beneficia quae, fundata extra romanam curiam, vacaverint per beneficiarii obitum in Urbe ; — quae invalide ob simoniae vitium collata fuerint ; — beneficia quibus S. Pontifex per se vel per delegatum manus apposuerit, eo quod electionem irritam declaraverit vel eam vetuerit ; quod renuntiationem admiserit ; quod beneficiarium promoverit, transtulerit, beneficio privaverit ; quod beneficium in commendam dederit. (c. 1435)

Nisi, ob iustam causam, iudicio Ordinarii, collatio paroecialis dilata fuerit, collatio beneficii quod, intra semestre ab habita certa vacationis notitia, collatum non fuerit, ad S. Sedem devolvitur. *Devolutio ob neglegentiam.*

Canon 1435 magnam, potius tamen in iure quam in facto, mutationem inducit, dum reservationes *mensiles* supprimit. Olim, menses distinguebantur alii pontificii, alii episcopales. Prout in alterutris vacabant, beneficia reservabantur S. Sedi vel Ordinario permittebantur. Ex iure autem novem menses erant papales : episcopis residentibus dein concessum est ut alternis mensibus beneficia conferre possent.

Quaestio iam fit num reservationes istae in Belgio observandae sint ? Donec prodierit de ista re authentica declaratio, ita dicendum nobis videtur. Ex Concordato 1801, art. 10, collatio omnium parochiarum, sine ulla exceptione, episcopis addicitur (1). Quare, cum Codex nolit Concordatis derogare, reservationes quae paroecias attinent in Belgio vi carere videntur. De aliis beneficiis silet quidem Concordatum ; sed, si primam capituli dignitatem excipias, quae, in plerisque saltem Belgii dioecesibus, S. Sedi re vera obtingebat, centenaria consuetudo ceteris reservationibus derogavit. Restat itaque ut episcopi iudicent utrum consuetudo ista prudenter toleranda sit an tuto abrogari possit. Quod si huius sententiae sint, ad mentem canonis 5 agent si nominationes istas S. Sedi faciendas offerant. Nihil autem vim novae reservationis enervare videtur, qua omnes dignitates capitulorum S. Sedi reservantur. Cf. Craisson, *Manuale iuris canonici*, n. 455, ss. De Brabandere - Van Coillie - De Meester. *Iuris canonici Compendium*, t. 2 n. 920.)

564. - « Nemo potest beneficium sibi ipse conferre ». (c. 1437) *Nemo sibi confert beneficium*

Vetitum istud cohaeret cum vetito dandi suffragium pro se, quod continet c. 170.

565. - 1. Beneficii possessio propria auctoritate capi vetatur ; sed requiritur missio in possessionem seu institutio corporalis, quam, pro beneficiis non consistorialibus, efficit loci Ordinarius, per se vel per delegatum. (c. 1443) *Missio in possessionem.*

Immo potest ipse a ritu dispensare, scripto documento ; quae dispensatio captae possessionis locum tenet. (c. 1444)

Virtualis ista *installatio* quae, in difficilibus adiunctis, magnae utilitatis esse potest, hactenus in iure ignorabatur.

2. Ordinarius etiam tempus praefinit intra quod possessio beneficii capienda est ; « quo inutiliter praeterlapso, nisi iustum obstiterit impedimentum, beneficium vacare declaret ». (c. 1444)

Haec sanctio quoque nova est.

566. - Omnino notabilis est canon 1450, quo, ad multa incommoda, etiam communi bono adversantia, de medio tollenda, edicitur : « Nullum patronatus ius ullo titulo constitui in posterum valide potest. » Verum Ordinarius spiritualia suffragia, fundatorum liberalitati proportionata, concedere potest, et « Fundationem beneficii admittere ea adiecta condicione, ut beneficium prima vice conferatur clerico fundatori vel alii quem fundator designaverit ». (c. 1450) *Supprimendo iuri patronatus cavetur.*

(1) « *Les évêques nommeront aux cures.* »

Acceditur sic ad rationem qua Ordines religiosi benefactores suos spiritualibus suffragiis potius quam onerosis privilegiis remunerari solent.

Immo curare debent Ordinarii ut patroni, pro suo iure patronatus, vel saltem pro iure praesentandi, spiritualia suffragia, etiam perpetua, pro se suisve acceptent. (c. 1451)

Erogatio reditus superflui.

567. - Quod obligatio erogandi superfluos reditus in pios usus religione, non autem iustitia imperetur, confirmari videtur can. 1473, quo mera obligatio, omissa tituli specialis mentione, inculcatur ; et canone 239, quo Cardinales ista obligatione eximuntur.

Sanctio omissi officii canonici.

568. - Qui non impeditus « obligationi recitandi horas canonicas non satisfecerit, fructus pro rata omissionis non facit suos, eosque fabricae ecclesiae aut seminario dioecesano tradat, vel in pauperes eroget ». (c. 1475)

Canone isto simul docemur quo pacto in similibus casibus, obligatio restitutionis intellegenda sit vel intellegi possit. Neque urgenda est in Belgio apud parochos, cum iam alio titulo modicam pensionem, quae ipsis pro fructibus beneficii est, plene mereantur.

Fructus vacantis beneficii.

569. - Salva parte quae, cum agitur de paroecia, constituendo vicario oeconomo, assignata est (c. 472, 4), fructus beneficii vacantis, deductis expensis, pro dimidia parte accrescunt doti beneficii seu massae communi ; pro altera fabricae ecclesiae, « salva legitima consuetudine qua fructus omnes in bonum dioecesis erogentur ». (c. 1481)

Diversa consuetudo non reprobatur quidem, sed ex regula generali, immemorabilis vel centenaria esse debebit ut vigeat. (Cf. c. 5.)

Hactenus controvertebatur ratio qua fructus beneficii vacantis inter decessorem aut eius heredes et successorem vel fabricam ecclesiae dividendi essent (1). Canon autem noster nec decessori nec successori quidpiam directe tribuit, cum velit ut altera pars capitale seu dotem augeat, altera autem fabricae ecclesiae cedat. Nec consuetudinem reservat nisi illam quae omnia dioecesi adicit. Centenaria tamen vel immemorabilis consuetudo, etiam diversa, servari poterit, arbitrio episcopi.

TITULUS XXVI. - DE ALIIS INSTITUTIS ECCLESIASTICIS NON COLLEGIALIBUS

(cc. 1489-1494)

Generales erectionis condiciones.

570. - Instituta ad opera religionis vel caritatis destinata, ab Ordinario erigi possunt. Per eius decretum, fiunt persona iuridica in Ecclesia. (c. 1489, 1)

Finis utilis, et sufficiens dos ad licitam approbationem requiruntur. (c. 1489, 2)

(1) Cf. Craisson, *Manuale iuris canonici*, n. 135 ss.

Eorum bona administrat rector, secundum normas tabulae fundationis. Qui rector iura et obligationes participat aliorum administratorum bonorum ecclesiasticorum. (c. 1489, 3)

Fundator debet in tabulis fundationis accurate describere « totam instituti constitutionem, finem, dotationem, administrationem et regimen, usum redituum et, casu exstinctionis, successionem in bona ipsius instituti ». (c. 1490)

Eius fundatio acceptari non potest, si fundator exigat ut administratores a ratione Ordinario reddenda sint exempti. (c. 1492, 2)

Tabulae fundationis duplici exemplari conficiendae sunt, quorum alterum in archivo instituti, alterum in archivo curiae reponatur. (c. 1490, 2)

Iura Ordinarii loci.

571. - 1. « Omnia huiusmodi instituta, quovis modo exempta, loci Ordinarius *visitare* potest et debet. » (c. 1491, 1) Et licet non sint in personam moralem erecta et domui religiosae concredita, si domus sit iuris dioecesani, iurisdictioni Ordinarii loci penitus subduntur ; si sit iuris pontificii, « episcopali vigilantiae subsunt, quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis sacrorum administrationem. » (c. 1491)

Luculenter hinc apparet quod iam ante dicebatur : exemptio a iurisdictione non infert exemptionem a visitatione.

2. Etiamsi fundatione, praescriptione aut privilegio Apostolico pium institutum a iurisdictione et visitatione Ordinarii loci exemptum fuerit, ius tamen est Ordinario redditionem rationum exigendi, reprobata contraria consuetudine. (c. 1491)

3. Ordinarius invigilare debet ut piae fidelium voluntates, in horum institutorum fundatione expressae, plene serventur. (c. 1493)

Mutationes.

572. - Sine venia Apostolicae Sedis, instituta ista supprimi, uniri vel in usus a fundatione alienos converti nequeunt, nisi in tabulis fundationis aliud caveatur. (c. 1494)

Pari modo, antea, Legislator iam dixerat etiam instituta religiosa quae sola piscopi auctoritate creantur, ea auctoritate tamen dissolvi non posse. (Cf. c. 493)

PARS SEXTA
DE BONIS ECCLESIAE TEMPORALIBUS

Introductio
(cc. 1495-1498)

Notio.

573. - Quaecumque bona temporalia ad personam moralem, ecclesiastica auctoritate constitutam pertinent, sunt bona *ecclesiastica ;* — dicuntur *sacra,* quae consecratione vel benedictione ad divinum cultum destinata sunt ; — *pretiosa,* quibus notabilis valor sit, artis vel historiae vel materiae causa.

Quid ecclesia in hac parte.

Atque, in his canonibus, nisi aliud appareat, nomine *ecclesiae,* quaelibet persona moralis in Ecclesia designatur. (cc. 1497. 1498)

Inter pia instituta quorum bona sunt ecclesiastica, recenseri iam nequeunt plura recentia fine philanthropiae mere humanae exercendae condita. *Recentia,* inquam ; quia si administratoribus, v. g. *bureau de bienfaisance,* committantur bona regenda quae a piis maioribus seu pia intentione legata sunt, quod ad hanc partem, necessario pia manent.

TITULUS XXVII
DE BONIS ECCLESIASTICIS ACQUIRENDIS
(cc. 1499-1517)

Dominii subiectum.

574. - Dominium bonorum ad eam moralem personam pertinet quae eadem bona legitime acquisivit. (c. 1499, 2)

Cessat sic antiqua controversia de subiecto bonorum ecclesiasticorum, quod alii Christum, alii Papam, alii demum personam moralem, alii societatem fidelium esse dicebant. Cf. v. g. *Iuris can. et iur. civ. can. compendium,* t. 2, n. 876, De Brabandere - Van Coillie - De Meester.

Quid, diviso territorio, faciendum.

575. - « Cum pars territorii cuiuspiam personae moralis ecclesiasticae alii personae vel novae vel iam exsistenti tribuitur, bona communia quae in commodum totius territorii erant destinata et aes alienum quod pro toto territorio contractum fuerat, a dividente auctoritate ecclesiastica, cum debita proportione ex bono et aequo dividi debent ; salvis piorum fundatorum seu oblatorum voluntatibus, iuribus legitime quaesitis, ac legibus peculiaribus quibus persona moralis regatur. » (c. 1500)

Sic a veteri iure receditur, quo sola congrua dos novae ecclesiae facienda praecipiebatur (1) sicut c. 1427, 3· 4, praevidetur ; acceditur autem ad iurisprudentiam curiarum civilium Belgii.

(1) Cfr. Santi-Leitner, *Praelectiones iuris can.* in l. 3, t. 5, n. 102.

Ceterum can. 1500 componendus est cum hoc canone 1427, quo congruae portioni ecclesiae filialis prospicitur et simul cavetur ut sufficientes reditus ecclesiae matrici permaneant.

Conciliatio porro huiusmodi esse videtur. Facienda in primis est divisio qualis c. 1500 imperatur ; qua facta, si ecclesia nova careat congruis subsidiis, ecclesia matrix eam de suis, pro *propriis viribus*, dotare debet. Ob istam tantum dotationem debebit filialis matrici ecclesiae honorem ab Ordinario praestituendum deferre, qui tamen fontem baptismalem ecclesiae matrici reservare vetatur. Cf. CRAISSON, n. 352. 353.

Exstincta persona, quid faciendum.

576. - « Exstincta persona morali ecclesiastica, eius bona fiunt personae moralis ecclesiasticae immediate superioris, salvis semper fundatorum seu oblatorum voluntatibus, iuribus legitime quaesitis atque legibus peculiaribus quibus exstincta persona moralis regebatur. » (c. 1501)

Silentium superioris iuris sic egregie suppletur.

Decimae et primitiae.

577. - Suppressa generali earum obligatione, decimae et primitiae non iam debentur nisi secundum peculiaria statuta ac laudabiles consuetudines. (c. 1502)

Stipis petitio.

578. - Sine proprii Ordinarii et Ordinarii loci licentia scripta, nemo, sive clericus sive laicus, stipem pro quolibet pio aut ecclesiastico instituto vel fine cogere potest. (c. 1503)

De religiosis habentur praescripta cc. 621-624.

Tributa et taxae. Cathedraticum.

579. - 1. Omnes ecclesiae vel beneficia iurisdictioni episcopali subiecta et laicorum confraternitates episcopo quotannis in signum subiectionis, cathedraticum solvere debent, i. e. moderatam taxam antiqua consuetudine determinatam aut determinandam in concilio provinciali vel conventu episcoporum provinciae cum approbatione S. Sedis. (c. 1504)

In Belgio, usus solvendi cathedraticum non exsistit ; nec proin, sine S. Sedis assensu, practice introduci possit, cum eius praefinitio praeviam S. Sedis approbationem exigat. (cc. 1504-1507)

Tributa specialia

2. Praeter tributum pro seminario, de quo c. 1355, speciali necessitate impellente, potest loci Ordinarius omnibus beneficiariis, sive saecularibus sive religiosis, extraordinariam et moderatam exactionem imponere. (c. 1505)

3. Aliud tributum in bonum dioecesis vel pro patrono, ecclesiis, beneficiis, et institutis ecclesiasticis imponere non potest, nisi in actu fundationis vel consecrationis. (c. 1506)

Res exemptae.

4. Nullum vero tributum eleemosynis missarum sive manualium sive fundatarum imponere potest. (c. 1506)

Taxae.

580. - 1. *Taxae*, pro variis actibus iurisdictionis voluntariae vel pro executione rescriptorum Sedis Apostolicae vel occasione ministrationis sacramentorum vel sacramentalium in tota ecclesiastica provincia solvendae, definiuntur a concilio provinciali vel conventu episcoporum ; sed praefinitio nulla vi pollet prius quam a Sede Apostolica approbata fuerit. (c. 1507)

2. Pro dispensatione matrimoniali, reprobata quavis contraria consuetudine, modicam tantum praestationem, ex titulo expensarum cancellariae locorum Ordinarii a non pauperibus exigere possunt. (c. 1056)

3. Indicem taxarum *funeralium* Ordinarius loci pro suo territorio conficere potest. (c. 1234)

Itaque, deficiente consuetudine, taxae de quibus n. 1 non possunt a singulis Ordinariis constitui sed tantum communi decreto episcoporum provinciae cum praevia S. Sedis approbatione. Hoc iam statuerant Normae per S. C. *Concilii* editae a LEONE XIII, 10 iun. 1896, quibus materia ista regebatur (1). Antea, INNOCENTIO XI Pontifice, sanctiones ab eadem S. C. *Concilii*, 8 oct. 1678 latae erant, quae vulgo nomine *taxae Innocentianae* cognoscebantur. Cf. FERRARIS, *Bibl. canonica*, v. *Taxa*.

Ius praescriptionis. Regula generalis.

581. - « Praescriptionem, tamquam acquirendi et se liberandi modum, prout est in legislatione civili respectivae nationis, Ecclesia pro bonis ecclesiasticis recipit, salvo praescripto canonum qui sequuntur. » (c. 1508)

Magna vis inest in canone isto qui civile praescriptionum regimen formaliter canonizat, ac proin traducit ad bona ecclesiastica tum temporalia tum ea etiam de quibus legislator civilis nullatenus curat, ut varia iura spiritualia. Quaedam tamen canonum praescripta reservantur. Interroganti itaque quo praescriptionum iure Ecclesia utatur, respondendum iam est : Iure civili singularum nationum, salvis exceptionibus cc. 1509-1512, de quibus statim.

Requisita fides.

582. - « Nulla valet praescriptio, nisi bona fide nitatur, non solum initio possessionis, sed toto possessionis tempore ad praescriptionem requisito. » (c. 1512)

Canon iste exceptionem generalem continet qua, pro rebus ecclesiasticis, sive de acquisitione sive de liberatione agatur, condicio continuae bonae fidei ad condiciones civiles addenda est. Quamvis enim « possessio », de qua in can. 1512, praescriptionem acquisitivam dicere videatur, vox *Praescriptio* generalis est, et a veteri iure, quo bona fides intellegebatur esse condicio universalis, recedere nobis non licet. Sola servitus quae obligat ad tolerandum factum alienum, v. gr. fenestram unde conspectus in fundum vicinum, sine aliqua obligatae personae fide, solo tempore, exstingui potest, si alter qui ius habet facere omittat : v. g. si fenestram quam exstruendi facultatem habet non aperiat.

583. - 1. Praescriptioni tum acquisitivae tum liberativae obnoxia non sunt, ex c. 1509 :

1°. Quae sunt iuris divini, etiam positivi.

Res imprescriptibiles.

2°. Quae ex solo privilegio Apostolico obtineri possunt : v. g. ius patronatus (ex praesenti iure) ; usus pontificalium ab eo qui non est episcopus.

3°. Fines certi et indubii provinciarum ecclesiasticarum, dioecesium, paroeciarum, vicariatuum Apostolicorum, praefecturarum Apostolicarum, abbatiarum vel praelaturarum *nullius*.

---

(1) A. A. S. t. 29 (1896-97), p. 433-435.

4°. Eleemosynae et onera missarum.

5°. Beneficium ecclesiasticum sine titulo.

6°. Ius visitationis et oboedientiae, ita ut subditi a nullo praelato visitari possint et nulli praelato iam subsint.

Aliud est, si praescribatur per visitationem Apostolicam contra visitationem episcopalem.

7°. Solutio cathedratici : i. e. immunitas a cathedratico solvendo.

2. A *laicis* praescribi nequeunt iura spiritualia quorum laici non sunt capaces.

3. *Res sacrae* quae in dominio privatorum esse nequeunt, a sola persona morali ecclesiastica contra aliam praescribi poterunt ; quae autem a privatis possideri possunt, etiam praescriptione acquiri possunt. — Donec autem consecrationem aut benedictionem non amiserint, ad usus profanos adhiberi non possunt. (c. 1510)

Privilegium Sedis Apostolicae

584. - Res immobiles, mobiles pretiosae, iura et actiones sive personales sive reales quae pertinent ad Sedem Apostolicam, spatio centum annorum praescribuntur. (c. 1511, 1)

Quae ad aliam personam moralem ecclesiasticam pertinent, spatio triginta annorum praescribuntur. (c. 1511, 2)

Quare, v. g. res mobiles, quae, lege civili nostra acquiruntur ipsa possessione bonae fidei, non poterunt, si pretiosae sint, acquiri contra personam moralem nisi per triginta annos.

Praeterea, attendenda sunt privilegia Ordinum religiosorum, quibus praescriptio sexaginta annorum vel adeo centum annorum contra ipsos tantum valere potest. Privilegiis istis Codex non derogat.

De interruptione autem et suspensione praescriptionis, ius civile adeundum erit.

De piis voluntatibus.

585. - 1. Contra ac de contractibus statim dicitur, commendatur quidem ut in legatis piis sollemnitates civiles observentur ; hae tamen essentiales non sunt. Quare, « si omissae fuerint, heredes moneantur ut testatoris voluntatem adimpleant ». (c. 1513)

2. Diligentissime exsecutio omnium piarum voluntatum, etiam circa modum administrationis et erogationis bonorum, inculcatur. (c. 1514)

3. Harum, etiam inter vivos factarum, Ordinarii sunt exsecutores, ita ut alii, perfuncti munere, illis reddere rationem debeant ; et clausula iuri vigilantiae Ordinariorum et obligationi reddendi rationem contraria, in ultimis voluntatibus, pro non adiecta habetur. (c. 1515)

Fiducia Ordinario manifestanda.

586. - Clericus vel religiosus qui bona ad pias causas fiduciarie accepit *(fideïcommis)*, debet de sua fiducia Ordinarium monere, eique omnia istius modi bona cum oneribus adiunctis indicare : quod si donator id expresse et omnino prohibuerit, fiduciam ne acceptet. (c. 1516, 1)

Ordinarius autem exigere debet ut bona fiduciaria in tuto collocentur ; et pro piae voluntatis exsecutione vigilare. (c. 1516, 2)

Si bona sint attributa loci seu dioecesis ecclesiis, incolis aut piis causis iuvandis, Ordinarius ille est Ordinarius loci ; secus, si fiduciarius est religiosus, huius proprius Ordinarius canone intellegitur. (c. 1516, 3)

Ultimarum voluntatum reductio.

587. - 1. Nisi fundator potestatem hanc Ordinario loci (perinde dicendum putamus de Superiore maiore religionis clericalis exemptae) expresse fecerit, reductio, moderatio, immutatio piarum voluntatum, quae sine iusta ac necessaria causa fieri non debet, reservatur S. Sedi. (c. 1517, 1)

2. Si tamen, sine administrationis culpa, ob imminutos reditus vel ob aliam causam exsecutio onerum impositorum impossibilis evaserit, Ordinarius quoque, auditis iis quorum interest, et servata, meliore quo fieri potest modo, fundatoris voluntate, eadem onera aeque imminuere poterit, excepta missarum reductione, quae semper Sedi Apostolicae unice competit. (c. 1517, 2)

TITULUS XXVIII
DE BONIS ECCLESIASTICIS ADMINISTRANDIS

(cc. 1518-1528)

Dioecesanum administrationis consilium.

588. - 1. Ut suum munus advigilandi administrationi omnium bonorum ecclesiasticorum quae in suo territorio sunt nec eius iurisdictioni subtracta sunt rite obeat, Ordinarius *dioecesanum Consilium administrationis* in sua civitate episcopali constituere debet, quod in actibus maioris momenti audire ne praetermittat. Consilio ipse praeest ; - nisi aliter Consilio illi legitime provisum sit - eligit, audito capitulo, duos vel plures sodales idoneos, iuris etiam civilis, quantum fieri potest peritos, qui, citra apostolicum indultum, nequeunt ipsis in primo vel altero consanguinitatis aut affinitatis gradu esse coniuncti, et ius iurandum de bene implendo munere coram Ordinario emittere debent. (c. 1520)

Nominandi administratores.

2. Aliis bonis ecclesiasticis quae suum administratorem non habent, ipse Ordinarius debet assignare idoneos administratores, per se triennales, qui, inventario facto et iuramento coram Ordinario vel Vicario foraneo praestito, secundum praescripta utriusque iuris et fundationis leges, munus cum diligentia boni patrisfamilias implere debent. (cc. 1521-1523)

Ratio reddenda Ordinario.

589. - Reprobata contraria consuetudine, administratores omnes cuiuslibet ecclesiae aut loci pii aut confraternitatis, annuam administrationis rationem Ordinario loci reddere debent. Si ex peculiari iure

aliis ratio reddenda sit, Ordinarius vel eius delegatus cum his, dum rationem exigunt admittendus est, ut liberationes administratoribus suffragari possint. (c. 1525)

Limitata administrantium potestas.

590. - Nec litem inchoare vel contestari possunt sine scripta Ordinarii loci licentia (aut, si res urgeat, Vicarii foranei qui Ordinarium statim moneat) ; — nec, sine eadem licentia, scripto danda, actus valide facere qui ordinariae administrationis fines et modum excedunt. (c. 1527)

Intempesta muneris resignatio sancitur.

591. - Demum ad restitutionem tenentur, si munus, expresse vel tacite admissum, arbitratu suo ita demittunt ut damnum inde ecclesiae obveniat. (c. 1528)

Sollicitudo de operariis.

592. - Humanus autem ac pius modus tractandi operarios omnibus ecclesiasticis administratoribus, praesertim clericis et religiosis suadetur : iusta honestaque sit merces ; pietas studiose foveatur ; domesticae curae et parsimoniae locus detur ; moderatus labor imponatur. (c. 1524)

TITULUS XXIX. - DE CONTRACTIBUS

(cc. 1529-1543)

Vis iuris civilis.

593. - « Quae ius civile in territorio statuit de contractibus tam in genere quam in specie, sive nominatis sive innominatis, et de solutionibus, eadem iure canonico, in materia ecclesiastica, iisdem cum effectibus servetur, nisi iuri divino contraria sint aut aliud iure canonico caveatur. » (c. 1529)

Ampla hic regula nova ponitur, quae valet tum de forma, tum de nullitatis causis, tum de modo exsequendi. Quare, nisi authenticis interpretationibus canon iste limitetur, plurimos et non leves effectus habebit. Cautiones enim canonicae quae iuri civili praevalent alienationem rerum ecclesiasticarum vel repudiatas donationes fere exclusive respiciunt.

Alienatio rei ecclesiasticae. Cautiones praeviae ;

594. - Omissis s. reliquiis et imaginibus pretiosis, quae sine beneplacito Apostolico *alienari* nequeunt (c. 1281), ad alienandas res ecclesiasticas quaslibet quae servando servari possunt, requiritur scripta rei aestimatio a probis peritis ; — iusta dein causa, id est urgens necessitas, evidens ecclesiae utilitas, aut pietas ; — licentia legitimi Superioris : haec ad valorem requiritur ; — cura in Superiore vitandi per alias cautiones, damnum ecclesiae. (c. 1530)

Pretium et modus.

595. - Minore pretio quam a peritis aestimata fuit res alienanda non est.

Alienatio fiat per publicam licitationem, aut saltem nota reddatur, nisi aliud circumstantiae suadeant, et res ei concedatur qui plus obtulerit. Pecunia, ex alienatione percepta, caute, tuto et utiliter in commodum ecclesiae collocetur. (c. 1531)

Cuiusnam licentia requiratur.

596. - Licentiam legitime dant :

1. Pro rebus pretiosis vel quae valore 30000 lib. seu francos superant, S. Sedes.

2. Si valor haeret infra 1000 libellas, loci Ordinarius, audito administrationis Consilio, nisi res minimi momenti sit, et cum eorum consensu quorum interest.

3. Si valor inter 1000 et 30000 lib. continetur, idem loci Ordinarius, dummodo accesserit consensus tum capituli cathedralis, tum Consilii administrationis, tum eorum quorum interest.

4. Apud religiosos, pro omni alienatione infra 30000 lib. requiritur et sufficit licentia Superioris ad normam constitutionum, cum consensu sui capituli seu Consilii, per secreta suffragia manifestato. (c. 534)

5. Eaedem sollemnitates requiruntur pro quolibet contractu quo condicio ecclesiae peior fieri possit. (c. 1533)

Talis est obligatio aeris alieni, de qua ceterum specialia edicuntur.

Sanctio legis.

597. - 1. Actio *personalis* competit ecclesiae contra eum qui sine debitis sollemnitatibus bona alienaverit et contra ejus heredes ; *realis* vero contra quemlibet possessorem si alienatio nulla fuerit ; salvo iure emptoris contra alienantem. (c. 1534, 1)

Contra invalidam alienationem agere possunt ipse qui alienavit ; eius Superior, utriusque in officio successor ; et quilibet clericus ascriptus ecclesiae quae damnum passa est. (c. 1534, 2)

Ut notum est, actio personalis vinculum obligationis ex contractu vel delicto aut quasi-contractu aut quasi-delicto supponit ; dum actio realis ius in re prosequitur.

Donationes.

598. - 1. Donationes de rebus ecclesiasticis sine iusta causa factae a successoribus revocari possunt. (c. 1535)

2. Donatio ecclesiae facta : a) Ab eius rectore seu Superiore sine licentia Ordinarii repudiari nequit ; — b) Propter ingratum Praelati vel rectoris animum revocari nequit ; — c) Ob damna quae ex illegitime repudiata donatione obvenerint, datur actio restitutionis in integrum vel indemnitatis. (c. 1536, 2. 3. 4)

3. Ea autem quae rectoribus ecclesiarum etiam religiosorum fiunt donationes, ecclesiae factae praesumuntur, nisi contrarium probetur. (c. 1536, 1)

Cautio de commodato.

599. - « Res sacrae ne commodentur ad usum qui eorum naturae repugnet. » (c. 1537)

Res sacrae, id est benedictae vel consecratae.

Cautio de aere alienocontrahendo.

600. - Si, ob iustam causam, aes alienum contrahendum est vel bona ecclesiae obliganda sunt, idem Superior qui alienationem permittere potest intervenire debet ; sed antequam licentiam det, omnes quorum interest audire debet ; et curet ut aes alienum

quam primum solvatur. Quare annuae ratae ab eodem Ordinario praefiniantur, quae exstinguendo debito destinatae sint. (c. 1538)

De titulis ad latorem.

601. - De consensu Ordinarii, dioecesani Consilii administrationis et aliorum quorum interest, possunt administratores titulos sine nomine seu *ad latorem* quos vocant, in alios titulos magis aut saltem aeque tutos ac frugiferos commutare, exclusa qualibet commercii vel negotiationis specie. (c. 1539)

Sic finis imponitur diuturnae controversiae, in qua severum datum est responsum a S. C. *Concilii*, 17 febr. 1906 (1).

Ex c. 1539 constat, clericos prohibendos non esse ne titulos cuiuslibet honestae societatis possideant, quia sic vetitam negotiationem exercere viderentur ; constat licere praeterea ut in alios aeque vel magis tutos ac frugiferos commutentur, dummodo omnis species negotiationis v. g. per « speculationes », vitetur.

Cum autem de titulis personae moralis agitur, commutationes, quicumque sit earum valor, non prohibentur quidem, sed si persona ista Ordinario loci subiecta sit, iisdem cautelis faciendae sunt quibus alienationes infra 30000 fr. obnoxiae sunt.

De locationibus.

602. - Ex c. 1541, locatio rei immobilis publice fieri, aut saltem nota reddi debet, nisi circumstantiae aliud suadeant ; et res ei locetur qui plus obtulerit.

Locationes ultra novennium alienationibus comparantur.

Intra novennium, locatio cuius valor 1000 fr. non excedat, ab administratoribus fieri potest, monito Ordinario ; si valor maior sit, licentia Ordinarii, audito administrationis Consilio requiritur ; immo, si superet 30000 fr. consensus capituli cathedralis, Consilii administrationis et eorum quorum interest accedere debet.

Sine venia Ordinarii prohibetur anticipata solutio ultra semestre ; et venditio vel locatio rei immobilis propriis administratoribus vel eorum consanguineis vel affinibus in primo et altero gradu. (cc. 1479. 1540)

De mutuo.

603. - Lucrum, ratione ipsius contractus mutui percipi nequit : sed in praestatione rei fungibilis non est per se illicitum de lucro legali pacisci. (c. 1543)

Sic recepta praxis fenerandi formaliter canonizatur ; nec fas iam est, cum paucis, indulgentiam S. Sedis in hac re pro mera rei malae tolerantia habere. Dum autem lucrum *legale* permittit, Codex indicat quantum certo peti possit ; quo autem titulo exigatur, ipse non dicit.

(1) Cf. PER., t. 2-3, p. 74 et 89-93.

TITULUS XXX. - DE PIIS FUNDATIONIBUS

(cc. 1544-1551)

Partes Ordinarii loci et cautelae de tabulis et libris.

604. - 1. Omissis ecclesiis, etiam parochialibus, religiosorum exemptorum, Ordinarius loci normas praescribit de dotis quantitate infra quam pia fundatio admitti nequeat, et de recta eius fructuum distributione ; — nec fundatio sine scripto eius consensu a persona morali acceptari potest. Ad eius arbitrium, audito dioecesano administrationis Consilio et iis quorum interest, fit prudens collocatio dotationis. Fundationes etiam viva voce factae scripto consignandae sunt : alterum tabularum exemplar in curia dioecesana, alterum in archivo personae moralis obligatae servatur. (cc. 1445. 1546. 1548)

Tabulae et libri.

605. - In qualibet ecclesia conficienda est onerum ex piis fundationibus incumbentium tabella quae apud rectorem in loco tuto conservetur. (c. 1549, 1)

Pariter, praeter librum missis inscribendis (c. 843, 4), alter apud rectorem servetur, in quo singula onera perpetua et temporaria eorumque implementum et eleemosynae notentur, ut de iis omnibus accurata ratio Ordinario loci reddatur. (c. 1549, 2)

Quid apud regulares.

606. - In ecclesiis, etiam parochialibus, religiosorum, Superiori maiori exclusive competunt quae in cc. 1545-1549, modo propositis, Ordinario loci tribuuntur. (c. 1550)

De reductione et interpretatione indulti.

607. - 1. Nisi aliud expresse in tabulis fundationis caveatur, vel, pro aliis oneribus ac missis, impossibilitas de qua c. 1517, 2, intercedat, reductio onerum S. Sedi reservatur. (c. 1551, 1)

2. Indultum reducendi missas *fundatas* nec ad alias missas pactione debitas vel alia onera traduci potest. (c. 1551, 1, 2)

3. Indultum generale reducendi onera ita intellegendum est, ut alia onera potius quam missae reducantur. (c. 1551, 3)

N. B. Ad severitatem istam recte capiendam, reductiones proprie dictas a similibus artibus distinguere oportet. Reductio proprie fit cum onera ex parte levantur quia constituti fructus ad praesentis temporis necessitates non iam conveniunt, vel cum, propter imminutos reditus, de absoluta promissione aliquid demitur. Licet autem (neque haec est reductio) ab ipsis missis dicendis cessare si reditus a fundatore assignati percipi nequeunt ; licet, imminutis reditibus, numerum missarum ad rationem praefixae a testatore eleemosynae imminuere si ipse numerum missarum non determinavit. S. C. C. 20 iun. 1641, et Many, *De Missa*, p. 135.

LIBER QUARTUS

DE PROCESSIBUS

PARS PRIMA. - DE IUDICIIS

(cc. 1552-1998)

Ratio exponendi hunc librum.

608. - Pro fine nobis praestituto et limitibus quibus opus nostrum circumscribitur, liber iste quasi ex toto praetereundus nobis videtur. Quare solos istius libri titulos allegabimus ex quibus pauca, quae vel propter novitatem vel usum cleri potiora videntur, depromenda sunt.

TITULUS I. - DE FORO COMPETENTI

(cc. 1556-1568)

Reservatae causae.

609. - *Solus R. Pontifex* iudicat eos qui supremum populorum tenent principatum, eorumque filios et filias et eos quibus ius est proxime succedendi in principatum ; — Patres Cardinales : — Legatos Sedis Apostolicae et, in criminalibus, episcopos etiam titulares. (c. 1557, 1)

Sola tribunalia Sedis Apostolicae iudicant episcopos in causis contentiosis : si tamen agitur de iuribus aut bonis temporalibus episcopi aut mensae vel curiae dioecesanae, controversia dirimenda deferatur vel, episcopo consentiente, ad dioecesanum tribunal collegiale quod constat officiali et duobus iudicibus synodalibus antiquioribus, vel ad iudicem immediate superiorem. (c. 1557, 2, 1572, 2)

Praeterea iudicant exclusive personas morales ecclesiasticas quae, sicut Ordines religiosi exempti et dioeceses, alium Superiorem immediatum non habent nisi S. Pontificem. (c. 1557, 2)

Iudex a S. Pontifice designatus iudicat causas quas S. Pontifex ad suum advocaverit iudicium. (c. 1557, 3)

Incompetentia aliorum iudicum est absoluta. (c. 1558)

Privilegium Urbis.

610. - Peregrinus in Urbe potest in ipsa tamquam in proprio domicilio citari ; sed ius habet revocandi domum, i. e. petendi ut ad proprium Ordinarium remittatur.

Qui vero ab anno in Urbe commoratur, ius habet declinandi forum Ordinarii et instandi ut coram Urbis tribunalibus citetur. (c. 1562)

TITULUS II
DE VARIIS TRIBUNALIUM GRADIBUS ET SPECIEBUS
(c. 1569-1645)

Recursus ad S. Sedem.

611. - Propter primatum S. Pontificis, quilibet fidelis causam suam sive contentiosam (i. e. qua iura controvertuntur), sive criminalem, in quovis iudicii gradu vel litis statu ad S. Sedem deferre potest.

Recursus tamen iste, nisi sit appellatio, iudicem qui causam cognoscere coepit non prohibet quin eam ad sententiam definitivam perducat, nisi causam a S. Sede ad se advocatam esse constiterit. (c. 1569)

Tribunal primae instantiae.

612. - Iudex primae instantiae est regulariter loci Ordinarius, qui potestatem istam per se vel per alios exercere potest. (c. 1572, 1)

Nova institutio officialis.

613. - Sed debet quilibet *episcopus* Officialem eligere cum potestate ordinaria iudicandi; et quidem distinctum a Vicario generali, nisi exiguitas dioecesis aut paucitas negotiorum suadeat ut officium Vicario generali committatur. (c. 1573, 1)

Officialis iste unum tribunal cum episcopo constituit; causas quas episcopus sibi reservat iudicare nequit. Ei Vice-officiales adiungi possunt. (c. 1573, 2. 3)

Quamvis ad nutum episcopi sint amovibiles, vacante sede a munere non cessant, nec a Vicario capitulari amoveri possunt; positiva tamen novi episcopi confirmatione indigent, ut, eo regente, officium suum servare possint. (c. 1573, 5)

Si Vicarius generalis ipse est Officialis, ab hoc munere non cessat vacante sede, si autem Officialis in Vicarium capitularem eligitur, ipse novum Officialem nominat. (c. 1573, 6. 7)

et iudicum delegatorum.

614. - Praeterea periti sacerdotes, etiam extradioecesani, non plures quam duodecim eligantur ut, potestate ab episcopo delegata, in litibus iudicandis partem habeant: vocabuntur iudices *synodales* aut *prosynodales*, prout in synodo vel extra eam constituantur. (c. 1574)

Quot iudices requiruntur.

615. - 1. Interdum iudicat *unus* iudex, qui tunc ex iudicibus synodalibus duos assessores ut consultores sibi asciscere potest. (c. 1575)

2. Reprobata quavis consuetudine et revocato quolibet privilegio, causae contentiosae de vinculo s. ordinationis et matrimonii vel de iuribus ecclesiae cathedralis, et causae quaedam criminales tribunali collegiali *trium iudicum;* immo graviores causae criminales *quinque iudicum* tribunali reservantur. (1576)

Quisnam iudicat religiosos.

616. - 1. Si controversia inter *exemptos* unius religionis agatur, consulendae sunt Constitutiones. Nisi aliud caveatur, iudex primae

instantiae est Provincialis aut localis abbas monasterii sui iuris. (c. 1579, 1)

Si causa inter duas provincias agitetur, per se vel per delegatum eam iudicat supremus religionis moderator ; aut, si inter duo monasteria, supremus moderator Congregationis monasticae. (c. 1579, 3)

Si vero res controvertatur inter religiosas personas physicas aut morales ad diversas religiones pertinentes, aut inter religiosos non exemptos, aut inter religiosum et clericum vel laicum, iudex primae instantiae est Ordinarius loci. (c. 1579, 3)

Promotor iustitiae et defensor vinculi.

617. - In dioecesi constituendi sunt *promotor iustitiae* et *defensor vinculi* matrimonii vel sacrae ordinationis ; sed non necessario distincti ; possuntque ad universitatem causarum vel pro singulis causis constitui. (cc. 1586, 1588)

Ad universitatem causarum electi, non cessant ab officio, vacante sede ; nec a Vicario capitulari removeri possunt, bene vero ob iustam causam ab episcopo ; et a novo praelato confirmandi sunt. (c. 1590)

In tribunali religiosorum, promotor iustitiae debet esse eiusdem religionis alumnus. (c. 1589, 2)

Tribunal secundae instantiae.

618. - 1. Quae causa collegialiter in prima instantia cognita fuit, etiam in gradu appellationis collegialiter nec a minore iudicum numero definiri debet. (c. 1596)

2. A tribunali suffraganei vel archiepiscopi qui caret suffraganeis vel episcopi immediate S. Sedi subiecti, appellatur ad metropolitam vel proprium vel semel pro semper, praevia S. Sedis approbatione, ab ipsis electum. (cc. 285, 1594, 1, 2)

3. A causis quas metropolita in prima instantia iudicaverit, appellatur ad loci Ordinarium quem metropolita, probante S. Sede, semel pro semper designaverit. (c. 1594,)

4. A Superiore provinciali vel ab abbate locali appellatur ad supremum moderatorem Ordinis vel Congregationis monasticae. (c. 1594, 4)

Recursus contra Ordinariorum decreta.

619. - Contra Ordinariorum decreta non datur appellatio ad tribunal S. Rotae ; sed solum ad S. Congregationes recurri potest. (c. 1601)

TITULUS III
DE DISCIPLINA IN TRIBUNALIBUS SERVANDA
(cc. 1608-1645)

Forma iuris iurandi.

620. - In iudiciis ecclesiasticis, sacerdotes tacto pectore, ceteri tactis evangeliis iurant. (c. 1622)

TITULUS V. - DE ACTIONIBUS ET EXCEPTIONIBUS

(cc. 1677-1705)

Declaratio nullitatis.

621. - Contra atque in nostro iure civili obtinet, si actus vel contractus sit ipso iure nullus, ei cuius interest actio datur ad obtinendam nullitatis declarationem. (c. 1679)

Nullitas actus *ex officio* declarari non potest nisi aut publice id intersit, aut agatur de pauperibus vel de minoribus aliisve qui minorum iure recensentur. (c. 1682)

Praescriptio actionis.

622. - Actiones tum reales tum personales exstinguuntur praescriptione quae cc. 1506-1512 describitur ; ac proin regulariter secundum ius civile ; actiones autem de statu personarum numquam exstinguuntur. (c. 1701)

Mirum videri potest hic etiam allegari can. 1512, a quo bona fides postulatur. Arbitramur tamen praescriptione semper repelli posse actorem qui ius suum exercere omiserit, nisi ab adversario impeditus fuerit. Id est, bonam fidem sicut in casu servitutis tolerandi, aestimari posse censemus.

In causis criminalibus, ipse Codex c. 1703 tempus utile statuit, quod *regulariter triennium* esse voluit.

Quid, praescripta actione, possit Superior.

Praescripta autem poenalis actio Superiorem non impedit quin clericum de cuius idoneitate non constat, non promoveat, vel adeo, ad scandalum vitandum, ab exercitio ordinis et officio removeat. (c. 2222)

TITULUS XIV. - DE IURIS REMEDIIS CONTRA SENTENTIAM

(cc. 1878-1901)

Tempus appellandi.

623. - Appellatio coram iudice *a quo* sententia prolata est, interponi debet intra decem dies a *notitia* publicationis sententiae ; coram iudice *ad quem* dirigitur intra mensem prosequenda est, nisi iudex *a quo* longius tempus concesserit. (cc. 1881. 1883)

Vis appellationis.

624. - Salvo iure iudicis iubendi, cum debitis cautelis, provisoriam exsecutionem propter gravem et urgentem necessitatem, omnis appellatio est in suspensivo, nisi aliud in iure expresse caveatur. (cc. 1889. 1917)

Quid agi possit.

In gradu *appellationis*, nova petendi causa admitti nequit ; quamvis novae probationes afferri possint, ita ut solum de reformanda vel confirmanda priore sententia, ex toto vel parte, agi queat. (c. 1891)

TITULUS XV
DE RE IUDICATA ET DE RESTITUTIONE IN INTEGRUM
(cc. 1902-1907)

Res iudicata.

625. - Res *iudicata* habetur : a) Duplici sententia conformi ; b) Sententia non tempestive appellata ; c) Sententia definitiva unica a qua, secundum c. 1880 appellatio non datur. (c. 1902)

Ubi ergo altera sententia priori contradixerit, tertia sententia in iure canonico, contra atque in nostro iure, peti potest. Aliunde tamen ius bis appellandi non absolute conceditur, sed, quod olim de sententia bis *confirmata* dicebatur (1), iam valet de duplici sententia conformi : transit in rem iudicatam.

TITULUS XVII. - DE EXSECUTORE SENTENTIAE
(cc. 1917-1924)

Executor sententiae.

626. - Sententiam exsecutioni mandat, per se vel per alium, Ordinarius loci in quo sententia primi gradus lata est. Qui si renuat aut neglegat, exsecutio ad iudicem appellationis spectat. (c. 1920, 1)

Inter religiosos, Superior qui sententiam tulit aut iudicem delegavit eandem exsequitur. (c. 1920, 2)

TITULUS XVIII
DE MODIS EVITANDI IUDICIUM CONTENTIOSUM
(cc. 1925-1932)

De transactione et compromisso in arbitros.

627. - 1. In *transactione* vel *compromisso* in arbitros, observantur leges civiles loci in quo ineuntur, nisi iure divino vel canonico adversentur, et salvis cc. 1927. 1928. 1931. (Cf. 1926. 1930)

2. Transactio vel compromissum fieri valide nequit, sive in causa criminali, sive in contentiosa, de matrimonio dissolvendo ; vel de materia beneficiaria cum de ipso beneficii titulo disceptatur, nisi legitima accedat auctoritas ; nec de rebus spiritualibus, quotiescumque interveniat solutio rei temporalis. (c. 1927, 1)

Si materia id postulet, sollemnitates pro alienatione rerum ecclesiasticarum servandae sunt. (cc. 1927, 2. 1930)

---

(1) Arg. c. Ut calumniis, 1, Clem. *De re iudicata*, (II, 11). Cf. PIRHING, in l. c. t. 28, n. 125.

TITULUS XIX. - DE IUDICIO CRIMINALI

(cc. 1933-1958)

Quaenam delicta plectantur.

628. - 1. Sola delicta publica criminali iudicio locum dant, si excipias delicta quaedam clericorum non residentium, concubinariorum, neglegentium, vel qui suspensioni ex informata conscientia obnoxii sunt. (c. 1933, 1)

Paenitentia, remedium poenale, excommunicatio, suspensio, interdictum, dummodo delictum certum sit, infligi possunt etiam per modum praecepti extra iudicium. (c. 1933, 1. 3. 4)

Accusatio,

629. - « Actio seu accusatio criminalis uni promotori iustitiae, ceteris omnibus exclusis, reservatur. » (1934)

Suppressa sic accusatione privatorum, formaliter introducitur in forum canonicum regula quae iam diu in foro nostro civili viget.

Denuntiatio.

630. - Fidelibus permittitur vel etiam imponitur *denuntiatio*, quae « scriptis a denuntiante subsignatis vel ore tenus fieri debet loci Ordinario, vel cancellario curiae vel vicariis foraneis vel parochis, a quibus tamen, si viva voce facta fuerit, scriptis est consignanda et statim ad Ordinarium deferenda ». Et denuntians adiumenta probationis promotori iustitiae suppeditare debet. (c. 1937)

Hactenus denuntiatio Ordinario loci vel S. Sedi formaliter facienda erat ; et parochus mere benignam operam suam praestabat. Nunc, nisi de certis argumentis, v. g. de sollicitatione (c. 904), aliter statuatur, qui rem parocho detulit, debito suo formaliter et plene satisfecit.

Correptio pro iudicio.

631. - « Si reus interrogatus delictum confiteatur, Ordinarius, loco criminalis iudicii, utatur correptione iudiciali si eidem locus sit. » (c. 1947)

In gravioribus quibusdam delictis, puniendis excommunicatione specialiter Sedi Apostolicae reservatae, vel privatione beneficii, infamiae, depositione aut degradatione ; aut cum sententia declaratoria commissae poenae ferenda est, aut plus quam semel et iterum contra eundem reum, locus isti correptioni non datur. Plerumque remedia salutaria vel paenitentiae mitiores quam comminatae poenae simul imponendae sunt. (cc. 1948-1953)

TITULUS XX. - DE CAUSIS MATRIMONIALIBUS

(cc. 1960-1992)

Reservatae causae.

632. - « Praeter causas supremorum principum, eorum filiorum et filiarum et eorum quibus ius est proximum succedendi in regnum, quae reservantur S. Congregationi, tribunali vel commissioni cui

S. Pontifex eas commiserit, causae dispensationis super matrimonio rato et non consummato reservantur S. Congregationi *de disciplina sacramentorum ;* quae autem ad privilegium Paulinum referuntur, a *S. Officio* iudicantur. » (c. 1973)

633. - « Decreta matrimonii nullitate, Ordinarius loci curare debet ut de ea mentio fiat in baptismorum et matrimoniorum regestis, ubi matrimonii celebratio consignata invenitur. » (c. 1988) *Inscriptio sententiae nullitatis.*

634. - Sicut omnes causae de statu personarum, sententiae in causis matrimonialibus numquam transeunt in rem iudicatam. Quare, si tamen nova argumenta praesto sint, semper retractari poterunt. (cc. 1903. 1989) *Causa resumi potest.*

635. - Cum ex certo et authentico documento, quod nulli contradictioni vel exceptioni obnoxium sit, constiterit de exsistentia et de non-dispensatione impedimenti disparitatis cultus, ordinis, voti sollemnis castitatis, ligaminis, consanguinitatis, affinitatis aut cognationis spiritualis, tunc, praetermissis aliis sollemnitatibus, potest Ordinarius, partibus citatis, matrimonii nullitatem declarare, cum interventu tamen defensoris vinculi. (c. 1990) *Causae exceptae a sollemnitatibus.*

636. - Hic, si rem non esse certam prudenter dubitet, provocare debet ad iudicem secundae instantiae, qui, cum solo interventu defensoris vinculi, decernet utrum sententia sit confirmanda, an causa ordinario modo iudicanda sit : causam tunc ad tribunal primae instantiae remittit. (cc. 1991. 1992) *Appellatio defensoris.*

TITULUS XXI. - DE CAUSIS CONTRA S. ORDINATIONEM

(cc. 1993-1995)

637. - Simili modo quem adhibuit pro nullitate matrimonii cum defensore vinculi matrimonialis, Codex ordinat cum defensore vinculi s. ordinationis processum quo vel ipse valor sacrae ordinationis vel eius obligationes impugnantur. Libellus mittitur ad S. Congregationem *de disciplina sacramentorum,* vel, si defectus substantialis ritus allegatur, ad s. C. *S. Officii.* Sacra Congregatio definit utrum iudiciario ordine an disciplinae tramite sit pertractanda. *Actio contra S. ordinationem.*

638. - Observes cessare in posterum specialem formam a Benedicto XIV invectam iudicandi causas nullitatis professionis religiosae. Quam formam iam imitatur ratio impugnandi s. ordinationem, de qua nulla lex hactenus speciale quidpiam edixerat. *Quid de nullitate professionis ?*

PARS SECUNDA
DE CAUSIS BEATIFICATIONIS SERVORUM DEI ET CANONIZATIONIS BEATORUM

(cc. 1999-2141)

De titulo venerabilis.

639. - Pars ista, quae cc. 1999-2141 complectitur, a nobis hic praetereunda videtur.

In ea confirmatur canone 2115 regula, satis recens (1), qua solummodo post decretum de heroicitate virtutum vel de martyrio, servus Dei nuncupari potest *venerabilis*, « qui titulus nullam tamen publici cultus permissionem importat ».

PARS TERTIA. - DE MODO PROCEDENDI IN NONNULLIS EXPEDIENDIS NEGOTIIS VEL SANCTIONIBUS POENALIBUS APPLICANDIS

Normae generales

(cc. 2142-2146)

De summariis processibus.

Normae quaedam generales proponuntur de quibusdam processibus *summarie* agendis, in quibus ad suspendendos vel removendos inhabiles vel graviter reos beneficiarios eae tantum iudicii formae servantur, quibus periculum sententiae iniuste vel incaute ferendae removetur.

Personae adhibendae.

640. - 1. Notarius semper adhibendus est cum examinatoribus et consultoribus, qui loco assessorum sunt. Circa omnia quae ex munere noverint officiales ad secretum tenentur, iureiurando promittendum, cuius violatio poenis congruis est sancienda. Testes duo vel tres audiri non prohibentur, nisi ad moras tantum nectendas inducantur.

Monitionis necessitas et forma.

2. Monitiones semper coram testibus vel, si ob distantiam locorum necessarium sit, per epistolam de cuius receptione constare possit, faciendae sunt. De monitione facta authentico documento constare debet. (cc. 2142-2145. 1719)

De recursu ad S. Sedem.

3. « A definitivo decreto unicum datur iuris remedium, i. e. recursus ad S. Sedem... Pendente recursu, Ordinarius paroeciam vel beneficium quo clericus privatus sit, alii stabiliter conferre nequit. » (c. 2146)

Materia huius partis.

Quae sequentibus titulis decernuntur maximam partem in decr. S. C. *Consistorialis*, *Maxima cura* (20 aug. 1910), erant statuta, in quo de amotione

(1) A. A. S. 29 sept. 1913 vel Periodica, t. 7, p. 217.

administrativa parochorum sive amovibilium, sive etiam inamovibilium agebatur (1).

Interdum enim accidit ut *ob utilitatem fidelium* amovendus sit ab officio parochus, cuius ministerium sive ex propria culpa, sive ex alia quacumque causa inutile aut inefficax factum sit.

TITULUS XXVII. - DE MODO PROCEDENDI IN REMOTIONE PAROCHORUM INAMOVIBILIUM

(cc. 2147-2156)

641. - 1. *Causa* requiritur qua parochi sive rei, sive insontis, ministerium fidelibus iam prodesse non possit. Exempli gratia, citantur imperitia vel permanens infirmitas mentis aut corporis, odium plebis, etiam iniustum, bonae existimationis amissio apud probos, probabile crimen occultum, mala rerum temporalium administratio, etc. Supponitur nullo alio remedio remotionem suppleri posse. (c. 2147) *Causae requisitae.*

2. *De modo procedendi.*

a) Re cum duobus examinatoribus mature deliberata, invitandus est parochus (nisi mentis vitio laboret) ut intra certum tempus paroeciae renuntiet. Indicanda sunt, quod ad valorem, causa et argumenta invitationis. (c. 2148) *Invitatio ad renuntiationem.*

b) Si, invitatione certo cognita, renuat vel eius oppositae allegationes non sint admittendae, remotionis decretum fertur. (cc. 2149. 2151. 2152) *Decretum remotionis primum, definitivum.*

c) Si probationes et rationes recursus apud eundem Ordinarium infra decem dies facti (quae non est appellatio) non admittendae sint, decretum fertur definitivum. (c. 2153)

3. In facienda monitione et examinandis rationibus a parocho allatis, episcopus procedit « auditis duobus examinatoribus » (cc. 2148 2152); in examinando *recursu* auditis duobus parochis consultoribus. (c. 2153) — Quos etiam consulet antequam, sive novi officii concessione sive alio modo, amoto parocho provideat. (c. 2154) *Partes examinatorum vel consultorum.*

TITULUS XXVIII. - DE MODO PROCEDENDI IN REMOTIONE PAROCHORUM AMOVIBILIUM

(cc. 2157-2161)

642. - Causae remotionis indicantur eaedem. At in invitatione ad renuntiandum facienda, episcopus potest solus procedere. Rationes vero contra renuntiationem forte allegatas cum duobus examinatoribus, ad validitatem, perpendere debet. Tunc reiterata, si casus ferat, invitatione et parocho renuente, decretum remotionis fertur, quod statim est definitivum. *Quae discrimina in modo procedendi.*

(1) A. A. S. t. 2 (1910), p. 636 ss. *Per.* t. 5. p. 234 ss.

TITULUS XXIX. - DE MODO PROCEDENDI IN TRANSLATIONE PAROCHORUM

(cc. 2162-2167)

Translatio parochi

643. - Ad bonum animarum procurandum, cuivis parocho translatio ad aliam paroeciam, addita suavi exhortatione, proponi potest. (c. 2162)

inamovibilis,

« Parochum *inamovibilem* Ordinarius invitum transferre nequit, nisi speciales facultates a S. Sede obtinuerit. » (c. 2163)

amovibilis.

Parochi *amovibilis,* si translationem recuset, allegationes Ordinarius examinet. Tunc auditis, ut valide agat, circa illas et totius negotii adiuncta, duobus parochis consultoribus, si perstandum in sententia censeat, invitationem paterne renovet : qua repulsa, ad translationem auctoritative potest procedere. (cc. 2163-2167)

TITULUS XXX. - DE MODO PROCEDENDI CONTRA CLERICOS NON RESIDENTES

(cc. 2168-2175)

Non residenti monitio facienda.

644. - 1. Contra clericos non residentes Ordinarius modo administrativo procedere potest.

Impensis parochi residentiam neglegentis Ordinarius provideat, ne salus animarum detrimentum patiatur. Si parochus residentiam non instauret et allegationes non afferat, beneficium vacare declaretur.

Eius rationes perpendendae.

2. Allegationes autem parochi amovibilis post primam monitionem et semel tantum, inamovibilis vero post alteram monitionem iterum Ordinarius, accitis duobus examinatoribus, perpendere debet. Quas si insufficientes iudicaverit, praecipiat ut intra certum tempus

Beneficii privatio.

parochus residentiam instauret. Renuentis paroecia vacare declaratur ; redeunti prohibetur ne sine scripta licentia rursus discedat « sub poena privationis beneficii ipso facto incurrendae ». (c. 2174)

Poenae post reditum.

In omni absentia illegitima, praeter fructuum privationem, redeunti alia poena congrua infligi potest.

TITULUS XXXI. - DE MODO PROCEDENDI CONTRA CLERICOS CONCUBINARIOS

(cc. 2176-2181)

645. - Clericus qui monitus mulierem suspectam apud se retinere vel frequentare pergat, a divinis suspendatur, paroecia aut si beneficium simplex obtinet, omnibus fructibus gradatim infra certa intervalla, immo ipso beneficio privetur. *Spretae comminationis effectus.*

Parochi amovibilis semel, inamovibilis semel et iterum causas excusationis Ordinarius cum duobus examinatoribus perpendere debet et novum strictum praeceptum imponere, antequam poenas statutas infligat. *Rationes rei examinandae.*

TITULUS XXXII. - DE MODO PROCEDENDI CONTRA PAROCHUM IN ADIMPLENDIS PAROECIALIBUS OFFICIIS NEGLEGENTEM

(cc. 2182-2185)

646. - De hac neglegentia in decr. *Maxima cura* inter causas remotionis agebatur. Respiciuntur praecipue propositio doctrinae christianae, administratio sacramentorum, praesertim aegrotis, cura decoris et munditiei, etc. *Qualis neglegentia agitur?*

Modus procedendi non nihil mutatus est. Parochum qui post monitionem et poenarum comminationem se non emendaverit, Ordinarius, auditis duobus examinatoribus et facta reo sese defendendi facultate, corripere et congrua poena afficere debet. Quae si fuerint irrita et de gravi permanente neglegentia constiterit, parochus amovibilis statim paroecia privari potest : inamovibilis vero tantum si, fructibus beneficii pro gravitate culpae privatus, non resipuerit. *De modo procedendi.*

TITULUS XXXIII. - DE MODO PROCEDENDI IN SUSPENSIONE EX INFORMATA CONSCIENTIA INFLIGENDA

(cc. 2186-2194)

647. - In hoc titulo vix non resumuntur verba Instructionis S. C. *de Prop. fide* datae die 20 oct. 1884. (Coll. P. F. II, n. 1628)

1. Cum interdum ad dignitatem sacri ministerii et utilitatem animarum tuendam delicta quaedam, de quibus iudicium institui nequeat, prompte reprimere necesse sit, Ordinariis licet, nulla adhibita forma iudiciali vel canonica monitione, ex informata con- *Necessitas huius suspensionis.*

scientia clericos suos subditos simplici decreto suspendere sive ex parte sive etiam in totum. (cc. 2186. 2187)

Forma decreti. 2. *Decretum suspensionis* in scriptis detur, nisi adiuncta aliud exigant, designato die, mense et anno, et clare determinet tempus durationis poenae et actus qui prohibentur. (c. 2188)

Causa huius poenae. 3. *Causa* huius poenae grave delictum sit oportet, sive occultum sive publicum (numquam vero notorium) in quod, quominus ad iuris normam procedatur, physica vel moralis impossibilitas obstet. Qui casus erit v. g. si testimonia qualia in iudicio requiruntur deficerent, vel ex processu grave scandalum oriretur. (cc. 2191. 2192)

Procurentur probationes. 4. Ordinarius, antequam poenam inferat, de admisso delicto eas *probationes* sibi procuret quibus apud S. Sedem fidem omnimodam facere possit, si clericus ad eam recurrerit. (cc. 2190. 2194)

De recursu contra decretum. 5. Si *in pensione* oeconomo ad curam animarum solvenda clericus se gravatum censeat, imminutionem ab immediato Superiore petere potest, qui in via iudiciaria esset iudex appellationis ; contra decretum ipsum non datur recursus nisi ad S. Sedem. (cc. 2189. 2194)

LIBER QUINTUS

DE DELICTIS ET POENIS

648. - Ecclesiastica auctoritas externa quaedam facta contra leges speciali poena punienda esse censuit quia bono *sociali* magis nocent. *Huius libri obiectum et divisio.*

Haec vocantur *delicta*. In his poenisque determinandis temporum adiuncta maxime esse respicienda nemo mirabitur. Quare Pius IX, Const. *Apostolicae Sedis* (12 oct. 1869), multis veteribus sanctionibus abrogatis, de censuris latae sententiae novam legem fecerat. In libro V° Codicis principia quibus haec difficilis materia regitur una cum nova delictorum et poenarum definitione inveniuntur. Paucissimis additis poenis, nonnullis vero suppressis, haud pauca magis determinantur. Tribus liber constat partibus, quarum prima de *delictis*, secunda de *poenis*, tertia de *poenis in singula delicta* latis agit.

PARS I. - DE DELICTIS

TITULUS I. - DE NATURA DELICTI EIUSQUE DIVISIONE

(cc. 2195-2198)

649. - 1. « Nomine delicti, iure ecclesiastico intellegitur externa et moraliter imputabilis legis violatio cui addita sit sanctio canonica saltem indeterminata. » (c. 2195) *Notio delicti,*

Delictum a quavis alia legis violatione *poena* canonica discernitur. Iam pro qualitate delicti varia verba non adhibentur ut erant *crimen*, *excessus*, etc.

2. Delictum est *occultum*, si nec divulgatum est nec eius divulgatio ex adiunctis prudenter est praevidenda : secus est *publicum*. Si praeterea talibus in adiunctis sit commissum ut nulla tergiversatione celari nulloque iuris suffragio excusari possit, est *notorium notorietate facti*. (cc. 2197. 1750) *occulti, publici,*

Notorium vero est *notorietate iuris* in duobus tantum casibus, sc. si de ipso a iudice *competente* lata sit sententia quae in rem iudicatam transierit, aut si reus illud in scriptis vel oretenus confessus sit *in iudicio*, coram iudice *competente*, sive sponte sive a iudice interrogatus. *notorii.*

Ad *notorietatem facti* ergo remittendi sunt casus quibus reus in committendo delicto ab ipso Superiore manifeste deprehenditur vel delictum documentis publicis asseritur (v. g. si secundae nuptiae, vivente comparte, in libris publicis annotantur.)

TITULUS II. - DE IMPUTABILITATE DELICTI, DE CAUSIS ILLAM AGGRAVANTIBUS VEL MINUENTIBUS, ET DE IURIDICIS DELICTI EFFECTIBUS

(cc. 2199-2211)

Quaenam imputabilitatem minuunt.

650. - In ferendis, applicandis et remittendis poenis ad imputabilitatis gradum valde est attendendum.

1. Imputabilitatem minuit quidquid *dolum* minuit seu deliberatam voluntatem violandi legem vel *culpam* in ignorantia legis aut in omissione debitae diligentiae.

2. Omnem imputabilitatem *delicti* tollunt carentia usus rationis, habitualis amentia (*ex praesumptione* iuris) et omnis perturbatio mentis involuntaria quae usu privat rationis (c. 2201) ; ignorantia *legis* inculpabilis (c. 2202), vis physica omnino praevalens, immo grave incommodum, *plerumque* saltem, si agitur de lege mere ecclesiastica. (c. 2203)

3. « *Ignorantia* solius poenae imputabilitatem delicti non tollit, sed aliquantum minuit » (c. 2202), unde reus poenis minoribus *ferendae* sententiae plecti poterit.

Effectus metus, gravis incommodi.

4. Quando actus est intrinsece malus (v. g. periurium, falsum testimonium) aut vergit in contemptum fidei (v. g. favor excommunicato vitando in crimine praestitus) vel Ecclesiae auctoritatis (v. g. duellum) vel in animarum damnum (v. g. violatio sigilli sacramentalis), metus quoque gravis, necessitas, grave incommodum delicti imputabilitatem minuunt quidem, sed non auferunt. Extra hos casus, si agitur de lege *mere ecclesiastica*, delictum plerumque tollunt. (c. 2205)

Cooperationis imputabilitas.

651. - 1. *Cooperatio* vero pro maiore vel minore efficacia iudicatur (c. 2209).

Magni momenti sunt tres primae paragraphi huius canonis, ad quem haud semel remittimur.

§ 1. « Qui communi delinquendi consilio simul physice concurrunt, omnes eodem modo rei habentur, *nisi adiuncta alicuius culpabilitatem augeant vel minuant.*

§ 2. In delicto quod sua natura complicem postulat, unaquaeque pars est eodem modo culpabilis, *nisi ex adiunctis aliud appareat.*

§ 3. Non solum mandans, qui est principalis delicti auctor, sed etiam qui ad delicti consummationem inducunt vel in hanc quoquo modo concurrunt, non minorem, *ceteris paribus*, imputabilitatem contrahunt, quam ipse delicti exsecutor, si delictum sine eorum opera commissum non fuisset. »

2. Unde concludit c. 2211 : « Omnes qui in delictum concurrunt ad normam c. 2209, §§ 1-3, obligatione tenentur in solidum expensas et damna resarciendi quae ex delicto quibuslibet personis

obvenerint, licet a iudice pro rata damnati ». Aliorum cooperatorum imputabilitas pro mensura concursus vel efficacia retractationis, si adsit, est dimetienda.

TITULUS III. - DE CONATU DELICTI

(cc. 2212-2213)

Conatus delicti notio

652. - Distinguitur *conatus delicti* a *delicto frustrato*. Hoc habetur si media *apta et efficacia*, praeter voluntatem agentis, *ex alia causa* effectum sortita non sunt, ille, si delictum non est consummatum quia reus consilium suum deseruit aut ob mediorum ceteroquin aptorum inefficaciam.

et poenae.

Conatus delicti interdum in delictum erigitur ; seclusa tamen expressa mentione, nullis latae sententiae, minoribus ferendae sententiae poenis punitur.

PARS II. - DE POENIS

SECTIO I. - DE POENIS IN GENERE

Iuris puniendi in Ecclesia fons et usus

653. - Cum Christus Ecclesiam societatem perfectam et independentem instituerit, « nativum et proprium Ecclesiae ius est, independens a qualibet auctoritate, coercendi delinquentes sibi subditos poenis spiritualibus tum etiam temporalibus ». Qua potestate Pastores, cum ad aedificandum, non ad destruendum concessa sit, ne utantur quin mansuetudine rigor, misericordia iudicium, lenitate severitas temperetur. (2214. Cf. Trid. S. XXIII, c. 1 de ref.)

TITULUS IV. - DE POENARUM NOTIONE, SPECIEBUS, INTERPRETATIONE ATQUE APPLICATIONE

(cc. 2215-2219)

Poenarum divisio ex fine,

654. - 1. Poena ecclesiastica si *primario* delinquentis emendationem intendat, vocatur *medicinalis seu censura ;* si delicti punitionem poena *vindicativa.*

Quae distinctio in Codice cum capitum titulis tum expressis verbis tandem perfecte servatur.

ex modo quo feruntur.

2. Poenae dicuntur *a iure*, seu in ipsa lege statutae, aut *ab homine*, seu latae per modum praecepti vel per sententiam *condemnatoriam ;* « poena ferendae sententiae legi addita, ante sententiam condemnatoriam est *a iure tantum*, postea *a iure simul et ab homine*, sed consideratur tamquam *ab homine* ». (c. 2217)

Ab ea ergo absolvere non poterit nisi qui delegatione *speciali* ab infligente poenam gaudet.

Poenarum l. s. formulae.

3. Porro « poena intellegitur semper ferendae sententiae, nisi *expresse* dicatur eam esse *latae sententiae*, vel *ipso facto* seu *ipso iure* contrahi vel nisi alia similia verba adhibeantur ». (ibid. et 2) (1)

Hoc canone freti, censebamus verbis « excommunicationi subiaceat », et « manet excommunicatio » poenam ferendae sententiae designari. In quibusdam enim canonibus expresse dicitur « subiaceat ipso facto excommunicationi » (c. 2343), « subiaceant excommunicationi latae sententiae » (c. 2345). Poenas vero latae sententiae illis quoque verbis exprimi docemur indice alphabetico Codicis.

TITULUS V
DE SUPERIORE POTESTATEM COACTIVAM HABENTE

(cc. 2220-2225)

Quisnam potest poenas statuere?

655. - 1. Qui pollent potestate leges ferendi vel praecepta (vi iurisdictionis) imponendi possunt quoque legi vel praecepto poenas annectere ; iudices possunt tantummodo poenas legitime statutas ad normam iuris applicare.

« Vicarius generalis sine mandato speciali non habet potestatem infligendi poenas. » (c. 2220)

Comminationis poenae necessitas.

2. Si quis legem, cui nulla sanctio erat apposita, violaverit, non potest sine praevia poenae comminatione puniri, « nisi scandalum forte datum aut specialis transgressionis gravitas id ferat ». (c. 2222, § 1)

Si ob delictum probabile, vel cuius actio poenalis est legitime praescripta, aut ad removendum scandalum, Superior clericum ab ordinibus arcendum vel ab officio suspendendum esse censet haec « in casu non habere rationem poenae » expresse declarantur. (c. 2222, § 2)

Munus iudicis in poenis applicandis.

3. Cum bonum delinquentis, praeter bonum commune, semper intendatur, multum committitur prudentiae et conscientiae iudicis in applicandis, differendis vel temperandis poenis *ferendae* vel declarandis poenis *latae sententiae*. Has autem « sive ad instantiam partis cuius interest, sive bono communi ita exigente » declarare debet. (c. 2223, § 4)

---

(1) Verba « latae sententiae » et « ferendae sententiae » signis « l. s. » et « f. s. » indicabimus.

TITULUS VI
DE SUBIECTO COACTIVAE POTESTATI OBNOXIO
(cc. 2226-2235)

De vi legis in actus praeteritos.

656. Quamquam lex praeteritos actus per se non respicit, exceptio quaedam de lege poenali statuitur c. 2226, §§ 2, 3, sc. « Licet lex posterior obroget anteriori, si tamen delictum, quando lex posterior lata est, iam commissum erat, applicanda est lex reo favorabilior. — Quod si lex posterior tollat legem vel poenam tantum, haec statim cessat, nisi agatur de censuris iam contractis. »

Personae soli R. P. subiectae.

657. - 1. Non subsunt nisi poenis a R. Pontifice inflictis vel declaratis :

1°. Qui supremum tenent populorum principatum horumque filii et filiae eive quibus proximum est ius succedendi in principatum ;

2°. S. R. E. Cardinales ;

3°. Legati S. Sedis.

Neque Cardinales lege poenali comprehenduntur nisi expresse nominentur. (c. 2227. cf. c. 1157, § 2)

Quid de « ignorantia affectata » ?

2. Contra ac sentiebant non nulli doctores, ignorantia *affectata* a nullis *l. s.* poenis excusat, etiamsi lex verba specialia adhibuerit, ut sunt : si praesumpserit, scienter, etc. (c. 2229, 1)

Impuberes excusantur.

3. *Impuberes* a poenis *l. s.* iam certo eximuntur sed « puberes qui eos ad legem violandam induxerint vel cum iis in delictum concurrerint ad normam c. 2209, 1-3, ipsi quidem poenam lege statutam incurrunt ». (c. 2230)

Poenae in cooperatores.

4. Dum ceteri *cooperatores* poenae non subiacent, nisi expresse nominentur, ii de quibus in c. 2209, 1-3 (cf. n. 651) agitur tenentur, nisi lex aliud expresse caverit. (c. 2231)

Iure merito enim censet auctor legis ecclesiasticae eadem puniendos esse poena omnes qui eadem, immo potiori, ratione sunt culpabiles.

TITULUS VII. - DE POENARUM REMISSIONE
(cc. 2236-2240)

Facultates episcoporum in casus occultos pubicos.

658. Episcopi suos subditos, in casibus *occultis*, a poenis iure communi statutis, etiam S. Sedi simpliciter reservatis, absolvere poterant : quae facultas Ordinariorum ad casus *publicos* extenditur, exceptis : 1°. casibus ad forum contentiosum deductis ;

2°. Censuris S. Sedi reservatis ;

3°. Poenis inhabilitatis ad beneficia, officia, munera, gratias, etc. et suspensionis perpetuae. (c. 2237) Cf. Trid. S. XXIV, c. 6 de ref.

SECTIO II. - DE POENIS IN SPECIE

TITULUS VIII
DE POENIS MEDICINALIBUS SEU DE CENSURIS
(cc. 2241-2285)

Caput I. - De censuris in genere

Censurae notio,

659. - 1. « Censura est poena qua homo baptizatus, delinquens et contumax, quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus annexis privatur donec, a contumacia recedens, absolvatur. » (c. 2241, 1)

causa.

« Censura punitur tantummodo delictum grave, externum, consummatum, cum contumacia coniunctum. » (c. 2242)

Effectus appellationis.

2. A censura iam contracta non datur recursus nisi in *devolutivo ;* et iuxta c. 2243 § 2, appellatio censuram quam sententia vel praeceptum minatur, tantum suspendit si de ipsa re recursum in suspensivo ius admittit.

De censuris reservatis

660. - Censurae aliae sunt reservatae, aliae non reservatae.

Reservatio censurae ab homine,

1. Censura *ab homine semper* et *ubique* reservatur ei qui censuram inflixit aut sententiam tulit, eiusve Superiori competenti vel successori aut delegato. (cc. 2245. 2247)

a iure.

Ex censuris *a iure* aliae episcopo reservantur, aliae S. Sedi simpliciter, speciali vel specialissimo modo. (c. 2245)

Reservationis cessatio in dubio, extra territorium.

2. Censurae l. s. reservatio in dubio sive iuris sive facti non urget (c. 2245), neque extra territorium reservantis « etiamsi censuratus ad absolutionem obtinendam e territorio egrediatur ». (c. 2247)

Absolutio censurati peregrini,

Egressus *in fraudem legis* cum certo iam non noceat, *peregrini* ubique a censuris suae dioecesis a quolibet confessario possunt absolvi. Censuris autem aliarum dioecesium non subsunt, nisi legi particulari quae ordini publico consulat, aut legi generali additae sint. At lex generalis vix erit ab episcopo censura munienda, cum ius commune id satis providerit. (Cf. cc. 2214. 898)

vagi.

Vagi (in dioecesi) vero censuris territorii ubi actu commorantur subiacent.

Peccatum ratione censurae reservatum.

3. « Reservatio censurae impedientis receptionem sacramentorum [i. e. excommunicationis et interdicti personalis] importat reservationem peccati cui censura annexa est ; verum si quis a censura excusatur vel ab eadem fuit absolutus, reservatio peccati penitus cessat. »

Ideoque peregrinus non a censura tantum territoriali, sed a peccato quoque potest absolvi. (c. 2246, § 1)

4. « Si censura Sedi Apost. reservata sit, Ordinarius nequit [valide] aliam censuram sibi reservatam in idem delictum ferre. » (c. 2347, § 1)

5. Absolutio data a confessario reservationem ignorante valida est, nisi fuerit censura ab homine vel specialissimo modo S. Sedi reservata. (c. 2247, 3)

Quid si confessarius reservationem ignoret ? Absolutionis effectus in casus reticitos.

6. Si paenitenti pluribus censuris innodato concedatur absolutio generalis, haec valet quoque pro reticitis *bona fide*, non tamen pro censura specialissimo modo S. Sedi reservata ; particularis absolutio non valet nisi pro casibus expressis. (c. 2249)

661. - 1. *Quilibet* confessarius absolutionem a censuris *quovis modo* reservatis in foro sacramentali impertire potest :

Absolutio a confessario non privilegiato.

1°. si paenitens sit *in periculo mortis* constitutus ;

2°. *in casibus urgentioribus :* sc. si per tempus necessarium ut Superior competens provideat,

a) censurae l. s. servari nequeant sine periculo gravis infamiae vel scandali ; aut

b) durum sit paenitenti in statu peccati permanere.

Hic ergo de excommunicato aut personaliter interdicto agitur ; secus enim potest a peccato rite dispositus absolvi, firma censura, v. g. suspensionis.

Necessitas recurrendi postea ad Superiorem.

2. In secundo casu, remanet paenitenti onus recurrendi intra mensem, « saltem per epistolam et per confessarium » sub poena reincidentiae, ad Superiorem competentem eiusque standi mandatis, modo id fieri possit sine gravi incommodo et reticito nomine.

In priore casu obligatio recursus urget tantum pro censuris ab homine aut iure S. Sedi specialissime (non iam specialiter, ut antea) reservatis : faciendus est postquam paenitens convaluerit, i. e. intra mensem postquam, periculo remoto, vires satis recuperaverit ut facile ipse negotium perficere possit.

Periculum mortis, casus urgentior et grave incommodum iuxta commentarios a probatis auctoribus iam datos possunt explicari.

3. Superior competens in censuras a iure est S. Paenitentiaria aut episcopus vel Superior, debita facultate praeditus. (cc. 2252. 2254, § 1, 2)

Si recursus ad S. Sedem est impossibilis, ad episcopum vel Superiorem (non confessarium) debita facultate praeditum intra mensem est recurrendum. Expresse enim nominantur ; itaque excluditur sententia quae recursus obligationem ad solum Superiorem reservantem terminaret. Recursum vero *etiam ad episcopum* per epistolam esse faciendum eadem perspicuitate monemur, nec iam est admittenda opinio eorum qui epistolae, tamquam medii extraordinarii, usum in solo recursu ad S. Sedem adhibendum esse censebant.

De recursu ad confessarium privilegiatum.

4. Confessarium privilegiatum adire nemini imponitur, omnibus vero semper licet, etiam recursu apud Superiorem introducto. Quo in casu, repetita saltem delicti confessione, solius confessarii standum est mandatis. (cc. 2252. 2254, § 1, 2)

Haec repetita delicti confessio necessaria est ut confessarius congrua mandata imponat. Directam enim esse peccati absolutionem in omni casu urgenti autumamus, cum potestas in censuram reservatam ipso iure concedatur.

Quid agendum si recursus est impossibilis ?

662. - « Quodsi in casu aliquo extraordinario hic recursus sit moraliter impossibilis, tunc ipsemet confessarius... potest absolutionem concedere, sine onere de quo supra, iniunctis tamen de iure iniungendis et imposita congrua paenitentia et satisfactione pro censura, ita ut paenitens nisi, intra congruum tempus a confessario praefiniendum, paenitentiam egerit ac satisfactionem dederit, recidat in censuram. » (c. 2254, 3)

Agitur hic de casu quo statim recursus impossibilis appareat vel prudenter praevideatur. Nam si post absolutionem fiat impossibilis, durante impedimento, non tamen ultra, ab isto onere paenitens vel confessarius immunis erit. Moraliter impeditur recursus v. g. si ex eo oriatur periculum probabile violationis sigilli vel magnum famae detrimentum. Ut iam diximus, recursus, de quo in canone, est ad *Superiorem* competentem, non ad confessarium privilegiatum. A favore hic concesso expresse excluditur sacerdos (paenitens) excommunicatus ob absolutionem complicis, non vero suspensus ob sollicitationem ad turpia. In prima enim Codicis editione mendose citatur c. 2368 pro c. 2367, § 1. (Cf. n. 673, 3°)

Caput II. - De censuris in specie

Quaenam sunt censurae ?

663. - 1. Censurae sunt *excommunicatio, suspensio* et *interdictum* : haec duo, quae poenae quoque vindicativae esse possunt, in dubio praesumuntur censurae. (c. 2255)

Inter eorum effectus recensetur exclusio a « divinis officiis » et quandoque ab « actibus legitimis ecclesiasticis ».

Quid « divina officia »

2. Iam vero divina officia dicuntur « functiones potestatis *ordinis*, quae de instituto Christi vel Ecclesiae ad divinum cultum ordinantur et a solis clericis fieri queunt ». (c. 2256)

Unde concludes nec verbi divini praedicationem nec munus acolythi esse divina officia.

et « actus legitimi » ?

3. Inter actus legitimos, computatur suffragium in electionibus ecclesiasticis, munus patrini in sacramentis, non autem testis in matrimonio contrahendo vel testamento condendo. A testis ergo munere, contra ac non nulli censebant, infames non arcentur.

ART. I. DE EXCOMMUNICATIONE

Quis « excommunicatus vitandus » ?

664. - 1. Excommunicati seu exclusi a fidelium communione alii sunt *vitandi*, alii *tolerati*.

Nemo est vitandus, nisi fuerit a S. Sede excommunicatus, excommunicatio fuerit publice denuntiata et in decreto vel sententia expresse dicatur ipsum esse vitandum (c. 2258, § 2), aut violentas manus in personam R. Pontificis iniecerit. (c. 2343, § 1, 2°)

Publici ergo clericorum percussores non sunt iam ipso facto vitandi.

2. Sed quod ad usum *activum* sacramentorum, iurisdictionem, validitatem actuum legitimorum et gratiae a S. Sede recipiendae vitandis aequiperantur nunc excommunicati « per sententiam condemnatoriam aut declaratoriam ». (cc. 2261. 2264. 2265)

Excommunicati « per sententiam ».

Ab illis « fideles in solo mortis periculo possunt petere tum absolutionem sacramentalem, tum etiam, si alii desint ministri, alia sacramenta et sacramentalia ». (c. 2261, § 3)

3. Excommunicato tolerato *illicitus* est tantum omnis actus iurisdictionis, quem ab ipso ob iustam causam fideles non petiverint. Idem dicendum est de administratione sacramentorum et sacramentalium. (c. 2264)

Communicatio cum tolerato.

A participatione activa in divinis officiis repellendus est vitandus semper, toleratus vero si qualibet sententia aut alioquin notorie sit excommunicatus. (c. 2259)

4. Iam certo non prohibentur « sacerdotes missam privatim et remoto scandalo pro excommunicato applicare ; sed, si sit vitandus, pro eius conversione tantum ». (c. 2262, § 2)

De sacro pro excommunicato celebrando.

ART. II. DE INTERDICTO

665. - Ad praxim haec pauca notanda sunt.

In interdicto locali generali, nisi interdicti decreto aliud expresse dicatur : « in ecclesia cathedrali, ecclesiis paroecialibus vel in ecclesia quae unica sit in oppido, in iisque solis, permittuntur unius missae celebratio, asservatio ss. Sacramenti, administratio baptismatis, eucharistiae, paenitentiae, assistentia matrimoniis, exclusa benedictione nuptiali, mortuorum exsequiae, vetita tamen quavis sollemnitate, benedictio aquae baptismalis et sacrorum oleorum, praedicatio verbi divini ». Prohibentur tamen omnis pompa et cantus. Sacrum Viaticum ad infirmos privatim deferatur. (c. 2271, § 2°)

Quaenam licet fieri in interdicto locali ?

Idem servari potest, cum eadem restrictione, ubi ecclesia paroecialis, specialiter interdicta, unica sit in oppido.

ART. III. DE SUSPENSIONE

666. - Suspensio est censura qua clericus officio vel beneficio vel utroque prohibetur. (c. 2278)

Notio suspensionis

Opportuna fit definitio suspensionis *a divinis*, cui, etsi magis usurpatae, non eandem vim omnes tribuebant. Dicitur vetare « omnem actum potestatis ordinis quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet ». (c. 2279, § 2, 2°)

a divinis,

Suspensio autem *ab ordinibus* prohibet omnem actum potestatis ordinis receptae per ordinationem ; quae est *a sacris ordinibus* solam potestatem per ordinationem in sacris receptam afficit.

ab ordinibus.

Dum vox « ordines » generalis est, « sacri ordines » de maioribus tantum ordinibus adhibetur.

De suspensis vitandis. Quod ad sacramentorum et sacramentalium administrationem, suspensis per sententiam condemnatoriam aut declaratoriam applicanda sunt quae de excommunicatis supra diximus.

De suspensione *ex informata conscientia*, cf. supra n. 647.

TITULUS IX. - DE POENIS VINDICATIVIS

(cc. 2286-2305)

Notio poenae vindicativae. **667.** - 1. « Poenae vindicativae illae sunt quae directe ad delicti expiationem tendunt, ita ut earum remissio e cessatione contumaciae delinquentis non pendeat » : v. g. suspensio ad tempus *definitum*. « Ab illis datur appellatio seu recursus in *suspensivo*, nisi aliud expresse in iure dicatur ». (c. 2287)

Facultas dispensandi in casibus urgentioribus, 2. « In casibus occultis urgentioribus, si ex observatione poenae vindicativae l. s. reus seipsum proderet cum infamia et scandalo, quilibet confessarius potest in foro sacramentali obligationem servandae poenae suspendere, iniuncto onere recurrendi saltem intra mensem per epistolam et per confessarium, si id fieri possit sine gravi incommodo, reticito nomine, ad S. Paenitentiariam vel ad episcopum facultate praeditum et standi eius mandatis. »

vel si recursus est impossibilis. « Et si in aliquo casu extraordinario hic recursus sit impossibilis, tunc ipsemet confessarius potest dispensationem concedere ad normam c. 2254, § 3. » (c. 2290)

De recursu cf. nn. 659. 660.

Harum poenarum aliae omnes fideles, aliae solos clericos afficere possunt.

Caput I. - De poenis vindicativis communibus

Praecipuae poenae communes enumerantur. **668.** - Sunt praesertim :

1. *Interdicti* variae species in perpetuum, ad tempus praefinitum vel ad beneplacitum Superioris ;

Hac temporis determinatione a censura discriminantur.

2. *Poenalis translatio vel suppressio* sedis episcopalis vel paroeciae, qua fideles certis iuribus et honoribus privantur ;

3. *Infamia iuris*, qua quis, in casibus a iure expressis, indignus declaratur quibusdam iuribus, muneribus, officiis, actibus legitimis, gratiis;

4. *Privatio quorundam bonorum* spiritualium (v. g. sepulturae ecclesiasticae, sacramentalium) aut temporalium, quae iure ecclesiastico obveniunt (v. g. pensionis muneris vel tituli iam obtenti) : item privatio vocis activae (i. e. iuris eligendi) vel passivae (i. e. iuris ut quis eligatur) ; (c. 2291)

5. *Multa pecuniaria.*

669. - Infamia est *iuris* vel *facti*. Infamia facti adest si quis « ob patratum delictum vel ob pravos mores bonam existimationem apud fideles probos et graves amisit ». (c. 2293) - De eius ortu et cessatione iudicium spectat ad Ordinarium, dum infamia iuris ex definitis in iure delictis oritur et sola dispensatione S. Sedis desinit. (cc. 2293, 2295)

De infamia facti et iuris.

« Iura iam quaesita non amittuntur ob supervenientem inhabilitatem, nisi huic addatur poena privationis. » (c. 2296, § 2)

Quandonam iura acquisita amittuntur?

Caput II. - De peculiaribus clericorum poenis vindicativis

670. - 1. Praecipuae poenae quae solis clericis applicantur, sunt :

Praecipuae poenae clericorum enumerantur.

1°. *Prohibitio exercendi* sacrum ministerium certis finibus contenta;

2°. *Suspensio* ad tempus definitum ;

3°. *Privatio* alicuius *iuris* cum officio vel beneficio coniuncti aut ipsius beneficii aut officii ;

4°. Certae *inhabilitates ;*

5°. *Praescriptio* vel *prohibitio commorandi* in certo loco vel territorio.

Hac libertatis privatione simul removetur occasio scandali ac praebetur medium in aliquem invigilandi, quae duo olim poena detentionis in carcere suppeditabantur, nostris diebus ex lege civili plerumque facta impossibili. De carcere nulla iam fit mentio in Codice ; ante paucos tamen annos eius mentionem et usum a iure religiosorum removere renuerat S. C. *EE. et RR.* (Resp. 22 iul. 1886. Anal. eccl. III, p. 329)

6°. *Privatio* temporalis vel perpetua *habitus* ecclesiastici ;

Quae nova (in iure communi) poena locum minus consuetae depositionis et praesertim degradationis certis casibus apte sumit. Secum enim « fert prohibitionem exercendi ministeria quaevis et privationem privilegiorum clericalium ». (c. 2300)

7°. *Depositio* et *degradatio.* (c. 2298)

2. Nequit clericus privari beneficio aut pensione cuius titulo ordinatus fuit, nisi aliunde eius honestae sustentationi provideatur. Si illis per depositionem privetur et vere indigeat, Ordinarius, quo meliore potest modo, ei providere curet, nisi privandus sit perpetuo iure deferendi habitum ecclesiasticum, quia, post iteratam monitionem, signa emendationis dare recusat vel scandalum excitare pergit. (cc. 2299. 2303. 2304)

De privatione « tituli ordinationis ».

TITULUS X. - DE REMEDIIS POENALIBUS ET PAENITENTIIS

(cc. 2306-2313)

Caput I. - De remediis poenalibus

671. - « Remedii poenalis hic est praecipuus finis, ut quis a delicto proxime committendo vel reiterando removeatur. » (c. 2306, ss.)

Remedii poenalis notio.

De modo procedendi.

Procedat Ordinarius a minore ad maius remedium, sc. adhibendo prius monitionem, dein correptionem sive privatam sive publicam, pro qualitate delicti, tandem praeceptum, cui poenae comminatio addi potest. In casibus autem gravioribus ad « *vigilantiam* » recurri potest.

Haec vigilantia variis modis exerceri potest, iubendo v. g. ut reus vel suspectus de certis actibus suis episcopo vel eius delegato rationem reddat.

Caput II. - De paenitentiis

Paenitentiarum finis

672. - « Paenitentiae in foro externo imponuntur ut delinquens vel poenam effugiat vel poenae contractae absolutionem aut dispensationem recipiat » ; nec tam secundum quantitatem delicti, quam secundum paenitentis contritionem moderandae sunt, pensatis qualitatibus personarum et delictorum adiunctis. » (c. 2312)

et species.

Praecipuae sunt *praecepta* obeundi quaedam pietatis aut paenitentiae opera vel eleemosynas in pios usus erogandi. (c. 2313)

PARS III. - DE POENIS IN SINGULA DELICTA

Satis erit in hac materia ea proponere quae ad praxim magis faciunt vel mutationibus maioris momenti fuerunt subiecta.

673. - I. *Incurrunt in excommunicationem l. s.* specialissime *R. Pontifici reservatam :*

De profanatione sacrarum specierum.

1°. « Qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit. » Praeterea est suspectus de haeresi et ipso facto infamis. (c. 2320)

De sigillo.

2°. « Confessarius qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit. » (c. 2369)

De iniuria reali in R. P.

3°. Violentas manus iniciens in personam R. Pontificis. (c. 2343)

De absolutione complicis in peccato turpi.

4°. « Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi... idque etiam in mortis articulo, si alius sacerdos, licet non approbatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri.

« Eandem excommunicationem non effugit absolvens vel fingens absolvere complicem, qui peccatum quidem complicitatis a quo nondum est absolutus, non confitetur, sed ideo ita se gerit, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est. » (c. 2367)

Ex verbis canonis de *fingente* absolutionem nulla iam poterit esse disputatio. Cetera erant omnibus nota. « Ad reticendum » non inducit confessarius qui complicem monet de reticendo *sibi* complicitatis peccato, addita obligatione illud

alii confessario patefaciendi, v. g. ut complici, necessitate compulso communicandi vel celebrandi et omni alio sacerdote carenti peccatum illud confessione incompleta *indirecte* remittatur. Etiam in hoc casu suadent tamen moralistae ut complicem non audiat sed de eliciendo perfectae contritionis actu moneat.

Aliae excommunicationes *l. s.* specialissime R. Pontifici reservatae nullae sunt

674. - II. *Incurrunt in excommunicationem l. s.* specialiter *R. Pontifici reservatam :*

1°. Omnes a christiana fide apostatae et omnes et singuli haeretici et schismatici ; *Apostatae, haeretici, etc.*

2°. « Ad ordinem sacerdotalem non promotus, si missae celebrationem simulaverit aut sacramentalem confessionem exceperit. » (c. 2322) *Simulatio celebrationis missae aut confessionis.*

Antea haec poena erat fer. sententiae.

3°. Qui « per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine *apud Superiores* falso denuntiaverit : a qua (excomm.) nequit ullo in casu absolvi, nisi falsam denuntiationem retractaverit et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi ac diuturna paenitentia. » (c. 2363) *Falsa denuntiatio sollicitationis in confessione.*

Si falsa denuntiatio *apud iudices ecclesiasticos* est facta, *peccatum* ipsum *ratione sui* reservatur S. Sedi (c. 894) et quidem simpliciter : nihil enim aliud dicitur. Qui casus habebitur, si denuntiatio coram sacerdote delegato ab Ordinario ad accipiendam delationem fiat vel coram tribunali ecclesiastico proferatur. *Peccatum « ratione sui » reservatum.*

Ab hac reservatione peccati ignorantia non excusabit ; nam reservatio ad modum poenae non iam dicitur existere ; nec ab illo peccato absolvere possunt, sine recursu, etiam qui facultate praediti sunt a *censuris* S. Sedi reservatis absolvendi. Si tamen quis, veteris iuris interpretatione fretus, putarit ignorantiam ab hac reservatione excusare, discrimen sententiae nullius practici momenti erit. Nullus enim Superior vel confessarius denuntiantem non monebit de hac gravissima poena ; et vix « ad iudices » prima denuntiatio fieri poterit.

De obligatione denuntiandi sollicitantem, cf. cc. 904 et 2368.

4°. Qui in personam episcopi, etiam titularis, violentas manus inicit; (c. 2343)

5°. Qui Ordinarium proprium sine debita licentia ad iudicem laicum trahere ausus fuerit ; (c. 2341)

6°. « Qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis ecclesiasticae sive interni, sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem. » (c. 2334)

675. - III. *Incurrunt in excommunicationem l. s.* simpliciter *S. Sedi reservatam :*

1°. « Nomen dantes sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur. » (c. 2335) *Nomen dantes sectae massonicae, aut alii sectae eiusdem generis.*

Aliae autem societates eiusdem generis habendae sunt quae inter socios artum et saepe iuramento quodam firmatum idemque secretum vinculum inducant ut contra legitimas sive ecclesiasticas sive civiles potestates machinentur. Quarum exempla praesertim in aliis regionibus, vix apud nos inveneris.

Absolventes sine facultate debita.

2°. Absolvere praesumentes sine debita facultate ab excommunicatione l. s. specialissimo vel speciali modo S. Sedi reservata. (c. 2338)

3°. Qui bona ecclesiastica usurpare praesumpserint vel in suos usus convertere vel impedire ne reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur. (c. 2346)

676. - IV. *Subsunt excommunicationi l. s.* Ordinario *reservatae :*

Communicatio vetita cum acatholicis.

1°. « Qui matrimonium ineunt coram ministro acatholico, uti sacris addicto ;

Si enim partes agit tantum officialis civilis, ex eius ministerii usu, ceteroquin necessario, nullus haeresi favor conciliatur.

« Qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam ;

Cum in reliquo canone de commercio cum acatholicis vetito agatur et huiusmodi pacta praesertim in matrimoniis mixtis ineantur, « extra Ecclesiam catholicam », idem atque « in secta acatholica » significare haud infitiemur (1).

« Qui *scienter* liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt ;

« Parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos *scienter* tradunt. » (c. 2319)

Non incurrunt in hanc excommunicationem qui cum pacto vel sine illo liberos in scholis ubi nulla religio docetur educandos tradunt.

Procurantes abortum et cooperatores.

2°. « Procurantes abortum, matre non excepta..., effectu secuto. » (c. 2350)

Explicite nunc plectitur mater, quam plerique doctores a poena excusabant. Et complices severius puniri ex cc. 2209 et 2231 scimus. Poenam enim incurrent mandans, medicus vel obstetrix physice cooperans, qui efficaci consilio ad delictum consummandum induxerit, qui medium efficax, sine quo abortus non esset procuratus, nec ad alium effectum directe inserviens praebuerit, nisi ex adiunctis eorum imputabilitas minor aut nulla demonstretur : quod in exemplis citatis vix locum obtinet.

Variae poenae quod ad privilegium fori

677. - In censuris quae *privilegium fori* respiciunt, variae poenae pro varia personarum dignitate proponuntur (c. 2341). Haec afferre sufficiat :

« Si quis (sine debita venia) *ausus fuerit* ad iudicem laicum trahere... Ordinarium proprium, contrahit ipso facto excommunicationem S. Sedi speciali modo reservatam... » - « si, non obtenta ab Ordinario loci licentia, aliam personam [atque episcopum aut abbatem vel Praelatum *nullius* vel Superiorem maiorem religionis iuris pontificii] privilegio fori fruentem, clericus quidem incurrit ipso facto in suspensionem ab officio reservatam Ordinario, laicus autem congruis poenis pro gravitate culpae a proprio Ordinario puniatur. »

Consuetudines immemoriales cum non reprobentur, ab Ordinariis servari poterunt. In Belgio laicis commendatur tantum ut veniam Ordinarii petant antequam clericum in causa temporali coram iudice laico conveniant.

et canonis.

678. - *Privilegium canonis* quoque variis poenis sancitur pro maiore minoreve dignitate personarum. Statutis severioribus poenis in

(1) Cf. Resp. *S. Offic.* 29 aug. 1888.

omnes qui violentas manus in episcopos, etiam mere titulares, vel personas maioris dignitatis iniecerint, pergit c. 2343 : « Qui in personam aliorum clericorum vel utriusque sexus religiosorum, subiaceat ipso facto excommunicationi Ordinario proprio reservatae, qui praeterea aliis poenis, si res ferat, pro suo prudenti arbitrio eum puniat. »

679. - V. *Infames sunt ipso facto :*

1°. Omnes a christiana fide apostatae et omnes et singuli haeretici et schismatici... si sectae acatholicae nomen dederint vel publice adhaeserint ; (c. 2314) *Apostasia, haeresis etc.*

2°. Qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit ; (c. 2320) *Sacrilegium.*

3°. Qui cadavera vel sepulcra mortuorum ad furtum vel alium malum finem violaverit ; (c. 2328) *Violatio sepulturae.*

4°. Qui violentas manus in personam R. Pontificis vel S. R. E. Cardinalis vel Legati R. Pontificis iniecerit ; (c. 2343) *Realis iniuria in R. P. Cardinales, Legatos SS.*

5°. Duellantes et qui eorum patrini vocantur ; (c. 2351, § 2)

Duellantes sunt duellum perpetrantes, non autem simpliciter ad illud provocantes vel illud acceptantes.

6°. Bigami, i. e. qui, obstante coniugii vinculo, aliud matrimonium etsi tantum civile, ut aiunt, attentaverint ; (c. 2356) *Duellum. Bigamia.*

7°. Laici legitime damnati ob delicta contra sextum mandatum cum minoribus infra aetatem sexdecim annorum commissa, vel ob stuprum, sodomiam, incestum, lenocinium. (c. 2357) *Damnati ob graviora delicta.*

680. - VI. *Excluduntur* ipso facto *ab actibus legitimis ecclesiasticis :*

1°. Qui intuitu matrimonii vel explendae libidinis causa rapuerit vi aut dolo mulierem nolentem, vel mulierem minoris aetatis consentientem quidem, sed insciis aut contradicentibus parentibus aut tutoribus ; (c. 2353) *Raptus mulieris.*

2°. Laicus qui fuerit legitime damnatus ob delictum homicidii, raptus impuberum alterutrius sexus, venditionis hominis in servitutem vel in alium malum finem, usurae, rapinae, furti qualificati vel non qualificati, in re valde notabili, incendii vel malitiosae ac valde notabilis rerum destructionis, gravis mutilationis vel vulnerationis vel violentiae ; (c. 2354, § 1) *Damnati ob graviora delicta.*

3°. Catholici qui matrimonium mixtum, etsi validum, sine Ecclesiae dispensatione inire *ausi* fuerint ; (c. 2375) *Matrimonium mixtum sine dispensatione.*

4°. Religiosus apostata a religione. (c. 2385) *Religiosus apostata.*

681. - VII. *Excludantur ab iisdem actibus* (poena f. s.) : qui publicum adulterii delictum commiserint vel in concubinatu publice vivant vel ob alia delicta contra sextum decalogi praeceptum legitime fuerint damnati, (c. 2357) etc.

Si delictum est notorium, parocho, quamquam sententiam nullam ferre potest, poenam exigere ius est. (Cf. La Croix, *Theol. mor.* VII, n. 21)

682. - Inter poenas f. s. hae videntur praesertim recensendae :

1°. « Clerici maiores qui in sacro ministerio ritus et caeremonias ab Ecclesia praescriptas graviter neglegant et moniti sese non emendaverint suspendantur pro diversa reatus gravitate ; » (c. 2378)

2°. « Sacerdotes qui *praesumpserint* missam eodem die iterare [sine Apostolico indulto vel licentia Ordinarii loci] vel eam celebrare non ieiuni, suspendantur a missae celebratione ad tempus ab Ordinario secundum diversa rerum adiuncta praefiniendum. » (c. 2321)

683. - *Suppressae sunt,* praeter alias minus usu venientes censuras :

1. Poenae *l. s.* in violatores decretorum de mercatura ope stipendiorum ;

2. Excommunicatio *l. s.* in docentes vel defendentes propositiones a S. Sede damnatas ;

3. Excommunicatio *l. s.* in « non denuntiantes occultos coryphaeos ac duces societatum massonum, etc. »

4. Excommunicatio *l. s.* in violantes immunitatem asyli ;

5. Poenae *l. s.* in missionarios negotiationem agentes ; (c. 2380)

6. Excommunicatio *l. s.* in religiosos praesumentes clericis aut laicis extra casum necessitatis sacramentum extremae unctionis aut eucharisticum Viaticum ministrare sine parochi licentia ;

7. Suspensio *l. s.* in clericos sine debita licentia in Urbe commorantes ;

Quae saepius poenis *f. s.* locum cedunt.

RERUM

INDEX ALPHABETICUS

Numeri = numeri in margine positi
Numeri crassioribus litteris scripti sunt principaliores

Abbas (monasterii sui iuris) litteras dimissorias dat, 394. 3 ; ordinans, 392, 3 ; prohibet libros, 551, 3 ; reservans peccata, 360. 2 ; Superior maior, 169, 3 ; utitur, benedictus, anulo et pileolo in missa, 312, 5. Eius competentia iudiciaria, 616. Qualitatem Ordinarii habet, 87. 171.

Abbas *nullius* confirmat, 305, 1 ; 306. 307 ; benedictionem papalem impertit, 373, 1 ; litteras dimissoriales dat, 394 ; ordinat, 392. 393 ; dispensans ab interstitiis, 400 ; qualitatem Ordinarii loci habet, 87.

Abbatis Primatis potestas, 171.

Abiuratio modernismi iam non imposita, 557.

Abortus, causa irregularitatis, 405, 4° ; quomodo plectatur, 6[illegible], 2 ;

Absentia a dioecesi quatenus clericis liceat, 69. — canonicorum, 146 ; parochorum, 159. 644.

Absentis ascriptio associationibus, 257, 2.

Absolutio a peccatis, quid postulet, 341. 347, 2. — a reservatis, 140. 184. 342, 1. 2 ; 362. 363. 408, 4 ; 657-658. 660. — complicis, 348, 4 ; 349. 673, 3 ; — disposito danda, 353.

Poena absolventis a censuris sine facultate, 675, 2.

Abstinentia et ieiunium, 491-495, *vide* Tempora sacra.

Acatholicorum ascriptio in associationes, 257 ; capacitas benedictionum, 458, 3 ; immunitas a forma matrimonii, 448, 1 ; impedimentum ab ordinibus, 407, 1 ; libri prohibiti, 553, 2 ; nomen : significatio, 405, 1 ; scholae, 541. Communicatio in sacris —, 496. 676, 1 ; disputationes cum iis, 522. — sollicitudo, 535.

Acquisitio bonorum ecclesiasticorum, 574-587.

Actio iudiciaria, 621. 622 ; — in nullitatem, 621.

Actus legitimi. Quinam sint, 663, 3. Exclusio ab his actibus, 296. 680. 681.

Ad beneplacitum nostrum, clausula, 36. 83. 88.

Administratio temporalis associationis, 255, 3 ; 256 ; bonorum ecclesiasticorum, 588-592 ; ecclesiae, 472 ; pii instituti, 570-572 ; religiosorum, 193. 194.

Administrator apostolicus, 122.

Admissio in pias associationes, 257-259. 271, 3 ; in religionem, 195-213.

Adulti baptismus, 281, 2 ; 288. 290. 299, 2.

Advena, 48.

Adventus. Absentia, 146. Contiones, 531.

Aegrotorum communio, 329. 334, 3. 4 ; 685. — confessio, 362. 369.

Aes alienum contrahendum, 600.

Aetas conveniens pro confirmatione, 308 ; maioritatis, pubertatis, 46 ; usus rationis praesumpta, 46 ; obligans ad leges ecclesiasticas, 15, 1 ; ad abstinentiam et ieiunium, 494 ; requisita in magistro noviciorum et socio, 684 ; in superioribus religiosis, 177 ; in vicario capitulari, 152 ; generali, 133 ; pro censuris, 657, 3 ; pro matrimonio, 432 ; pro noviciatu, 197. 203 ; pro munere patrini, 296 ; pro ordinatione, 399 ; pro prima communione, 332 ; pro professione perpetua, 209 ; ut vota reserventur, 513.

Affinitas. Notio, 53. Matrimonii impedimentum, 426, 3 ; 431. 439.

Aggregatio piae associationis, seu confraternitatis, 274.

Alienatio rei ecclesiasticae, **594-597** ; quatenus liceat religiosis, 594. 596, 4 ; reliquiarum aut imaginum, 504, 2. Poena male alienantis, 194.

Alimenta debita clericis ordinatis, 401.

Altare, 473-480 ; consecrandum, 318, 3. — custodia Eucharistiae, 501, 1. — *portatile*, 120. 318, 4. — *privilegiatum*, 374. 375.

Alumnorum absolutio, 344, 2 ; 351, 2 ; 538.

Amentis baptismus, 287 ; condicio generalis, 46 ; domicilium et quasi-domicilium, 51 ; irregularitas, 404, 3° ; matrimonium, 444, 2.

Amotio ab officio, 84, 3 ; consultoris vel examinatoris synodalis, 137 ; parochi, 156. 641. 642 ; parochi religiosi, 161. 226 ; rectoris ecclesiae, 165 ; vicarii foranei, 154.

Angli neo-conversi confessio ante baptismum, 288.

Annotatio baptismi, 301. 302 ; confirmationis, 311 ; matrimoniorum, 633 ; missarum, 326 ; ordinationum, 160. 420 ; professionis sollemnis, 160. 212.

Annus noviciatus, 203-205 ; quomodo iuridice aestimandus, 19, 1 ; 20.

Antimension, 318.

Antistitae aetas, 177 ; electio, 179 ; munus, 191. 192. 193. 209. 210. 220.

Apostata *a fide*. Notio, 523, 6 ; condicio iuridica, 237, 1° ; 257, 1 ; 405, 1° ; 423, 1, h ; 430. 674, 1 ; 679, 1.

— *a religione*, 230. 236. 680, 4

Appellationis tribunalia, 618. — utile tempus, 623 ; — vis, 624. 659, 2.

Applicatio indulgentiarum, 371. 380 ; — missae, 314. 319-326.

Approbatio ad contiones, 527-529 ; pro confessione, 341.

Aquae *baptismalis* asservatio, renovatio, 29[illegible].

300, 3 ; usus, 300. — *lustralis* vel *specialiter benedictae* usus pro loci reconciliatione, 469, 6.
Archiconfraternitates, 262. 273. — honoris causa, 274, 3.
Archiepiscopus, 117.
Archipresbyter, 154.
Archivum collegii electorum, 77 ; confraternitatis, 136 ; curiae episcopalis, 136. 420. 570. 604 ; loci pii, 136 ; paroeciae, 136. 160. — personae moralis vel instituti, 570. 604. 605.
Ascriptio, *vide* Admissio.
Associatio *VII Dolorum B. M. V.*, 253. *VII Gaudiorum B. M. V.*, 253.
Associationes piae : dubia spectant ad S. C. Conc., 106.
Asyli ius, 471.
Auxiliaris episcopus, 96. 129. 474. 674. 677. 678. 510.
Banna matrimonialia, 424 ; ordinandorum, 409. 413.
Baptismus, 280-303 ; annotandus, *vide* Libri ; causa cognationis, 441 ; dubius, 433, 2 ; iteratus, 405, 2 ; ab acatholico receptus, 405, 2 ; ritum determinat, 54. Sepultura non-baptizati, 484.
Baptizantis cognatio spiritualis, 441.
Barba clericorum, 67.
Beatificati honores, 463, 4 ; 479.
Beatificatio, 109. 639.
Belgium. Concordatum, 563. Reservatae collationes, 563. Tempus clausum, 450, 1.
Bellum : irregularitas, 405, 4. 406.
Benedictio *nuptialis*, 450. 662. *papalis*, 373.
Benedictiones. Minister, 458, 1 ; — ecclesiae, 463, 3 ; 464 ; imaginis, 503 ; loci sacri, 460, 461 ; oratorii, 477 ; sacrae supellectilis, 510 ; — quomodo pereant, 378, 2 ; 466. 511 ; restituantur, 469, 5. 6.
Beneficia ecclesiastica, 560-569. Fidei professio, 558. Incapacitas religiosi dimissi, 235, 1°. Permutatio et simonia, 277. 563.
Beneficiati supellex sacra, 507. 508.
Beneplacitum apostolicum ad alienanda bona ecclesiastica, 194. 596 ; ad erigendam domum religiosam exemptam, 175 ; ad mutandam qualitatem paroeciae, 156.
Bigamia, infamia iuris, 679, 6 ; irregularitas, 404, 4°.
Binatio, 312, 2 ; 319, 1 ; 682, 3.
Bona ecclesiastica, 573-607. Poenae usurpantium —, 683, 8.
Caerimoniae baptismi, 289-294. 300 ; missae, 316 ; ordinationis, 416 ; sacramentalium, 458.
Calicis exsecratio, 511.
Campana, 465.
Canonici, 138-150. Beneficiati, 560 ; contio, 531 ; professio fidei, 558, 6 ; partes in synodo. 131.
Canonicus paenitentiarius, **140,** 342, 2 ; 346, 1. 347, 4 ; 348, 2 ; 363, 2.
Capillamentum fictum celebrantis, 312, 5.
Capitulum canonicorum, **138-150**. — ecclesiae *cathedralis*, 144. 153. 268, 2 ; 394, 2 ; 506, 3 ; 509, 2 ; 529. 602. — *collegialis*, 268, 2. — *religiosorum*, 176. 179. 210. Praecedentia, 144.
Cappellanus associationis, 255, 5 ; militum et religiosorum, 166. Religiosarum funera, 483, 4.
Carceris oratoria, 476.
Cardinales, 97-99. Iura et privilegia : 96. 110. 220. 305-307. 312, 5 ; 342. 343. 346, 3 ; 419. 474. 510. 554. 561. 567. 609. 657, 1 ; obligationes, 507. 508. 558, 1, 2°.
Cardinalis *protector*, 176. — *religiosus*, 227.
Carnifex, irregularis, 404, 7.
Catalogus Urbani VIII, 126. 488.
Catechesis, 526. 528, 3 ; 532.
Catechumeni benedictio, 458. sepultura, 484.
Cathedraticum, 579, 1 ; 583, 7°.
Celebratio, quod ad *locum*, *vide* ecclesia, oratorium ; 464. 469, 1. 2 ; 477. — incumbens Vicario et Praefecto apostolico, 121 ; episcopo, 126 ; parocho et quasi-parocho, 160 ; sacerdotibus, 313 ; vicariis paroecialibus quibusdam, 163. Quibus diebus, 488.
Cena Domini : communio clericorum et sacerdotum, 336, 1.
Censor librorum : fidei professio, 558, 1, 7° ; munus, 548.
Censura librorum, 545-556.
Censura (poena), **659-666.** — reservata, 342, 1° ; 358. — violata, 405, 7°. — **ae** vis quod ad communionem, 333 ; gratias et dispensationes, 25. 664, 2 ; matrimonium, 423, 1 ; 430 ; missae applicationem, 314 ; munus patrini, 296. 310.
Cenula, 492.
Chirurgia, irregularitas, 405, 6.
Chorus pro canonicis, 146-148.
Cibi esuriales, 491.
Clausula *ad beneplacitum nostrum,* 36. 83. 88 ; *motu proprio*, 24, 3.
Clausura monialium, 180. 196. 220. 500, 2. 3.
Clerici, 61-166. Admissio ad ordines, 396. 397. 399-401. 409. 410. 412-415 ; contionandi facultas, 528, 3 ; exclusio a munere patrini, 296, 2 ; fidei commissum, 586 ; impedimenta quod ad ordines, 395. 397. 402-408 ; institutio, 398. 539 ; ius ad alimenta, 401 ; sacra supellex, 507. 508 ; vocatio libera, 397, 2.
Coadiutor episcopi, 129.
Codicis expositio in libris et scholis, 8 ; finis, 4 ; interpretatio authentica, 101 ; momentum et notae propriae, 9 ; ordo exterior, 3 ; praeparatio, 1 ; promulgatio, 2. 6 ; ulteriora incrementa, 5 ; vigentes canones a 20 aug. 1917, 6 ; vis universalis et exclusiva, 11.
Coemeterium, 482. 460. Missa in privatis — **ii** aediculis, 477, 3 ; 490. — **ii** violatio, 468. 469.
Cognatio *legalis :* impedimentum, 429, 1 ; 442. — *spiritualis* ex baptismo, 298. 441 ; ex confirmatione, 311. 431 ; impedimentum, 426, 3 ; 431.
Collatio officiorum, 72. 73.

Collationes casuum, 66. 218. — cum acatholicis, 522.
Collegialis personae ius, 55 ; praecedentia, 59 ; *vide* ecclesia.
S. Collegii compositio, 97.
Collegium, quid, 351, 2. Superior alumnos absolvens, 351, 2.
Commissio iuri canonico interpretando, 5. 101.
Commodatum rei sacrae, 599.
Commoratio actualis, menstrua, 446, 2.
Communicatio impedimenti matrimonialis, 426, 4 ; in sacris, 496. 676, 1 ; privilegiorum, 31. 32. 222.
S. **Communio** : Minister, 327-330. 340 ; obligatio, 335 ; prohibitio, 338 ; suasio, 219. 336 ; subiectum, 331-337. — *paschalis*, ratio, 335-337. —, condicio pro indulgentiis, 383. 385.
Commutatio operum pro indulgentiis, 388. 389 ; — votorum, 517.
Competentia. Controversiae in Curia rom., 100. 104.
Complicis absolutio, 348, 4 ; 349. 673, 3. — nomen a confessario non exquirendum, 356.
Complicitas in delicto, 651, 1.
Compromissum, forma electionis, 74. 78. — in arbitros, 627.
Conatus delicti, 652.
Concelebratio, 312, 1.
Concilium *oecumenicum*, 95. 96. 523, 2 ; *plenarium* et *provinciale*, 118. 580, 1. Fidei professio, 558, 1.
Concordatum, 11 ; in Belgio, 563.
Concubinarii processus, 645.
Concubinatus : impedimentum, 440, 2.
Concursus pro paroeciis, 157.
Conferentiae, 66.
Confessarii iurisdictio, **341-351**. 388. 408, 3. 4 ; 427. 662 ; munus, 332, 4. 334, 4. 329, 1. 335 ; obligationes, 351, 3. 353-357. 366. 558, 7 ; qualitas, 355 ; suffragium non petendum, 538. — religiosorum, **183-192**. 344. 360, 2 ; seminarii, 538.
Confessio iudicialis rei, 631.
Confessio sacramentalis alumnorum, 351, 2. 538 ; ante baptismum condicionatum, 288 ; ante celebrationem missae, 423. 312, 3 ; ante communionem, 334 ; ante matrimonium, 423, 1, h ; 425 ; per interpretem, 365 ; praecepta, 219. 367 ; pro indulgentiis, 383. 385 ; religiosorum, **183-192**. 219. Poena indebite confessionem excipientis, 674, 2. — **nis** sedes, 190. 369.
Confirmatio (sacramentum) **304-311** ; ante matrimonium, 425 ; cognatio spiritualis, 431. Abbas nullius, Vicarius et Praefectus apostolicus confirmant, 120.
Confirmatio iuridica electi, 79 ; rescindibilis pactionis, 520.
Confraternitas, *vide* Associatio, **257-271**. —, notio, 261, 2 ; 275. — **tis** administratores, 589 ; — archivum, 136 ; contionator, 529 ; ecclesia vel oratorium, 268-271. 474. — *Doctrinae christianae*, 271, 7. — *SS. Rosarii*, 253. — *SS. Sacramenti*, 262. 271, 7.
S. **Congregatio** (Romana) *Caerimonialis*, 110. — *Concilii*, 106. — *Consistorialis*, 104 ; usum pileoli in missa episcopis concessit, 312, 5. — *pro Ecclesia Orientali*, 113, orientalibus dat litteras *celebret*, 315. — *pro negotiis Ecclesiae extraordinariis*, 111. — *S. Officii*, **103**. Causae ei reservatae, 312, 4°. 632. 637 ; recipit denuntiationes de sollicitatione, 366. *Secretum S. Officii*, 342, 1. — *de Propaganda Fide*, 108. — *de Religiosis*, 107. — *Rituum*, 109. — *de disciplina Sacramentorum*, **105** ; aegrotis potum ante S. Communionem indulget, 334, 4 ; iudicat causas dispensationis in matrimonio rato, 632 ; et causas contra s. ordinationem, 637. — *de Seminariis et universitatibus studiorum*, 112.
Congregatio *monastica, religiosa*, 169, 2 ; 174.
Congregatio B. M. V., 253. 254. 258. 268, 1. 3. — *Bonae Mortis*, 253.
Consanguinitas, 58. Impedimentum, 426, 3 ; 438.
Conscientiae matrimonium, 449.
Consecratio ecclesiae, 463, 3 ; 464. 466. 469, 5. 6 ; loci sacri, 460. 461 ; oratorii, 475, 1 ; 477, 1. 2. — **nis** minister, 120. 458, 1.
Consilii necessitas pro Superiore, 58.
Consilium administrationis dioecesanum, 588. 602. 604 ;
Consilium *ad novos canones interpretandos*, 5. 101.
Consilium fabricae, 472.
Constitutiones religionum abrogatae, 172 ; quod ad ieiunium et abstinentiam, 495.
Consuetudines *abrogatae*, 11. 18. — quibus condicionibus vigeant, 17. 31. — *definientes* praecedentiam, 106. 262 ; processiones, 506 ; taxas, 322 ; quantitatem et modum cenulae, 492. — *reprobatae* : optionis, 139 ; longioris absentiae canonicorum, 146 ; pluralitatis parochorum, 158 ; Vicariorum capitularium, 152 ; ingressus non gratuiti in ecclesias, 470 ; non profitendi fidem, 559 ; non reddendi rationem de administratione temporali, 589 ; usus profani campanarum, 465.
Consensus convalidans professionem, 213 ; matrimonialis, 444. 455. — necessitas pro Superiore, 58 ; — vitia, 56. 57. 213. 423, 1, f ; 444. 520.
Consultores dioecesani, **151**. 131. 558, 5 ; SS. Congregationum, 102. Parochi —, 137. — religiosi, 237. 240. 244. 245. 249. 596.
Contionatores, 527-536 ; fidei professio, 558, 7.
Contiones sacrae, 527-535.

Contractus, 593-603. Tempus urgendae obligationis, 19, 2.
Controversiae cum acatholicis, 524.
Convalidatio actuum, 40. 520. ; matrimonii, 443. 455. 456 ; professionis religiosae, 213.
Conventiones cum variis nationibus confirmantur, 11.
Conversi postulatus, 196.
Convictus oratorium, 474. 476.
Cooperatio in delicto, 651. 657, 4.
Copula, causa affinitatis, 53. 439.
Coronae indulgentiae, 378, 2.
Correptio iudicialis, 631. 671.
Crematio, 481. 484.
Criminis impedimentum, 426, 3 ; 428, 5 ; 437.
Cruciatae bulla, 495.
S. **Crucis** reliquiae, 505, 3.
Cultus divinus, 496-522.
Cumulatio officiorum, 73. 84.
Curia dioecesana, 132-137. Exclusio religiosi dimissi, 235, 3.
Curia romana, 100-114.
Custodia dotis religiosarum, 193 ; Eucharistiae, 500. 501 ; S. Oleorum, 279, c ; Reliquiarum, 505, 2.
Decanus, 154. 363, 2 ; 630.
Decimae, 577.
Decreta *S. Rituum Congr.* manentne post Codicem, 11. — Ordinariorum (contra) recursus, 619.
Dedicatio altaris, 479 ; ecclesiae, 463, 4.
Defectus ordinationem impedientes, 403. 404. 407.
Defensor vinculi matrimonialis, s. ordinationis, 617. 636. 637.
Defunctis applicabiles indulgentiae, 371, 2 ; 380.
Degradatio, 670, 1, 7°.
Delegatio, 88. — data ab exsecutore rescripti, 28, 5 ; ad fidei professionem recipiendam, 558 ; ad matrimonium, 446 ; a parocho, 162. 163 ; pluribus, 90 ; potestatis consecrandi vel benedicendi, 461 ; nulla vel prohibita, 140. 557.
Delegatus apostolicus, 115.
Delicta, 648-652. Effectus varii, 84. 242. 403. 405. 408, 2. 3 ; 655, 2.
Denuntiatio falsa, 359. 674, 3 ; — sollicitantis, 366. — iudicialis cuinam fit, 630.
Depositio, 670, 1, 7°.
Deputatus legi ferendae clericus, 68.
Diaconatus, 399. 400.
Diaconus baptizans, 280, 1 ; benedicens, 458. 502, 3 ; praedicans, 528, 3.
Dies quomodo computantur, 19. 20, 3 ; 487. — utiles ad appellandum, 623 ; — festivi de praecepto, 488 ; — abstinentiae et ieiunii, 493 ; — ministrandi baptismum, 299 ; confirmationem, 309 ; s. communionem, 338 ; ordinandi, 417. 418. — nubendi, 450. — post banna interponendi, 424.
Difformitas, causa irregularitatis, 404, 2°.
Dignitatum collatio, 139. 563 ; fidei professio, 558, 6.
Dimissio religiosi, 230. 231. 234. 235. **237-247.** 684 ; socii associationis, 260.
Dioecesis dividenda, 92. Fines imprescriptibiles, 583.
Disparitas cultus : impedimentum, 103. 423, 1 ; 433 ; vis baptismi dubii, 433, 2.
Dispensatio in impedimentis matrimonii, 427. 428. 580, 2 ; in interstitiis, 400 ; in irregularitatibus aliisque impedimentis, 408, 2 ; in iureiurando, 521 ; in lege, 41-44 ; in poenis, 661 ; in temporibus sacris, 486 ; in votis, 516. Taxae, 428, 7 ; 580, 2.
Disputationes cum acatholicis, 524.
Dissensus parentum, de matrimonio, 423, 1, f ; 429, 1, 4°.
Distantia inter conventus, 463, 2 ; inter pias uniones et confraternitates, 268 ; — ab altari pro communione dispensanda, 340 ; pro baptismo, 300, 3 ; pro sepultura, 480.
Distributiones cotidianae canonicis, 148.
Divisio bonorum ecclesiasticorum, post divisum territorium, 575.
Doli ratio iuridica, 56. 520.
Domesticum oratorium, 474. 477, 3.
Domicilium : Normae, **49-51** ; effectus, 52 ; pro ordinatione, 393.
Dominium bonorum ecclesiasticorum, 574 ; religiosorum, 211.
Domus religiosa, 169 ; custodia Eucharistiae, 500, 1. 2 ; erectio, 175 ; formata, 169. 348, 3 ; oratorium, 474.
Donatio, 598. — novicii, 211.
Dos religiosarum, 193. 200 ; — ad erigendum institutum, 570.
Dubium facti, iuris, 14. Vis in obligationem, 14. — de sensu legis, 13, 2 ; rescripti, 27 ; de baptismo, 303. 433, 2 ; de causa dispensandi, 43 ; de censura reservata, 660, 2 ; de habilitate ad munus patrini, 296 ; de validitate baptismi, 433, 2 ; de exsistentia impedimenti, 424, 3.
Duelli poenae, 679, 5. Sepultura duellantium, 484.
Ecclesia *Orientalis,* exempta a Codice, 11 ; non conferens formaliter omnes ordines minores, 416. Congregatio pro Ecclesia Orientali, 113. 315.
Ecclesia (templum), **462-472** ; donatione praesumitur affecta, 598, 3 ; fontes habens, 300, 3. — **ae** distinctio ab oratorio, 473 ; eversae reaedificatio, 378 ; indulgentiae, 374. 375. 376, 3 ; 378 ; *Rector, vide* Rector.
In — **a** asservatio eucharistiae, 500 ; fidelium locus, 498, 2 ; vestitus, 498, 1.
— *abbatialis,* 374, 1.
— *cathedralis,* 268, 2 ; 374
— *collegialis,* 268, 2 ; 374.
— *confraternitatis* vel piae unionis, 269.
— *conventualis,* 374, 1.
— *monialium,* 373, 2.

— *parochialis*, 300, ; 335. 374. 464. 483. 500, 1; 506, 2.
— *religiosarum*, 268, 2 ; 271, 2 ; 450, 2.
— *religiosorum*, 253. 255, 5 ; — exemptorum, 255, 2.
— *tertiariorum*, 373, 2.
Effusio sanguinis violat ecclesiam, 467 ; coemeterium, 468.
Electio ad officia ecclesiastica, **74-82** ; ad munus Superioris vel Antistitae, 179. 684, 2.
— sepulturae, 483, 2.
Eleemosynarum collectio, 225. 255, 4 ; 256. — missae, normae, **319-326**. 374, 2 ; 583, 4 ; 587. 683, 1.
Epilepsis. Irregularitas, 404, 3.
Episcopi consecratio, 392. 416 ; fidei professio, 558, 3 ; ius contionandi, 530 ; ius taxandi, 483, 6 ; 509. 580 ; magisterium, 523, 3 ; 525 ; oratorium, 474 ; reliquiae et sacra supellex, 505, 3 ; 507. 508. 510 ; varia alia iura et privilegia, 96. 115. 145. 312, 1. 5 ; 458, 1 ; 496. 509.
Episcopus, 124-128.—benedictionem papalem impertit, 373, 1 ; canonicos ad honorem nominans, 142 ; consecrationis minister, 458, 1 ; indulgentias concedens, 371. 379 ; iudex, 612. 618 ; officiales iudiciorum constituens, 613 ; iudicans de toleranda passiva participatione in sacris acatholicis, 496 ; monendus de ordinandorum intentione, 409 ; ordinationis proprius, 393 ; quosnam ordinare possit, 393. 394. 396, vel ordinatione prohibere, 397 ; ordinandorum testimonia exigit, 410. 411 ; ab interstitiis dispensat, 400 ; possessionem dioecesis capiens, 445 ; a quonam iudicatur, 609, sacramentis reficitur, 329 ; recipiens religiosum dimissum, 234.
Episcopus *auxiliaris*, 129.
— *legati apostolici* titulo ornatus, 115.
— *missionarius*, ex privilegio erigens associationes, 253.
— *ordinans*, 410. 416.
— *religiosus*, 226. 227.
— *titularis*, 96. 474. 510. 674. 677. 678.
Erectio associationis, 253. 263. 268. 272, 2 ; 274, 1 ; — in ecclesiis religiosorum, 253. 255 ; — religionis, provinciae, domus, 174. 175 ; — tertii Ordinis, 263.
Error, 67 ; de censura absolvenda, manifestanda, 660, 4. 5 ; de iurisdictione, 89 ; in causa allegata, 24, 3 ; in contractibus, 57 ; in nomine personae, 24, 4 ; in rescripti exsecutione, 28, 4 ; utentis privilegio post eius cessationem, 40.
— communis : vis, 89.
SS. **Eucharistia,** ut sacrificium, **312-326** ; ut sacramentum, **327-340**.
— **ae** custodia et cultus, **500-502** ; delatio ad infirmos, 329 ; dispensatio, 327-340 ; susceptio, *vide* Communio.
Examina ad audiendas confessiones, 347 ; ad contionandum, 528 ; ordinandorum, 409. 411 ; religiosorum, 217 ; sacerdotum, 66 ; vocationis puellarum, 201.
Examinator synodalis, prosynodalis, 137. 148. 641. 642. 644-646.
Excardinatio, 63 ; 212.
Exclaustratio, 230. 232.
Excommunicatio, 664.
— **nes** l. s. reservatae R. P. specialissime, 673 ; specialiter, 674. 556, 1 ; simpliciter, 675 ; Ordinario, 676 ; nemini, 556, 2 ; — suppressae, 471. 683.
Excommunicati communio, 333 ; idoneitas ad munus patrini, 296. 310 ; indulgentiae, 379 ; matrimonium. 423, 1, h ; sepultura, 467. 468. 469, 4.
— **us** vitandus, 314. 662.
Exemptio, 128. 223. Casus excepti, 59. 127. 128. 175. 176. 180. 193. 200. 201. 225. 497. 526-528. 532. 544. 549, 3 ; 551, 2 ; iura annexa, 461. 464. 483, 4 ; 500, 1.
Exercitia spiritualia. Casus reservati, 363, 3. — obeunda clericis, 65 ; canonicis, 148 ; ordinandis, 409. 415 ; postulantibus, 196 ; religiosis, 219.
Exorcismus, 459.
Expensae cancellariae, 428, 7.
Exploratio voluntatis puellarum in religione, 201.
Expositi filii locus originis, 47.
Expositio Sanctissimi, 502.
Exsecratio altaris, 478 ; ecclesiae, 466 ; sacrae supellectilis, 511.
Exsecutio rescripti, 24, 1 ; 28 ; sententiae, 626.
Exsequiae ubi celebrandae, 483 ; in interdicto locali, 665.
Extrema Unctio, 390 ; administrata in domibus religiosis, 159. 181 ; a parocho, 159 ; a religiosis, 683, 6.
Facultas catholica, 542 ; fidei professio, 558, 8.
Familiae collectiva dispensatio, 486 ; sepultura, 482, 3.
Famulorum absolutio, 344, 2. dispensationes, 486, 3 ; 516.
Feminarum confessiones, 369.
Fenus permissum, 603.
Festa, 488-490 ; *vide* etiam Tempora sacra. — suppressa, 126.
In — **is,** allocutio dominicalis, 532 ; ieiunium et abstinentia, 493, 3 ; missa in oratorio privato, 477, 3.
— **orum**, catalogus, 488 ; indulgentiae, 376 ; ratio pro ordinatione, 417 ; translatio, 377.
Fetus baptizandus, 284.
Fidei commissum, 586.
Fidei iussio clericorum, 68.
Fidei professio, 557-559.
Fidelium associationes, 251. 275.
Fides palam profitenda, 523, 5.
— bona acatholicorum, 278 ; ad praescribendum, 582.
Fiduciarius, 586.

Filii locus originis, 47.
Finis Codicis, 4.
Fontes baptismales ubinam, 300, 3.
Forma benedictionum, 458 ; *iudicialis* dimissionis religiosorum 239. **241-245** ; *sollemnis* legati pii, 585, 1 ; matrimonii, 445-448 ; promissionis matrimonii, 422.
Forum competens, 609. 610. 632. 637.
— internum: privilegii usus post cessationem, 40.
— privilegiatum, 64. 222. 248. 677. 679.
Fraus legis in absolutione censurae reservatae, 660, 2 ; in rescriptis, 24.
Fructus vacantis beneficii, 569.
— **uum** appropriatio 567. 568 ; erogatio, 567 ; perceptio, 148 ; restitutio propter simoniam, 277.
Frustulum, 492.
Fugitivus, 230. 236.
Fundatae missae, 320. 324.
Fundationes piae, 604-607.
Funera acatholicorum, 496 ; funerales taxae, 483, 6.
Germania quod ad patrinos haereticos, 296 ; impedimentum mixtae religionis, 448, 2.
Gestio bonorum a clericis, 68.
Gradus academici. Fidei professio, 558, 8.
Graduum propinquitatis computatio, 53.
Gratia negata, ab alio petita, 26.
Gratiae status, pro indulgentiis, 379.
Gratuitas erectionis associationis, 253 ; ingressus in ecclesiam, 470 ; receptionis in associationem, 258 ; in administratione sacramentorum, 277 ; in iurisdictionis concessione, 347, 1.
Gymnasii oratorium, 476.
Habitus (vestitus) in ecclesia, 498, 1. *clericalis* a laico non ferendus, 250 ; privatio, 670, 1, 6°. — *confratrum* vel sodalium, 262. 271, 5. — sacerdotis *celebrantis*, 313, 3.
Haereticus quis, 523 ; benedictiones recipiens, 458 ; missae applicationem petens, 314 ; condicionate rebaptizandus, 288. 290.
— **orum** inhabilitates, 278. 296. 405, 1° ; matrimonium, 454 ; poenae, 674, 1; 679, 1.
Hebdomadae sacrae functionum locus, 477.
Homicidium : causa irregularitatis, 405, 4° ; violationis ecclesiae, 467 ; coemeterii, 468.
Homilia dominicalis, 531.
Honestas publica, **440**. 426, 3 ; 431.
Horae canonicae, 568.
Horarum supputatio, 19, 2.
Hospitum absolutio, 344, 2. Viaticum et extrema unctio, 181.
Hungaria : impedimentum mixtae religionis 448, 2.
Ieiunium ante celebrationem, 103. 312, 4; ante communionem, 334, 3 ; in baptismo, 288.
— et abstinentia, **491-495**. *Vide* etiam tempora sacra.
Ignorantiae vis in imputabilitatem, 650, 3 ; in iurisdictionem, 89 ; in obligationem legis, 14, 2 ; in poenam, 657, 2 ; in valorem absolutionis, 660, 4. 5.
Illegitimi filii baptismus annotandus, 301 ; irregularitas, 404, 1° ; locus originis, 47; a dignitatibus remotio, 124. 177.
Imaginum alienatio, 504. 594 ; benedictio, 458. 503 ; censura, 546, 3° ; cultus, 503. 504.
Immobilium rerum alienatio, 594 ; locatio, 602 ; praescriptio, 584.
Immunitates clericorum, 64. 222. 248 ; onerum missarum, 579, 4; 583 ; rerum a praescriptione, 583.
Impedimenta admissionis in noviciatum, 197; matrimonii, **426-443**. 24, 3. 103. 423, 1 ; 424, 3 ; 680, 3° ; ordinationis, **407**. 413.
Impetratio rescripti pro alio, 23 ; ab alio gratiae negatae, 26.
Impio usu violatur ecclesia, 467 ; coemeterium, 468.
Imprescriptibiles res, 583.
Impuberum poenae, 657, 3 ; sepultura, 483, 2.
Imputabilitas delicti, 650. 651.
Inamovibilis parochus, 156. 641.
Incardinatio, **62** ; religiosi dimissi, 234.
Incola, 48.
— ab anno Romae a quonam iudicetur, 610.
Incompatibilitas officiorum, 73. 84.
Indemnitatis actio ob repudiatam donationem, 598, 2.
Index librorum prohibitorum, 545, 1. Sectio de Indice apud S. Officium, 103.
Indigni communio, 333.
Indulgentiae, 370-389 ; associationum, 253. 259.
— librorum censura, 546, 5 ; concessio, 103. 114. 117. 120 ; diei supputatio, 487.
Indulta : Notio, 11. Manent post Codicem, 11. Varia *indulta* : asservandi S. Eucharistiam, 500, 1, c ; binandi, 312, 2 ; celebrandi non servato ieiunio, 103, 312, 4 ; celebrandi extra oratorium, 318. 490 ; communicandi, non servato ieiunio, 334 ; confirmationem ministrandi, 305-307 ; dedicandi Beato ecclesiam, 463, 4 ; altare, 479 ; exclaustrationis, 230, **232** ; de ieiunio et abstinentia, 495 ; iubilationis, 149 ; pluralitatis noviciatuum, 202 ; oratorii privati, 477, 3 ; conferendi simul ordines sacros vel minores cum subdiaconatu, 400 ; ordinandi extra tempora, 417 ; ordinandi ordinatum a Papa vel alius ritus, 393 ; constituendi paroecias non territoriales, 93 ; pileoli, anuli per missam, 312, 5 ; redintegrandi religionem, 233; renuntiandi bonis, 211 ; dispensandi a votis perpetuis, 246 ; permittendi binationem, 312, 2.
— Ordinariis loci data prosuntne religiosis, 244.
Industria personae electa, 28, 5.
Infamia, 669. 296. 404, 5°. 407, 7°.
Infans 46. 51.
— **tis** baptismus, 283-286 ; confirmatio, 308 ; domicilium, 51.

Infidelis matrimonium, 439. 440, 3 ; sepultura, 467. 468. 469, 4 ; benedictio, 458, 3 ; applicatio missae, 314.
Infirmorum communio, 329. 685.
Inhabilitas ad matrimonium, 426. 431. 444 ; ad munus patrini, 296. 310 ; ad noviciatum, 197 ; non-sacerdotum ad officia curata, 72 ; — poena ab Ordinario non potest tolli, 658.
Insignes reliquiae, 504, 1.
Instituta ecclesiastica non collegialia, 570-572.
Interdictum, 865.
— vis, 25. 405, 7°.
Internuntius, 115.
Interpretatio Codicis, 11, 3; 101 ; dispensationis, 44 ; legum, 13, 14 ; num promulganda, 13, 2 ; privilegiorum, 33. 35 ; rescripti, 27.
Interruptio noviciatus, 204.
Interstitia inter ordinationes, 400.
Intimatio rescripti, 28, 2 ; revocationis, 29.
Inventarium administratorum, 588, 2 ; sacrae supellectilis, 508.
Irregularitas, 402-408. 395.
Itinerans, 446, 2.
Iubilati canonici, 149.
Iudex competens quod ad poenas, 655; irregularis, 404, 6° ; *synodalis*, *prosynodalis*, 117. 148. 614 ; primae instantiae, 612 ; *vide* Tribunalia.
Iudicia reservata S. Pontifici vel S. Sedi, 609 ; commissa S. Sedi, 611.
— **criminalia**, 628-631.
Iudicialis correptio, 631.
Iuramentum suppletorium, 410 ; ritus, 620.
Iuratus non irregularis, 404, 6°.
Iuris civilis vis, 9. 19, 2; 452. 508. 603 ; in contractibus, 593 ; quod ad impedimentum cognationis, 429, 1, 2° ; 442 ; quod ad patriam potestatem, 46 ; quod ad praescriptionem, 581 583.
Iurisdictio, 85-90 ; in familiares assimulatos, 181 ; in religiosos vel religiosas, 176. 179.-180.
— fori *sacramentalis*, **341-351** ; in religiosas, 187 ; — licentia, pro usu, 347, 3 ; 351, 1 ; Romani Pontificis, 94.
Ius Asyli, 471.
Ius iurandum, 519-522 ; administratorum, 588 ; electorum capituli, 179 ; ordinandorum pro titulo, 401 ; suppletorium litterarum, 410 ; de libero statu, 423, 2.
Ius quaesitum, 11. — tolliturne novo Codice, 11, 2. — habendi fontes baptismales, 300, 3.
Ius vetus vim declarativam quatenus servet, 11.
Laicorum distinctio a clericis, 60. 391 ; ius in Ecclesia, 250 ; vestes, 250 ; locus in ecclesia, 498, 1.
Lector benedicens, 458, 1.
Legata pia, 585 ; pro clericis instituendis, 539.
Legatus a latere, 115.
Legati S. S., 115. — praecedentia, 110 ; iudicium, 609 ; poena, 657, 1.
Legitimatio, 428, 5 ; 452, 2.
— **nis** probatio, 404. 1° ; 452, 1.
Legitimum matrimonium, 421.
Legum abrogatio per Codicem, 11 ; interpretatio, 13 ; promulgatio, 12 ; vacatio, 12.
— vis in consuetudines, 18 ; in personas, 13. 14. 15 ; in praeteritum, 13 ; in rescripta 29, 2 ; — irritans, 14 ; — si dubium facti aut iuris, 14, 1 ; si lata ad periculum praecavendum, 14, 3 ; *vide* Lex.
Lenitatis defectus, 404, 6°, 7°.
Lenocinium, 679, 7.
Lex *canonica*, *vide* Legum.
— *civilis* canonizata, 9. 19, 2 ; 452. 508. 603 ; pro contractibus, 593 ; impedimento cognationis, 429, 1, 2° ; 442 ; patria potestate, 46 ; praescriptione, 581-583.
Liber : quid, 545, 2.
Libri baptismorum, 160. 301, 2; 420. 633 ; confirmationum, 311 ; matrimoniorum, 633 ; onerum missarum, 326 ; ordinationum, 420 ; paroeciales, 160.
— libelli, folia, indulgentiarum, 372, 3.
— prohibiti, *vide* Index.
Licentia ad utendum iurisdictione, 347, 3 ; 351, 1.
Licitatio rei ecclesiasticae, 595.
S. **Limina** visitanda, 119. 125.
Litaniae approbandae, 497 ; censurandae, 546, 7.
Litterae « celebret », 315 ; excardinationis, incardinationis, 62 ; dimissoriae, 394. 411 ; testimoniales, 198. 199. 409. 410. 414. 415.
Liturgicae leges, 2.
Loca sacra, 460-484.
Locatio rei ecclesiasticae, 602.
Loci pii archivum, 136.
Loculus benedictus, 460.
Locus asservandi S. Eucharistiam, 500. 501 ; baptismi, 300 ; confirmationis, 309 ; celebrandi missam, 318. 477, 3 ; 480 ; distribuendae communionis, 340 ; confessiones excipiendi, 368. 369 ; matrimonii, 450, 2, 3° ; sepulturae, 481-483.
— pius destructus restitutus, 36, 3.
— sacer, 460-484.
Magister noviciorum : confessiones, 186 ; ratio conscientiae, 192 ; regimen noviciatus, 206 ; dotes, 205.
Magisterium ecclesiasticum, 523-559.
Magistratuum locus in ecclesia, 498, 2.
Maior, 46.
Maior *suffragiorum* pars quaenam requiratur, quomodo computetur, 55.
Mandati imputabilitas, 651, 1.
Manualia stipendia, 320 ; ad instar manualium, 320.
Maritimum iter : iurisdictio, 350 ; missa, 318, 4 ; 490.
Massones (sectarii) *vide* Sectae ascripti.
Matrimonium, 421-457 ; causa affinitatis, 53 ; dimissionis e religione, 237, 3° ; irregularitatis, 405, 3° ; impedimentum ordinationis, 407, 2° ; receptionis in religionem, 197.

Causae matrimoniales, 103. **632-636.**
Medicina ante communionem, 334, 4.
— **ae** exercitium causa irregularitatis, 405, 6°.
Mendicantes : licentia ad mendicandum, 225.
Menses quomodo supputandi, 19, 1 ; 20 ; — reservati, 72.
Mercatura de stipendiis, 319, 5.
Metropolita, 117. 307. 618.
Metus, 56 ; vis in delictum, 650, 4 ; in ius iurandum, 518 ; in consensum matrimonialem, 444 ; in ordinationem, 434.
Militis ordinatio, 407, 5° ; 410.
Minister baptismi, 280-282. 302 ; benedictionum, 461. 510 ; confirmationis, 305-307 ; consecrationum, 120. 458, 1 ; S. Communionis, 327-330 ; Sacr. paenitentiae, 341-356 ; reconciliationis ecclesiae, 469, 5; sacramentalium, 458, 1; 459.
— acatholicus matrimonii, 423, 1 g.
— missae inserviens, 312, 7.
Minor, 46.
— **is** domicilium, 51 ; matrimonium, 423, 1 ; 429, 1, 4°.
Missa conventualis capituli, 150.
— **ae** applicatio, 314. 664, 4 ; assistentia, 489. 490. 501, 4 ; celebratio praecepta, vetita, 312. 313 ; simulata, 674, 2 ; gratiarum actio, 313, 2 ; locus, 318. 477, 3 ; 469, 1 ; 480 ; praeparatio, 313, 2 ; ritus et caerimoniae, 316 ; stipendia, 150. **319-326.** 374, 2 ; 583. 587, 2 ; 607 ; tempus, 317. Ante vel post eam communio, 338.
Missio (exercitia spiritualia), quando habenda, 534 ; casus reservati, 363, 3.
— **nes** (territoria) : administratio ecclesiae, 472 ; baptismus, 289 ; intuitu missionis data pecunia, 193.
— **nis** titulus pro ordinatione, 401.
Missio in possessionem beneficii, 563, 1 ; parochi, 445.
Missionarii subsunt S. C. de Propag., 108 ; administratio temporalis ecclesiae, 472.
Mixta religio, impedimentum matrimonii, 103. 423, 2; **429, 1, 2**; 448, 2, 3. Poena contrahentis matrimonium, 676, 1°.
Moderator associationis, 255, 5. — religionis supremus : intersit concilio oecumenico, 96 ; prohibet libros, 551, 3. *Vide* Ordinarius. Superior.
Modernismi abiuratio non iam praecepta, 557.
Moniales, 169. 170 ; contiones apud eas, 527, 2 ; custodia Eucharistiae, 500, 2 ; potestas Ordinarii loci, 176. 180.
— **ium** absolutio sacramentalis, **188-191.** 342. 344, 3.
Monitio canonica, 242. 640, 2.
« **Motu proprio** » clausula. Eius vis, 24, 3.
Mulierum ascriptio confraternitatibus, 271, 3 ; confessiones, 369.
Multiplex impedimentum matrimonii, 428, 3; 438. 439.
Musica sacra, 499.
Muti pro indulgentiis, 389.
Mutilatio causa irregularitatis, 405, 5°. *Vide* Trunci.
Mutuum, 603.
Natales ex acatholico, 407, 1° ; illegitimi, 404, 1°; 452 ; pro episcopatu, 124.
— **ium** probatio, 404, 1° ; 452.
Nativitas Domini pro missis, 317, 2 ; 319, 1. pro communione, 317, 2.
Navis sacellum, 474. 490.
Negotiatio vetita clericis, **601** ; missionariis, 683, 5. — de stipendiis, 319, 5.
Neophytus, 407, 6°.
Nomen associationis, 254. 267. — in baptismo, 294.
Non-usus privilegii, 39 ; servitutis, 582.
Normae generales, quid, 10.
Notoria censura, 430 ; apostasia, 430.
— **um** delictum, 649, 2.
— **us** actus violans ecclesiam, 467.
Noviciatus, 197-208.
Novicius, 202-208. — ii absolutio, **186.** 344, 2 ; 351 ; vestis clericalis, 250 ; vota, 516.
Nullitas actuum, 621 ; matrimonii, 632-636 ; ordinationis, 637 ; professionis religiosae, 638 ; propter simoniam, 277.
Nullitas actuum electi nec confirmati, 79 ; alienationum, 194. 597. 598; contractus simoniaci, 277 ; cumulationis beneficiorum, 73 ; dispensationis in irregularitatibus, 408, 5 ; electionis, 76. 78. 84 ; matrimonii, 431-433. 445. 446, 1 ; nominationis canonici ad honorem, 142 ; professionis *vide* Noviciatus. Professionis religiosae ; receptionis in noviciatum, 197 ; renuntiationis bonis temporalibus, 211.
Nuntius apostolicus, 115.
Oblationes, 277.
Obligatio oeconomica, 600.
Oboedientia doctrinalis, 523, 4 ; religiosi Cardinalis, episcopi, 227.
Obreptio, 24. 426, 3.
Occultum delictum, 649, 2; quod ad irregularitatem, 406, 2 ; 408, 2. 3 ; impedimentum matrimonii, 426, 2. Dispensatio ab occultis impedimentis, 427 ; poenis, 658. 662.
Oculus canonicus, 404, 2.
Oeconomus apud religiosos, 182.
Officia divina : quid, 663, 2 ; ubi, 464. 469, 1. 2 ; 477.
Officia ecclesiastica, 70-84.
Officialis iudex, 613.
Olea sacra, 120. 279.
Onera fundationum, 605. 607; missarum, 605. 607.
Operarii conducti cura, 592.
Optio vacantis praebendae, 139.
Oratorium, 473-477 ; pro Missa, 318. 490 ; pro altari privilegiato, 374 ; pro confessione, 190, 4; 368. 369 ; pro S. Eucharistiae custodia, 500, 1. 2; pro indulgentiis, 384 ; pro S. communione, 328. 340.
Ordinantis episcopi iura, 410. 411.

Ordinaria potestas, **86** ; in confessiones, 342 ; in indulgentiis, 371.
Ordinarius quisnam sit, 87. — altaris mobilis titulum mutat, 479 ; immobilis permittit presbytero ut consecrationem reddat, 478 ; privilegiatum altare designat, 374. — in bona fiduciaria vigilat, 586. — de campanarum usu condiciones donantium probat, 465. — dispensat ab irregularitatibus et impedimentis ordinationis, 408, 2 ; in lege pontificia, 14. 41. 43. — ecclesiam benedicit, 461 ; consecratam reconciliat, 469, 5. — exemptus ab ecclesiastica librorum prohibitione, 554. — imaginem sollemniter benedicit, 503; pretiosae rei restaurationi consulit, 504, 2. — instituta pia erigit, 570. — licentia eius necessaria est ad donationes repudiandas, 598, 2 ; ad stipem pro pio instituto quaerendam, 578. Licentiam dat exorcizandi, 459 ; extrahendi reum ex ecclesia, 471 ; erigendi oratoria, 476 ; Eucharistiam noctu servandi in tuto, 501, 1 ; missam dicendi extra oratoria, 318, 5 ; legendi libros prohibitos, 555 ; exigendi stipem a celebrante in ecclesia paupere, 509, 2. — in rescriptis iudicat de errore in nominibus, 24, 4. — piarum voluntatum exsecutionem curat, 585.
— *proprius*, 52. 674, 5°.
Ordinarius *loci*, *vide* Ordinarius. Quisnam sit — 87.
Eius *auctoritas* : in *associationes* fidelium, 253. 254. 255. 258. 260. 263. 268. 271, 6; in curatos *parochos*, 181. 184. 529. 534. 565. 641-649; in *instituta pia*, 570. 571. 578, in *moniales et sorores*, 175. 179. 180, 1 ; 193. 200. 201. 225 ; in *religiosos*, 175. 176. 180, 2 ; 193. 225. 240. 244. 245. 524. 530 ; in religiosos *exemptos*, 175. 180, 2 ; 193. 225. 526. 530. 532 ; in religiosos instituti *laicalis exempti*, 244. 245; in religiosos dimissos vel dimittendos, 240. 246.
Eius *iura et officia* : in aedificationem *ecclesiae*, 463 ; in loca sacra, 466. 469, 5 ; 498, 2; circa *baptismum*, 280. 289. 290. 296. 300 ; circa *beneficia*, 561 ; 565 ; circa *examen vocationis* puellarum, 201 ; circa *fundationes*, 604. 605 ; circa *functiones sacras* seu officia, 464. 497. 529. 530 ; circa *celebrationem missae*, 312, 2 ; 315. 318, 5 ; 322-324. 326. 477, 3; circa *confirmationem*, 306 ; circa *contiones sacras*, 527-535; circa *erectionem beneficiorum*, 561; circa *SS. Eucharistiae* custodiam et expositionem, 102, 1. 2 ; dispensationem (seu communionem), 328. 335. 340 ; circa *indulgentias*, 372. 374. 386 ; circa *librorum* censuram et prohibitionem, 547-551; circa *rectores ecclesiarum*, 164, 165. 181; circa *matrimonium*, 423. 427. 429, 1, 4° ; 445. 446, 2 ; 450, 2 ; 633; circa *nominationes*, 72. 565 ; circa *ordinationes*, 401. 410. 412. 414. 415. 419. 420 ; circa *paenitentiae* sacramentum, 342. 344, 1. 3 ; 345. 348. 350. 358. 360. 361. 363. 366; circa *poenas*, 655. 658. circa *praecedentiae* ordinationem, 59, 6 ; circa *processiones*, 506 ; circa *S. reliquias*, 504, 1 ; 505, 1. circa *scholas*, 544; circa *stipum* seu eleemosynarum collectiones, 225. 578; circa *sepulturas*, 482-484; circa *taxas* et *tributa*, 579, 3. 4 ; 580, 2. 3 ; 200; circa *temporales* administrationes, 193. 571. 583. 588-592. 596. 600. 602.
— permittit *disputationes* cum acatholicis, 524.
— Eius *potestas consecrandi* et *benedicendi*, 461. 510, 1 ; *dispensandi* **41.** 516. 667; in *tempora sacra* (festa et ieiunia), 485. 486. 488 ; *iudicandi*, cum officiis conexis, 613. 616. 618. 626. 630. 631 ; *suspendendi* ex informata conscientia, 647.
Ipsi concessa indulta de lege communi prosunt religiosis, 224. — suadetur ut acatholicos sui territorii curet, 535 ; ut missiones sacras tempestive habendas ordinet, 534 ; ut religiosorum auxilio libenter utatur, 221.
— recipit denuntiationes, 630.
— testis sponsalium, 422.
— Recursus contra eius decreta, 619.
Ordinatio (S.). Vis vocis, 391 ; normae, 120 **392-420.** 448.
— **nis** nullitas, 392. 637.
Ordines minores, 400. 415. 416. 417 ; Ordines sacri, 400. 401. 415. 417. Iudicia et dispensationes de obligationibus Ordinum, 105. 637 ; Ordo sacramentum, **391-420.** Irregularitates et impedimenta, 402-408.
Ordo religiosus : quid, 169, 2° ; *vide* Religiosi.
Orientalis Ecclesia Codice non regitur, 11 ; a quanam regatur S. Cong., 113.
— fidelis absolutio, 345.
— ordinandus, 416 ; *presbyter* confirmans, 305 ; in aliena ecclesia celebrans, 315.
Originis locus, quisnam, 47.
Paenitens. Eius grave incommodum, 362 ; ius ad absolutionem, 353.
Paenitentia *canonica*, 628. 631. 672.
Paenitentiae sacramentum, 341-390.
Paenitentia *sacramentalis*, 354, 383.
Paenitentiaria, 114 ; competentia in dispensationes matrimoniales, 428, 1 ; in indulgentias, 372, 1; 386.
Paenitentiarius canonicus, 140.
Pallium, 117.
Papa *vide* Romanus Pontifex ; S. Sedes.
Parentes iudicant de dispositione puerorum ad communicandum, 332 ; communionem paschalem impuberum curare debent, 335, 1.
— et filiorum matrimonium, 423, 1, f ; 429, 1. 4°; filiorum sepultura, 483, 2.
Parochi munus, **155-161** ; notio, 155 ; installatio, 445. 565 ; libri, 160. 301. 302. 420. 633; non residentis punitio, 644 ; remotio administrativa, 641 ; translatio, 643 ; potestas benedicendi, 510 ; in reservata, 363, 3 ; dispensandi, 42. 427. 486 ; professio fidei 558, 7; Exemptio domus religiosae, seminarii a iurisdictione, 483, 4 ; 540.
Parocho subducta communitas, 181.

Parochus et baptismus, 212. 280. 300, 3 ; et communio impuberum, 335, 1; puerorum, 332 ; et contiones, missiones, 525. 527. 529. 532. 534; et ecclesiae rectores, 165. 269; et iurisdictio sacramentalis, 343. 346. 347, 4 ; 348, 2 ; 351, 3 ; 363, 3 ; et matrimonia, 423. 424. 430. 445. 446 ; et olea sacra, 279 ; et ordinationes, 413. 414 ; et potestas poenalis, 681 ; et sepultura, 483. 484 ; et synodus dioecesana, 131.
— suadetur acatholicos curare, 535 ; libenter uti auxilio religiosorum, 221 ; vocationes clericales fovere, 536.
— *consultor*, 148. 640. 641-643.
— religiosus, 66. 161. 226.
Paroeciae collatio reservata, 561 ; constitutio, 92. 93; divisio, 575 ; fines, 583. — intuitu data pecunia, 193.
Paschale tempus, 363.
Paschalis communio, 335.
Patenae exsecratio, 511.
Patriarcha, 116.
Patrinus, in *baptismo*, 289, 2 ; 295-298. 441 ; in *confirmatione*, 310, 311 ; ob delictum exclusus, 663, 3 ; 680. 681.
Patronatus ius, 566. 583, 1, 2°
Patronorum festa, 488.
Paulinum privilegium, 103. **453.**
Paupertas religiosa, 211 ; religiosi Cardinalis, Episcopi, 227.
Pauperum causae nullitatis, 621.
Peccata reservata, **357-363.**
Peccatoris publici communio, 333. 334, 1 ; matrimonium, 423, 1; 430 ; sepultura, 484.
Peregrini, absolutio sacramentalis, 345 ; baptismus, 281 ; dispensatio, 486, 1; 516 ; in Urbe forum, 610 ; leges, 15, 2 ; notio, **48.**
Periculum mortis, pro baptismo, 278. 282. 283-288. 289 ; pro communione iteranda, vel a non ieiuno, 334. 338 ; pro praecepto viatico, 335 ; pro prima communione, 332 ; pro confessione, 349. 351, 3 ; pro confirmatione, 308 ; pro matrimonio, 427, 2. 4; pro professione religiosa, 208.— quid sit, 334.
Persona quid, 45 ; physica, moralis collegialis, 55 ; — **ae** moralis bona, *vide* bona ecclesiastica ; causae iudiciales, 609 ; constitutio, 55. 253. **570**; distinctio, 55 ; praecedentia, 59.
— **ae** physicae constitutio, 45 ; distinctio, 46-48. 53. 54.
Pervigilia : ieiunium, abstinentia, 493, 2. 3.
Philosophiae studia, 216.
Piae uniones, 261, 2 ; 262 ; — *primariae*, 262.
Pileoli usus in missa, 312, 5.
Poenae, 653-688 ; abrogatae, 11. 656. 683 ; causantes irregularitatem, 405, 7° ; excludentes munus patrini, 296. 680. 681.
Pontificalium usus, 117. 145. 419. 583.
Pontificiae domus ordo praecedentiae, 59, 7.
Portio paroecialis, 483, 6.
Portiunculae indulgentia, 384. 388.
Possessio beneficii, 565 ; ad praescribendum, 583.
— a daemone causat irregularitatem, 404, 3°.
Postulatio, 81. 82. 179.
Postulatus, 196.
Postumi locus originis, 47.
Praecedentia : Normae, 59 ; inter associationes, 262 ; inter capitula et canonicos, 144 ; inter Cardinales et Legatos, 110; inter clerum saecularem et religiosos, 173 ; Vicarii generalis, 135.
Praecepti vis et duratio, 16.
Praeceptum communionis, 335. 416, 2 ; confessionis, 367 ; festa observandi, 488 ; missae audiendae, 489. 490 ; dicendae, 313 ; residentiae coactae, 671 ; poenale, 672.
Praedicatio, 525-535.
Praefectus apostolicus, 119-121 ; est Ordinarius loci, 87 ; *vide* Ordinarius loci. Benedictionem papalem impertit, 373, 1 ; confirmat, 305-307 ; dat litteras dimissorias, 394 ; dispensat ab interstitiis, 400 ; fidem profitetur, 558, 3 ; ordinat, 392, 2; 393.
Praefectus spiritus religiosorum, 215.
Praelatus, 61.
— *nullius* benedictionem papalem impertit, 373, 1 ; confirmat, 305, 1 ; 306. 307 ; dispensans ab interstitiis, 400; est Ordinarius loci, 87; fidem profitetur, 558, 3 ; litteras dimissoriales dat, 394 ; ordinat, 392. 393.
Praescriptio, 581-584. — actionis iudiciariae, 622.
Preces cum absolutione coniunctae, 352. — pro indulgentiis, 383. 386. 387. 389.
Presbyter, minister benedictionum 458, 1 ; confirmationis, 305-307. — *assistens* quandonam permissus, 312, 5.
Presbyteratus, 399. 400. 401.
Primas. 116. — Abbas. *vide* Abbas.
Primitiae, 577.
Principes civiles a quo iudicantur, 609 ; puniuntur, 657, 1 ; sepultura, 482.
Privata domus, pro baptismo, 300 ; pro confessione, 368 ; pro missa, 318, 5.
— expositio SSi, 502.
Privatum *oratorium*, **474. 477, 3**; 490. 504, 1; quod ad missam de praecepto audiendam, 490 ; licentia ad asservandas reliquias, 504, 1. — *votum*, 512.
Privilegia : notio, 11 ; quae manent post Codicem, 11 ; normae, **31-40** ; associationis, 259 ; Cardinalium, 342, 1; 419. 609 ; episcoporum religiosorum, 172. 208 ; **222-225.** 227. 248.
— *revocata* : dimittendi sine processu professum religionis exemptae, 241. 684, 2 ; pluralitatis parochorum, 158 ; restringens libertatem confessionis religiosorum, 184 ; dispensans a testimonialibus, 198, 3 ; asservandi in pluribus locis eiusdem domus S. Euch., 500, 2.
Privilegium altaris, 374. 375 ; canonis, **64.** 222. 248. 673, 2; 674, 4; **678**, 679, 4 ; dimitten-

di ordinandos ad quemlibet episcopum, 412 ; dispensandi ab interstitiis, 415 ; erigendi associationes, 253, 2 ; 255, 5 ; exemptionis a visitatione episcopi, 255, 2; fori, **64**. 222. 248. 674, 5; **677** ; peregrini commorantis in Urbe, 610.

Probatio baptismi, 303 ; confirmationis, 311 ; delicti, 629 ; filiationis, 301. 404. 452, 1 ; impedimenti matrimonii, 426, 2.

Processiones, 262. 266. 271, 4. 5. **506.**

Proclamationes matrimonii, 424.

Procurator in concilio oecumenico, 96 ; in fidei professione, 557 ; in iureiurando, 519 ; in matrimonio, 423, 1; 444, 2 ; in synodo dioecesana, 151.

Profanus usus ecclesiae, 466 ; sacrae supellectilis, 511.

Professio fidei iuridica, 557-559 ; communis, 523, 5.

Professio religiosa, 209-213 ; annotatio, 160 ; effectus, 84. 401, 2 ; 435. 483, 2 ; 518 ; — in articulo mortis, 208 ; transeuntis ad aliam religionem, 228. 229.

Professores quinam fidem profitentur, 558, 7.8; religiosorum, 217 ; seminarii, 235, 2°.

Prohibitio librorum, 103. **551-556.**

Promissio funeris, 483, 2 ; matrimonii, 422.

Promotor iustitiae, 617. 629.

Promulgatio Codicis, 2. 6 ; interpretationis legis, 13, 2 ; — legis pontificiae, 12.

Provisio, 71.

Pubes, 46.

Publica expositio SS^{i}, 502 ; indignitas, 333.

— um delictum, 649, 2 ; impedimentum matrimonii, 426, 2; 428, 6 ; oratorium, 474. 475, 1 ; 477, 1 ; 490. 500, 1. 2 ; 532 ; votum, 512.

Publicationes matrimonii, 424.

Puerorum baptismus, 285-287 ; communio, 332 ; confirmatio, 308.

Punctator, 147.

Quadragesima, 146. **493** ; contiones, 533.

Quaestuatio, 225. 255, 4 ; 256. 578.

Quarta funeralis, 483, 6.

Quasi-domicilii normae, 49-51 ; effectus, 52.

Quasi-inspiratio, 74. 80.

Quasi-parochus, 151. 160. 363, 3.

Quasi-paroecia, 92.

Raptus, 436. 680, 1.

Ratio conscientiae Superiori religioso, 192.

Ratum matrimonium, **421.** 428, 5 ; 439.

Reconciliatio loci sacri, 469.

Rector *ecclesiae*, **164-166.** Eius partes in temporali administratione, 472 ; in benedictione s. supellectilis, 510, 2; in custodia Eucharistiae, 501, 2 ; reliquiarum, 505, 2 ; in donatione repudianda, 598, 2 ; in Eucharistiae dispensatione, 328. 329 ; in extranei sacerdotis admissione, 315 ; in invitando contionatore, 529 ; in loci sacri reconciliatione, 469, 5 ; in permittendo ut reus ex ecclesia extrahatur, 471. Donatio ipsi facta praesumitur ecclesiae facta, 598, 3.

Rectores : quinam fidem profitentur, 558, 7. 8.

Recursus a censura, 659 ; a decreto episcopi, 397. 528, 2 ; 619. 640 ; Superioris religiosi, 240. 397. 619 ; post absolutionem censurae, 661.

Recursus ad S. Sedem : de amotione ab officio, 84, 3 ; 161 ; propter censuram, 661, 3 ; de dimissione e religione, 240; de censura librorum, 546, 2 ; de prohibitione librorum, 651 ; contra decreta Ordinariorum, 619.

Reductio piarum voluntatum, 587 ; onerum, 607.

Regimen religionum, 176-182.

Regulae abrogatae Codice, 172. 495.

Regulares, *vide* Religiosi: facultas dispensandi in irregularitatibus, 408, 2 ; processionis instituendae, 506, 2.

Relaxatio iurisiurandi, 521 ; poenarum, 658-662 ; voti, 515-517.

Religio, 169 ; erectio et suppressio, 174.

Religiosarum absolutio, **187-191.** 344, 3 ; ecclesia, 450, 2 ; funus, 483, 4; *vide* Antistita. Religiosi. Dimissio, 242.

Religiosi, 167-249 ; benedictionem papalem dantes, 373, 2 ; et conferentiae sacerdotum, 86; et dioecesanae librorum prohibitiones, 551, 2 ; et munus fidei commissarii, 586 ; patrini, 296; postulantes funeris promissiones in sua ecclesia, 483, 2 ; scribentes libros, etc. 549, 3.

— cardinales, episcopi, 226. 227.

— parochi, 66. 161. 226.

Religiosorum absolutio sacramentalis, 344 ; alienatio, locatio bonorum, 194. 596, 1. 4 ; 600; ascriptio piae associationi, 257, 3 ; religioni, 62 ; cappellanus, 166 ; contiones, 528-532 ; delegatio ad audiendas confessiones, 344, 2 ; 346, 2 ; 347, 4. 5 ; 348. 351 ; dimissio, 237-247. 684 ; dimissorum incardinatio, 62 ; ecclesiae et oratoria, 463. 474. 476. 510. 606 ; egressus, 230-236 ; excardinatio, 63 ; exclusio e tertiis Ordinibus, 264 ; iudicia, 616-618 ; ordinationes, 392, 3 ; 393. 394, 3 ; 399. 401. 411. 412. 413. 415 ; piae associationes, 106. 253. 255. 268, 3 ; 270 ; praescriptio, 584 ; privilegia, 11, 2 ; 222-225. 255. 582. 678 ; revocata, 272. 500 ; processiones, 506 ; professio annotanda, 160 : ascribens religioni, excardinans, 62. 63 ; promotor iustitiae, 617 ; sacrae functiones, 497 ; sacra supellex. 510 ; scholae, 542. 544; sepultura, 483, 2; subiectio Ordinariis loci, 322. 463, 2 ; 497, 2 ; 502. 526, 529-530. 542. 549, 3; 586. 589. 616 ; universitates, 542 ; usurpata bona, 106. S. Congr. *de Religiosis*, 107.

Reliquiae, 109. **503-505.**

Remedium poenale, 671.

Renovatio consensus quod ad matrimonium, 455 ; professionem religiosam, 213 ; SS. Specierum, 501, 3 ; votorum, 20. 210.

Renuntiatio bonorum, 211 ; officio, 84 ; privilegio, 38.

Rescriptum, quid, 22. Regulae de rescriptis, **22-30** ; taxae, 580.
Reservatio beneficiorum, 563 ; censurarum, 660 ; peccatorum, ratione censurae, 660, 3 ; peccatorum, 184. **357-363** ; votorum, 513.
Residentia, pro canonicis, 146 ; pro clericis, 69. 641 ; pro parochis, 159.
— non servata punitur, 644.
Residentiale beneficium, 562.
Res iudicata canonice, 625. 634.
Res pretiosae, 573 ; alienatio, 594 : praescriptionis tempus, 584.
Res sacrae, 573. Praescriptio, 583.
Restitutio propter administrationem temporalem, 591 ; propter simoniam, 277.
— *in integrum*, 598, 2 ; 625.
Reviviscentia indulgentiarum, 378 ; privilegii, 36, 3.
Revocatio dispositionis bonorum a religiosis, 211 ; donationis, 598, 2 ; iurisdictionis sacramentalis, 348 ; privilegii per legem, 37 ; per non-usum, 39 ; rescripti per actum peculiarem, per legem contrariam, 29.
Rituale romanum, de communione puerorum, 332 ; de precibus absolutioni coniunctis, 352.
— **is** formulae : necessariae, 458.
Ritus normae, 54. 291. 318, 2 ; 330. 337. 345. 416. 446, 2 ; 490. S. C. *Rituum*, 109.
Romani Pontificis auctoritas magisterii, 523. 526 ; in Cardinales, 227 ; in religiosos, 176 ; electio, 75. 80 ; inviolabilitas, 664, 1 ; 673. 679, 4 ; iurisdictio plenaria, 87. 94, 3 ; divino iure cooptatio in hierarchiam, 61 ; ius nominandi, seu conferendi officia, 71. 122. 124 ; monitio de Ordinariis neglegentibus confirmationem, 307 ; potestas in concilium oecumenicum, 95 ; erigendi beneficia, 561 ; iudicandi et puniendi, 657 ; libros prohibendi, 551 ; praesidentia Congregationum, 102. 108. 113 ; ratio dirimendi controversias de competentia in curia, 100 ; sepultura, 482.
S. **Rota, 114.** 619.
Sabbati Sancti communio, 338. ieiunium, 493, 3.
Sacerdos celebrare debet, 313 ; firmat sepulcrum altaris fractum, 478 : missas annotare debet, 326 ; quo ritu iuret, 620 ; reconciliat locum sacrum, 469, 5.
— extraneus admissus ad celebrandum, 315. *Vide* Episcopus. Presbyter.
Sacrarum specierum renovatio, 501, 3 ; sacrilega abiectio, 673, 1 ; 679, 2.
Sacramenta, 278-457 ; administratio in ecclesia violata, 469, 2 ; haereticis et schismaticis, 278 ; taxae, 580, 1.
Sacramentalia, 458. 459 ; taxae, 580, 1.
Saecularizatio, 230. 233.
Sanatio in radice, 456.
S. **Sedes** accipiens relationes super statu dioecesium, 125 ; concedens privilegia, 222. 225 ; consulenda de innovandis festis, 488 ; paroeciis, 93 ; curat diffisionem evangelii, 533 ; definit potestatem abbatis primatis, 171 ; coadiutoris et auxiliarii episcopi, 129 ; monenda de difficultatibus quod ad litteras testimoniales, 199 ; praeventione causas iudicat, 428, 2 ; 611.
Sanctae Sedi reservata : cathedratici et taxarum approbatio, 579. 581 ; censurae plures, 673-675. 677. 682 ; collatio dignitatum, 139 ; et beneficiorum variorum, 563 ; consecratio episcopalis, 391 ; dimissiones e religione, 245-247 ; dispensatio ab interpellatione, 453, 1 ; a multiplici impedimento, 428 ; erectio capitulorum, 138 ; indulgentiae defunctis applicabiles, 381 ; delegatio pro indulgentiis, 371 ; indultum iubilationis, 149 ; iudicia plura, 607. 632. 637 ; alienandi plura bona, 396 ; licentia disputandi cum acatholicis, 524 ; celebrandi extra oratoria vel in oratorio domestico, 318. 477, 3 ; conservandi S. eucharistiam, 500, 1, c ; innovandi instituta ecclesiastica, 572 ; dedicandi altare, ecclesiam Beati, 463, 4 ; 479 ; transeundi ad aliam religionem, 228 ; visitandi dioecesim suffraganei, 117 ; plura de piis associationibus, 253, 2 ; 261. 263. 265-268, 3 ; 270. 273. 274, 2. 3 ; reductio fundationum, 607 ; missarum, 587, 2 ; piarum voluntatum, 587, 1 ; statuta Universitatis, 542 ; seminarii interdioecesani, 537 ; suppressio formae concursus pro parochiis, 157 ; suppressio congregationum religiosarum, 174 ; provinciarum in religione iuris pontificii, 174 ; suspensio collectiva iurisdictionis pro confessione, 348, 3.
— reservatum peccatum ratione sui, 359.
Sanctae Sedis privilegiata praescriptio, 611.
Ad **S. Sedem** recursus semper licitus, 611. Recursus datus : 84, 3 ; 161. 240. 528, 2 ; 546, 2 ; 651.
Sanctorum cultus, 503-505
Sanguinis effusio violans locum sacrum, 467. 468.
Schismaticus, 523. 5 ; excommunicatur, 674, 1 ; est infamis, 679, 1 ; irregularis, 405 ; subiectum illicitum sacramentorum, 278 ; munere patrini excluditur, 296.
Scholae, 175. **541-544** ; iuris canonici, 8.
— *apostolicae* Superior absolvens, 351, 2.
Scientiae sacramentalis usus, 356.
Scrutatores, 77 ; scrutinium, 74. 77 ; normae generales, 55.
Sectae damnatae ascripti : pro applicatione missae, 314 ; pro matrimonio, 423, 1 ; 430 ; pro munere patrini, 296. 310, 2 ; pro receptione in associationes, 257 ; poenae, 675, 1.
Secundae nuptiae, 457.
Seminarium, 536-540. — **ii** ecclesia, 450, 2 ; oratorium, 474 ; professores fidem profitentes, 558, 7 ; Rector absolvens, 351 ; fidem profitens, 558, 7 ; synodum participans, 131 ; tributum, 579, 2.
Seminis effusio non violat locum sacrum, 467. 468.

Semi-publicum oratorium, 474. 475. 2; 477, 2; 490. 500, 1, 2.
Sententiae exsecutio, 626; vis, 25. 625. 634. 636.
Separatio tori, 454.
Sepulcrum altaris fractum, 478.
— maiorum, 483, 2.
Sepultura ecclesiastica, 481-484; in ecclesia, 482. 498; in ecclesia violata, 469, 2; prope altare, 480; violans locum sacrum, 467. 468. 469, 4.
— **ae** violatio, 679, 3.
Servitium militare impedimentum ordinationis, 407, 5°.
Servitus quaenam non usu extinguatur, 582.
— impedimentum ordinationis, 407, 4°.
Sigillum sacramentale, 356, 2; 362. 673, 2.
Signatura Apostolica, 114.
Simonia, 276. 277. 563. 627.
Societas in communi viventium sine votis, 248. 249.
Socius magistri noviciorum, 186. 351, 2; 684.
Sodalicia, 261-275. Tertiariorum, 261, 1; 263, 265; — **li** oratorium, 474.
Sodomia, 679, 7.
Sollicitationis denuntiatio falsa, 360. 374; denuntiatio praecepta, 366.
Sorores, 169.
SS. **Species** renovandae, 501, 3; sacrilege abiectae, 673, 1; 679, 2.
Sponsalia, 422.
Sponsi accusantes reservata, 362.
Status religiosus, 168.
Statuta associationum, 254. 255.
Stipendia missarum, **319-326**. 374, 2; 579, 4; 583. 683, 1.
Studia ante tonsuram et ordines, 399; noviciorum, 207; religiosorum clericorum, 214-218.
Stuprum, 679, 7.
Subdelegatio iurisdictionis, 88.
Subdiaconatus, 160. 399. 400. 420. 558, 7.
Subreptio, 426, 3; 428, 4.
Suffraganeus, 117.
Suffragia, maior pars in collegio, 55.
Suicidium, 405, 5°; 467. 468.
Supellectilis sacra, 507-511.
Superior collegii, 198, 2; 351, 2. — scholae apostolicae, 351, 2; — seminarii, 198, 2; 351, 2.
Superior religiosus, 176-182; benedicit supellectilem sacram, 510, 4; cum consilio seu capitulo agere iussus, 58. 360, 2; 551, 3; curat ut sui celebrent, 313; missas dicendas annotet, 326; exoneret, 323, 4; dimittit socios associationis, 260; et associationes piae, 253. 255, 5; 263. 270; et munus oeconomi, 182; et subditorum confessiones, 185; manifestatio conscientiae, 192; fidem profitetur, 558, 9; litteras « celebret » dat, 315; alienationes permittens, 596, 4; praesentans suos pro contionibus, 528; pro iurisdictione, 344, 3; 347, 5; pro ordinatione, 410. 412. 415; viaticum ministrans, 329.
— **is** electio, 179.
— *maior*, quisnam, 169, 8°; 171; eius dotes, 177; tempus regiminis, 178; — ascensum ad ordines prohibens, 397.
Superior religionis clericalis exemptae *vide* Superior religionis. Eius *iurisdictio* in utroque foro, 176. 342, 3; 344, 2; 362. Eius ius in *moniales*, 180, 1; 240. Eius potestas *coactiva*, 653; potestas dispensandi, 486, 3; 516.
Superior maior religionis clericalis exemptae, *vide* Superior religiosus; Ordinarius. Est *Ordinarius*, 87. *Altare* privilegiatum designat, 374; *Fundationes* pias regit, 606; *Iudicat*, sententiam exsequitur, 616. 618. 626. *Libros* prohibens, 549, 3; *Litteras dimissorias* dans, 394, 3; 411. 415; *Monet parochum* de professis sollemniter, 160; de subdiaconis, 420; permittit *missam* extra oratoria, 318, 5; Privilegium speciale *fori* habet, 677; *Reservans* peccata, 360, 2; reducens tempus exercit. spir. ante ordinationes, 415.
Superior religionis laicalis exemptae, 344. 527, 2.
Superstitio abigenda, 497, 2.
Supplicatio XL horarum, 502, 2.
Suppressio religionis, provinciae, domus, 174.
Suspecti de haeresi, 673, 1.
Suspensio, 686. 246. 405, 7°; ex informata conscientia, 647; peculiaris non poenalis, 655, 2.
— iurisdictionis, 348; noviciatus, 204. 205; votorum, 518.
Synodus, 130-131; fidei professio, 558, 1.
Tabernaculi clavis, 501, 2; locus, 500. 501, 1.
Taxae, 580; pro erigenda associatione, 253; pro funere, 483, 6; pro missis, 322.
Tempora sacra, 485-495.
Tempus clausum, 450; continuum, utile, 21; paschale, 362, 3; cuius optio datur, 19, 2; qua ratione supputandum, 19. 20.
— *ad quod* Superiores instituuntur, 178; vota temporaria facienda sunt, 209. 210.
— *a quo* episcopus presbyter esse debet, 124; magister noviciorum et socius professi esse debent, 684; Superior religiosus professus esse debet, 177.
— *intra quod* beneficia conferenda sunt, 563; installatio facienda est, 565; onera missarum implenda sunt, 323. 324.
— *per quod*, post studia examina facere ebent sacerdotes religiosi, 217; saeculares, 66; parochus abesse potest, 159.
— *post quod* baptismus, confirmatio ministranda sunt, 299. 309, 3; consilium vel licentia Ordinarii petenda sunt pro matrimonio eorum qui abierint, 423, 1; 424; litterae testimoniales petendae aut renovandae sunt, 198. 3, 4; 410; incardinantur in dioecesi religiosi egressi, 234; indultum iubilationis conceditur, 149; professionis *post quod* egressi religiosi variis officiis prohibentur, 235, 3; missio sacra habenda est

in paroeciis, 534 ; concilium provinciale, conventus episcoporum habenda sunt, 118 ; repetenda sunt banna, 413. 424 ; exercitia spiritualia ante ordinationes, 415 ; rationem de paroeciis decanus reddere debet, 154 ; referre de statu dioecesis et visitare S. limina debent Ordinarii locorum, 125 ; synodus dioecesana cogenda est, 130. 131 ; vacant beneficia professorum relig. 212 ; visitanda est dioecesis, 127 ; visitantur religiosi ab Ordinariis locorum, 180.

— *quod* durare debent exercitia spiritualia clericorum, 65 ; religiosorum, 219 ; noviciatus, 203-205 ; postulatus, 196 ; professio temporaria, 209. 210 ; studia pro futuris sacerdotibus, 216. 399.

— *quo* celebrantur matrimonium, 450 ; missa, 317 ; officia divina, 464 ; ordinationes, 417. 418 ; porrigitur Eucharistia. 338. 339 ; Ordinarius monendus est de admissione puellarum ad noviciatum vel professionem, 201.

— utile ad appellandum, 623 ; ad implendas condiciones indulgentiarum, 376. 377. 385 ; monitionibus ante dimissionem religiosorum, 242, 2 ; praecepto paschali implendo, 335. 363, 3 ; publicationibus matrimonii, 424.

Tertii Ordines, 107. 252. 261, 1 ; 262. **263-266**. 373, 2.

Testamentum noviciorum, 211 ; de sacra supellectili, 508.

Testimoniales litterae, *vide* Litterae.

Testis in matrimonio, 445. 447. 663, 3 ; in sponsalibus, 422 ; — omni exceptione maior, 303. 325 ; — unus probat baptismum, 303.

Theologiae studia ante ordinationes, 399 ; pro religiosis, 216 ; Professores fidem profitentes, 558, 7.

Theologus (canonicus), 141.

Tituli ad laborem, 601.

Titulus altaris, 479 ; associationis piae, 254. 267 ; iurisdictionis (coloratus), 89 ; ordinationis, 401. 670, 2.

Tonsura, 62. 120. 391. 392. 393. 399. 400. 415.

Transactio iudicialis, 627.

Transitus ad aliam religionem, 228-230 ; — tertiariorum, 265.

Translatio ex officio, 84 ; parochi, 640.

— indulgentiarum, 377.

— piae associationis, 270.

— stipendiorum missae, 325.

Tribunalia Curiae romanae, 114 ; — **ium** gradus et species, 611-619.

Tributa, 579.

Trunci pro indulgentiis, 389.

Tumuli benedicendi, 482, 2.

Unctiones extremae-unctionis, 390.

Universitas catholica 540. 541 ; fidei professio, 558, 8 ; magistri religiosi, 235, 2°.

Uxoris domicilium, quasi-domicilium, 51 ; ritus, 54.

Vacantis S. Sedis, dioecesis, effectus, 29. 613.

Vacatio beneficii, 71. 563, 2; 569 ; sedis episcopalis, 152. 153.

— Codicis, 12, 2. 495.

Vagi, **48. 49** ; absolutio sacramentalis, 345 ; censurae, 660, 2 ; leges, 15, 3 ; locus originis, 47. 48 ; matrimonium, 423, 1, e; 446, 2 ; proprius Ordinarius, parochus, 52.

Validatio actuum, 40 ; matrimonii. 443. 455. 456 ; professionis religiosae, 213.

Venatio clericorum, 67.

Venditio reliquiarum, 505, 2 ; sacrae supellectilis, 511 ; *vide* Contractus.

Venerabilis quis dici possit, nondum publico cultu honorandus, 639.

Veritas in rescripto, 24.

Versio orationis indulgentiis ditatae, 386 ; operis prohibiti, 551 ; S. Scripturae, 553.

Vestes *vide* Habitus. Sacra supellex. — celebrantis, 313, 3.

Viaticum, 159. 181. 329, 3. 33, 2; 336, 3, 4; 339. 683, 6.

Vicaria potestas, 86.

Vicarius apostolicus, **119-121** ; benedictionem papalem impertit, 373 ; confirmat, 305-307 ; dat litteras dimissorias, 394 ; dispensat ab interstitiis, 400 ; est Ordinarius loci, 87 ; ordinat, 392-393.

Vicarius capitularis, 152-153. 358. 394, 2 ; 509, 2 ; 555. 613.

Vicarius foraneus, 131. **154**. 363, 2 ; 630.

Vicarius generalis, 86. 87. **133-135** ; quae non potest sine mandato speciali, 358. 394. 2; 461. 463, 1; 509, 2; 665; fidem profitetur, 588, 7; participatio synodo, 131 ; concedens gratiam negatam, 26, 2 ; simul officialis, 613 ; potestas quod ad poenas, 655.

Vicarius oeconomus, 162. 647, 5.

Vicarius paroecialis, 155. **162. 163.**

Vicarius substitutus in ordine ad matrimonium, 446, 1.

Vigilantia : remedium poenale, 671.

Violatio loci sacri **467-469**. 482, 2.

Vis, *vide* Metus.

Visitatio ad S. Limina, 119. 125.

— confraternitatum, 255, 2 ; dioecesis, 117 ; piorum institutorum, 571 ; monialium, 180 ; religiosorum, 180 ; scholarum, 544.

— pro indulgentiis requisita, 376, 4. 384 ; Sanctissimi commendanda, 501, 4.

— **nis** ius imprescriptibile, 583.

Vita communis clericorum, 65 ; religiosorum, 215.

Vitandus excommunicatus aut suspensus, **664**. 666 ; obtinens rescriptum, 25 ; eius sepultura, 467. 468 ; et missae applicatio, 314.

Vitia consensus, 56. 57. 213. 444. 520.

Vocationes fovendae, 536.

Vota 512-516. 521 ; Impedimenta matrimonii, 429, 1 ; 435 ; — religionis. *vide* Professio religiosa.

Xenodochii oratorium, 476.

Index censurarum latae sententiae ad normam novi iuris

I. *Excomm. specialissime* reservatam R. P. incurrunt : (n. 673)

1. Speciebus consecratis sacrilege abutentes. (c. 2320)
2. Violentas manus inicientes in R. P. (c. 2343)
3. Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi. (c. 2367)
4. Confessarius sigillum directe violare praesumens. (c. 2369)

II. *Excomm. specialiter* reservatam R. P. : (n. 674)

1. Apostatae, haeretici, schismatici. (c. 2314)
2. Suspecti de haeresi, si moniti post sex menses, non se emendent. (c. 2315)
3. Edentes libros apostatarum, haereticorum, schismaticorum, eosdem vel a S. S. nominatim prohibitos defendentes aut scienter legentes. (c. 2318. Cf. n. 556, 1)
4. Ad sacerdotium non promotus celebrationem Missae simulans vel confessionem excipiens. (c. 2322)
5. Appellantes ad universale Concilium. (c. 2332)
6. Impedientes litteras vel acta S. S. (c. 2333)
7. Leges ferentes contra iura Ecclesiae ; recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem ad impediendum exercitium iurisdictionis ecclesiasticae. (c. 2334)
8. Trahentes ad iudicem laicum Cardinalem, Legatum S. S., officialem maiorem Rom. Curiae, Ordinarium proprium. (c. 2341)
9. Violentas manus inicientes in Cardinalem, Legatum S. S., patriarcham, archiepiscopum, episcopum. (c. 2343)
10. Usurpantes bona Ecclesiae romanae. (c. 2345)
11. Falsarii litterarum S. S. (c. 2360)
12. Falso denuntians confessarium de sollicitatione apud Superiores. (c. 2363)

III. *Excomm. simpliciter* reservatam R. P. : (n. 675)

1. Quaestum facientes ex indulgentiis. (c. 2327)
2. Nomen dantes sectae massonicae. (c. 2335)
3. Sine facultate absolventes ab excomm. specialissime vel specialiter reserv. S. S. (c. 2338)
4. Communicantes in delicto vel in divinis cum excommunicato vitando. (c. 2338)
5. Trahentes ad iudicem laicum episcopum, Praelatum nullius, Superiorem religiosum supremum. (c. 2341)
6. Violantes clausuram monialium et moniales e clausura illegitime exeuntes. (c. 2342)
7. Violantes clausuram Regularium. (c. 2342)
8. Usurpantes bona ecclesiastica. (c. 2346)
9. Duellantes eorumque complices. (c. 2351)
10. Clerici in sacris et voto sollemni castitatis ligati attentantes matrimonium eorumque compars. (c. 2388)
11. Simoniaci in officiis, beneficiis, dignitatibus. (c. 2392)
12. Subtrahentes vel immutantes documentum ex Curia episcopali. (c. 2405)

IV. *Excomm. reservatam Ordinario :* (n. 676)

1. Matrimonium ineuntes coram ministro acatholico. (c. 2319)
2. Matrimonium contrahentes cum pacto ut proles educetur extra Ecclesiam. (c. 2319)
3. Liberos baptizandos scienter offerentes ministro acatholico. (c. 2319)
4. Liberos scienter tradentes in religione acatholica educandos. (c. 2319)
5. Conficientes, distribuentes, exponentes falsas reliquias. (c. 2326)
6. Violentas manus inicientes in simplices clericos vel religiosos. (c. 2343)
7. Procurantes abortum, effectu secuto. (c. 2350)
8. Religiosus apostata a religione. (c. 2385)
9. Professi votorum simplicium perpetuorum matrimonium contrahentes eorumque compars. (c. 2388)

V. *Excomm. nemini* reservatam :

1. Edentes sine licentia libros de S. Scriptura. (c. 2318. n. 556, 2)
2. Violantes varias leges de electione R. P. (c. 2330)
3. Cogentes tradi sepulturae ecclesiasticae a iure exclusos. (c. 2339)
4. Praetermittentes beneplacitum apostolicum ad alienanda bona ecclesiastica. (c. 2347. n. 596)
5. Cogentes ad statum clericalem vel religiosum amplectendum. (c. 2352)
6. Scienter omittens denuntiare confessarium a quo sollicitatus fuerit. (c. 2368)

VI. Incurrunt *S. Sedi* reservatam *suspensionem :*

1. *A divinis :* Praesumentes recipere ordines ab apostata, haeretico, schismatico, censurato. (c. 2372)
2. *Generalem :* Episcopus Episcopum consecrans sine mandato S. S., eiusque assistentes. (c. 2370)

Scienter per simoniam ordinantes vel ordinati, ministrantes vel recipientes sacramenta. (c. 2371)

VII. *Suspensionem* reservatam *Ordinario* incurrunt :

Ab officio : trahentes ad iudicem laicum simplicem clericum vel religiosum. (c. 2341)

VIII. Incurrunt *Superiori maiori* reservatam *suspensionem generalem :* religiosi fugitivi. (c. 2386)

IX. Incurrunt *nemini* reservatam *suspensionem :*

1. *A confessionibus audiendis :* sine facultate a reservatis absolvens. (c. 2366)
2. *A divinis :* praesumens sine iurisdictione confessiones audire (c. 2366) ; praesumens in manus laicorum officium, beneficium, dignitatem resignare (c. 2400) ; Vicarius capitularis indebite dimissorias pro ordinatione concedens. (c. 2409. cf. c. 958)
3. *A recepto ordine :* sine dimissoriis, ante aetatem, per saltum ordinatus. (c. 2374)
4. *A iurisdictione :* Praelatus nullius benedictionem infra debitum tempus non petens. (c. 2402. § 2 ; cf. c. 322, § 2)

X. Incurrunt *interdictum specialiter* reserv. S. S. :

Personae morales appellantes ad universale concilium. (c. 2332)

XI. Incurrunt *interdictum* personale *nemini* reservatum :

qui causam dederint interdicto locali aut interdicto in communitatem. (c. 2338, 4)

XII. Incurrunt *interdictum* ab ingressu ecclesiae reservatum *Ordinario:*

sponte sepultura ecclesiastica donantes quos ius prohibet. (c. 2339)

MECHLINIÆ, H. DESSAIN.

GTU Library
3 2400 00685 5625

DATE DUE

Demco, Inc. 38-293

GTU Libr
2400 Ridge R
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500
All items are subject to recall

30932